

23
249



D-83-183

QVÆSTIONES PHILOSOPHIÆ NATVRALIS IN QVINQVE PARTES DISTRIBVTÆ.

IVXTA DOCTRINAM SANTISSIMI Præceptoris D. Thomæ Aquinatis elucidantur.

AVTHORE,

AD. R. P. Fr. ILDEPHONSO DE Villalpando, Prædicatorum Familiæ dignissimo Magistro, Conuentus S. Ildefonsi Cæsaraugustæ Priore perpetuo. In sua Aragoniæ Prouintia, bis Vicario Generali, & nunc in eadem benemerito Prouintiali.

N. 1649

UNIVERSIDAD Y PROVINCIAL BIBLIOTECA DE ZARAGOZA

CVM LICENTIA,

Cæsaraugustæ, Apud IOANNEM DE YBAR.
Anno M.DC.LIII.

QVÆSTIONES PHILOSOPHIÆ NATVRALIS IN QVINQVE PARTES DISTRIBVTÆ.

PRIMA PARS CONTINENS quæstiones super octo Libros Aristotelis de Physico auditu secundum Doctrinam nostri Angelici Doctoris Diui Thomæ Aquinatis.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Philosophia sit scientia.

OMISSIS variis nominibus Philosophiæ, variisque acceptionibus eius, cum quidam eam nominent sophiã, appellentque artem artium, scientiam scientiarum, meditationem mortis, rerumque diuinarum, & humanarum cognitionem.

Primo obseruandũ est, quod Philosophia communissime accepta, diuiditur in factiuã, & actiuam; actiua est *qua versatur circa actiones immanentes*, vt amare, intelligere; factiua verò *respicit actiones externas, & transeuntes*, vt ædificare, frenum face-

re, & alia huiusmodi. Hinc Philosophia factiua subdiuiditur in omnes artes mecanicas.

Secundo obseruandum est: quod Philosophia actiua est triplex; alia moralis, seu ethica, quæ docet vitam, seu proprios mores componere: ecco monica, seu domestica, quæ versatur circa gubernationem domus: & ciuilis, seu Politica, quæ ad gubernationem Ciuitatis ordinatur. Philosophia speculatiua diuiditur in metaphisicam, quæ prima Philosophia dicitur, in Philosophiam naturalem, quæ vnico nomine Physica appellatur, & in mathematicas. In præsenti de sola Philosophia naturali erit sermo.

Sit conclusio: Philosophia naturalis, verè, & propriè est scientia. Ita Arist. multis in locis, & cum eo omnes ipsius interpretes. Ratione probatur: Philosophia naturalis *est habitus certus, demonstratione adquisitus*: ergo est scientia: consequentia constat ex diffinitione scientiæ: antecedens probatur; nam in Physica quã plures sinnt demonstrationes, concludunt enim multi effectus naturales per veram, & necessariam causam, videlicet, quod omne corpus est diuisibile, quia est continuum; quod homo est risibilis, quia est rationalis; & alia huiusmodi.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: scientia est de rebus immaterialibus, quæ non dependent â loco, & tempore; sed Philosophia naturalis disputat de rebus naturalibus, quæ loco, & tempore mensurantur: ergo non est scientia.

Respondetur negando maiorem; nam quamuis de rebus materialibus singularibus: v. g. de Petro, & Paulo non habeamus actu scientiam: de rebus tamen materialibus in communi sumptis: v. g. de animali, de homine, & de planta vera habetur scientia.

Dices: intellectus noster in scientijs comparandis abstrahit â materia; nam abstractio à materia est ratio formalis constituens obiectum scibile: ergo de rebus materialibus nõ potest dari scientia.

Respondetur distinguendo antecedens: abstrahit â materia singulari concedo: â materia in communi nego: Iam verò Physica, non considerat primo, & per se, hunc singularem hominem: v. g. Petrum qui hoc determinato tempore, & loco mensuratur, sed hominem in communi abstrahendo à singularibus.

Secundum argumentum: nulla scientia inclinat ad falsum, nam scientia est cognitio veri; sed Physica inclinat ad falsum: ergo Physica non est scientia: Probatur minor, nam Physica inclinat ad assensum harum propositionum: in verè sunt tronitua: in hieme sunt pluuiæ, hoc autem interdum est falsum: ergo, &c.

Respondetua negando minorem: probationi dico Physicam non concludere demonstratiue semper in ve

rê,

rē esse tronitua, vel in hieme pluuias, sed vt in plurimum ita euenire: hoc autem non est contingens, nec falsum, sed verisimum potius, & potest demonstratiue concludi.

Tertium argumentum: de corruptibilibus non datur scientia; sed Physica agit de rebus corruptibilibus, videlicet de rebus naturalibus: ergo Physica non est scientia.

Respondetur distinguendo maiorem: quamuis enim de corruptibilibus, vt corruptibilia sunt, non possit dari scientia, potest tamen dari scientia de corruptibilibus, quatenus eis conueniunt aliqua attributa necessaria; nam huiusmodi attributa possūt demonstratiue, & per veram causam concludi, & hac ratione agit Physica de corruptibilibus. Videda sunt quæ diximus 1. lib. post. cap. 24. q. 1.

QVAESTIO II.

Vtrum Physica sit speculatiua.

COnsulenda sunt, quæ diximus in Proœmialibus Logicæ. q. 8. 9. &. 10. de diuisione, & natura habitus practici, & speculatiui. Quibus suppositis.

Sit conclusio: Physica est scientia speculatiua: ita Arist. 6. metap. cap. 10. &. 11. metap. cap. 6. & D. Tho. super Boecium de trinitate. q. 5. & est communis inter Philosophos. Ratione probatur; habitus speculatiuus *versatur circa obiectum formaliter speculabile, & cognoscibile*, & hæc est eius diffinitio; sed Physica est huiusmodi: ergo est speculatiua: probatur minor; nam Physica versatur circa ens mobile, quod est eius obiectum ipsum speculando, & demonstrando proprietates de ipso: ergo versatur circa obiectum formaliter speculabile.

Secundo probatur conclusio: omnis scientia est habitus speculatiuus, vt diximus q. 9. Proœmiali Logicæ; sed Physica est scientia, vt q. præcedenti ostensum est: ergo Physica est habitus speculatiuus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: scientia, quam habet Deus de rebus Physicis, & naturalibus est practica: ergo etiam scientia, quam habet de illis intellectus humanus.

Respondetur negando consequentiam; nam scientia Dei propter sui eminentiam est simul practica, & speculatiua, quia non solum est cognoscitiua rerum naturaliam, sed etiā est factiua, & operatiua earum; nam Deus cognoscendo operatur, & operando cognoscit, at verō scientia de rebus naturalibus, quam nos habemus est limitata, & solum est cognoscitiua, non autem operatiua.

Dices: ex eo scientia, quam habet Deus de rebus naturalibus dicitur practica, quia Deus res naturales operatur; sed etiam homo facit res naturales, vt cum alterum hominem generat: ergo etiam scientia, quam habet homo debet dici practica.

Respondetur negando maiorem:

scientia enim, quam habet Deus de rebus naturalibus, ex eo dicitur practica, quia est principium, & regula faciendi res naturales; nam per scientiam, quam habet Deus de ipsis ipsas operatur, res autem naturales nō fiunt ab homine per habitum Physicæ, vt satis constat, non enim per habitum Physicæ homo, hominem producit.

Dices: actiones intellectus, quæ sunt res naturales, & Physicæ, & de quibus disputatur in libris de anima fiunt à nobis per habitum Physicæ: ergo falsa est solutio: probatur antecedens: omnis habitus est causa efficiens omnium actionum, quæ tendunt ad obiectum talis habitus: ergo Physica est causa efficiens, & principium actionum intellectus, quæ versantur circa suum obiectum.

Respondetur negando consequentiam; nam quamuis actiones intellectus efficiantur ab habitu Physicæ, non tamen efficiuntur ab ipso quatenus sunt obiectum talis habitus, sed in quantum sunt medium ad cognoscendum suum obiectum: at verò Deus op. max. producit res naturales eas cognoscendo, & quatenus sunt obiectum diuinæ cognitionis.

Secundum argumentum: Philosophia naturalis versatur circa actiones voluntatis: ergo est practica: antecedens constat; nam in libris de anima agit Philosophus de potentijs animæ, quarum vna est voluntas, & de actionibus talium potentiarum: consequentia probatur; nam ex eo Philosophia moralis est practica, quia versatur circa actiones voluntatis: ergo etiam Philosophia naturalis erit practica propter eandem rationem.

Respondetur negando consequentiam: probationi negatur similiter consequentia; nam Philosophia naturalis versatur circa actiones voluntatis modo speculatiuo, contemplando videlicet earum naturam, & proprietates: Philosophia verò moralis versatur circa actiones volūtatis modo practico, docendo videlicet regulas quibus sunt ordinandæ, & regulandæ.

Tertium argumentum: medicina est pars Physicæ, vnde Arist. Physicam, & medicinam sorores appellat; sed medicina est practica: ergo etiam Physica.

Respondetur negando maiorem; non enim medicina est pars Physicę, cum hæc sit simpliciter speculatiua; medicina verò, sit simpliciter, & absolute practica, vt docet D. Tho. super Boecium de Trinitate q. 5. art. 1. & quamplures alij; potestque probari ex obiecto; nam obiectum medicinæ est practicum & operabile videlicet, corpus humanum, vt sanabile est, & etiam finis medicinæ est practicus; nam omnia, quæ fiunt in medicina ordinantur ad restituendam sanitatem, vocauit autem Arist. Physicam, & medicinam sorores; propter similitudinem, quam habent interse; nam quemadmodum medicina medetur corpori, ita Physica medetur animæ: Hinc Tulius in tusculanis Philosophiam vocat animi medicinam, vitæ

du-

ducem; tum etiam, quia plura docentur â Physica, quorum cognitio est maximè necessaria medico, quam ob causam dixit Arist. initio libri de sensu, & sensato, *vbi desinit Phasicus incipit Medicus.*

Dices: quædam pars medicinæ versatur in consideratione elementorum, humorum, & plantarum: ergo saltim hæc pars erit speculatiua.

Respondetur negando consequentiam; nam talis cognitio, vt traditur â medicina per se ordidatur ad opus, videlicet, ad causandã sanitatem: His adde, quod medicus disputat de illis mutuato munere â Philosophia naturali.

Quartum argumentum: Philosophia naturalis inclinat ad opus: ergo est practica. Probatur antecedens; nam per cognitionem rerum naturalium deuenimus ad cognitionẽ Dei Authoris, vt diximus in Prœmio; dum autem Deum cognoscimus ad ipsum amandum, & diligendum inclinamur: ergo Phisica inclinat ad opus.

Respondetur distinguendo antecedens: non enim Physica inclinat ad opus ex se, & natura sua tanquam ad proprium finem, sed secundario, & ex fine scientis, qui ipsam Philosophiam aliquando refert ad opus, videlicet ad amandum Deum. Iam verò habitus, non specificantur â fine externo, seu â fine scientis, sed solum â fine interno talis habitus.

Vltimum argumentum: Physica agit de rebus operabilibus, videlicet de rebus naturalibus, quæ operabiles sunt à nobis, vel saltim â Deo: ergo Physica est practica.

Respondetur distinguendo antecedens: agit de rebus operabilibus materialiter concedo: de operabilibus formaliter nego; non enim per habitum Physicæ res naturales operamur; iam verò, vt aliquis habitus dicatur practicus, non sufficit, quod agat de obiecto materialiter operabili, sed requiritur, quod sit operabile formaliter, vt diximus in Prœmialibus Logicæ.

QVAESTIO III.

Vtrum ens mobile sit obiectum Physicæ.

OBseruandum est primo: dupliciter aliquid dici mobile. Primo, per se, & ratione sui, quod nimirum habet in se naturam, ratione cuius mouetur, & hac ratione dicitur mobile totum compositum naturale, vt animal, vel homo. Secundo dicitur aliquid mobile, per accidens, quod videlicet mouetur ad motum alterius, vt partes, & accidentia, quæ mouentur ad motum totius, & subiecti, cui inhærent.

Obseruandum est secundo: quod mobile tripliciter vsurpari potest. Primo, pro mobile in actu, quod actu mouetur: secundo, pro mobili in potentia proxima: tertio, pro mobili pro radice, seu pro potentia remota, qua ratione ens mobile dicitur, *id quod habet naturam, à qua profluit mobilitas*; actualis mobili-

tas

tas est accidens commune; & contingens rei naturalis, mobilitas pro potentia proxima est proprietas quarto modo, mobilitas verò pro radice est essentia rei naturalis, sicut risibilitas pro radice est essentia hominis. Ens mobile absolute prolatum solum significat, ens, quod potest moueri; nam, vt docent Grammatici, nomina in *bilis, & bile*, non significant actũ, sed potentiam.

Obseruandum est tertio; quod multoties contingit simplices naturas, duobus vocabulis nominari: v. g. cum dicimus accidens commune, quamuis sint ibi duo vocabula, vna tamen simplex natura designatur, & similiter cum dicimus, ens rationis. Quamuis igitur ens mobile duobus nominibus exprimatur, est nihilominus quid simplex, & vnicum habet in mente conceptum.

Prima conclusio: ens mobile, quatenus est commune ad mobile per se, & mobile per accidens, non est obiectum Physicæ. Ita Magister Soto, & alij. Ratione probatur; si ens mobile, quatenus est commune ad mobile per se, & per accidens, esset obiectum Physicæ, principia, proprietates, & omnia accidentia entis naturalis continerentur sub obiecto Physicæ, tanquam partes subiectiuæ ipsius; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur: maior constat; nam principia, proprietates, & omnia accidentia entis naturalis, sunt mobilia per accidens; nam mouentur ad motum compositi, in quo sunt: ergo continentur sub ente mobili in communi: ac per consequens, si ens mobile in communi esset obiectum Physicæ omnia ista continerentur sub ipso tanquam partes subiectiuæ. Quod autẽ hoc sit falsum probatur; si proprietates continerentur sub obiecto Physicæ tanquam partes subiectiuæ, idem concluderetur de se ipso; sed hoc est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur: probatur sequela; proprietates, quæ demonstrãtur de obiecto adæquato etiam demonstrantur de partibus subiectiuis ipsius obiecti: v. g. proprietas, quæ concluditur de animali, etiam concluditur de homine: ergo si proprietates entis mobilis, essent partes subiectiuæ ipsius entis mobilis, proprietates entis mobilis concluderentur de se ipsis.

Secundo probatur conclusio: obiectum debet esse extra essentiam proprietatum, quæ de ipso concluduntur; sed ens mobile commune, ad mobile per se, & per accidens, non est extra essentiam suarum proprietatũ: ergo tale ens mobile, non est obiectũ Physicæ: probatur minor; nam proprietates, quæ concluduntur de ente mobile etiam sunt mobiles per accidens: ergo ens mobile in communi prædicatur essentialiter de illis: ergo non est extra essentiam illarum.

Secunda conclusio: obiectum adæquatum, & totale totius Physicæ est ens mobile per se, loquendo de mobilitate pro radice. Ita Arist. 6. metap. cap 1. vbi docet *obiectum Physicæ esse ens, quod habet in se naturale principium motus, & quietis*; sed hu-

huiusmodi est ens mobile per se : ergo vera est conclusio iuxta mentem Arist. eandem conclusionem tenent D. Tho. in prologo octo librorum Physicorum, Caietanus, Soto, Astudillo, Iabellus, & communiter omnes Thomistæ. Ratione probatur; illud est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, quod complectitur omnia, quæ in tali scientia tractantur; sed ita se habet ens mobile in Physica : ergo ens mobile est obiectum Physicæ: probatur minor; nam omnia de quibus disputat Physicus, vel sunt partes subiectiuæ entis mobilis, vt animal, & elementa, vel sunt causæ entis mobilis, vt Deus, qui est causa prima efficiens, vel sunt principia entis mobilis, vt materia, forma, & priuatio, vel sunt proprietates entis mobilis, vt motus, & quies : ergo ens mobile complectitur omnia, quæ tractantur in Physica.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum : ens mobile non complectitur omnia, quę tractantur in Physica : ergo non est obiectum Physicæ. Probatur antecedens, nam in Physica agitur de Deo, de Cœlo Empireo, & de terra, sed ista non sunt entia mobilia, cum nunquã moueantur: ergo ens mobile, non cõpletitur omnia, quæ tractantur in Physica.

Respondetur negando antecedẽs; probationi dico : quod licet Deus nõ contineatur sub ente mobili, tanquã pars subiectiua ipsius, falsum enim erit dicere Deus est ens mobile, continetur tamen, quatenus est prima causa efficiens cuiuslibet entis mobilis. Cælum autem Empireum, & terra continentur sub ente mobili tanquam partes subiectiuæ, verè enim dicimus Cœlum Empireum est ens mobile, & similiter terra est ens mobile, quamuis enim, non moueantur actu, possunt tamen moueri motu locali, & si extraherentur à suo loco naturali, mouerentur de facto, & naturaliter redirent ad ipsum.

Respondetur secundo : quod licet Cœlum Empireum, & terra non moueantur actu, motu locali, moueantur tamen motu alterationis ; nam Cœlum Empireum recipit splendorem, terra verò frigiditatem, & caliditatem, humiditatem, & siccitatem.

Secundum argumentum : de ente per accidens, non datur scientia ; sed ens mobile est ens per accidens : ergo ens mobile non est obiectũ scientiæ Physicæ. Probatur minor; quod componitur ex rebus diuersarum Cathegoriarum est ens per accidens; sed ens mobile componitur ex rebus diuersarum Cathegoriarum, videlicet ex ente, quod in nulla Cathegoria collocatur, & ex mobilitate, quæ pertinet ad Cathegoriam qualitatis: ergo ens mobile est ens per accidens.

Respondetur negando minorem: probationi negatur maior, nam etiã ex rebus diuersarum Cathegoriarũ, si sint ordinatæ, potest elici vnum ens per se, vt diximus, 1. post. cap. 24. quæst. 2.

Respondetur secundo, negando mi-

minorem; probationi etiam negatur minor; nam quamuis mobilitas pro potentia proxima sit qualitas, mobilitas tamen pro radice, non est qualitas, sed ratio formalis constitutiua entis naturalis. Ium verò ens mobile, quod est obiectum Physicæ est ens mobile pro radicé.

Tertium argumentum: Astrologia, & Theologia disputant de ente mobili, considerat enim Astrologus motum Cœlorum, & syderum. Theologus autem agit de motu Angelorum: ergo ens mobile non potest esse obiectum Physicæ, consequentia constat; namscientiæ constituuntur, & distinguntur per obiecta: ergo diuersæ scientiæ, non possunt esse de eodem obiecto.

Respondetur negando consequentiã; quamuis enim Astrologus, Theologus, & Physicus disputent de ente mobili, non disputant de ipso secundum eandem rationem formalem; nã Physicus agit de ente mobili, vt mobile est, & secundum rationes Phisicas, Astrologus autem disputat de te mobili secundum rationes Mathematicas, considerando videlicet durationem, æqualitatem, & proportionem motuum cœlestium. Theologus denique, non agit de ente mobili motu Physico, de quo loquimur in præsenti: motus enim Angelorum, non dicitur motus Physicus, sed Angelicus, & vt docet D. Tho. 1. p. q. 53. artic. 1. *moueri localiter æquiuocè dicitur de motu locali corporum, & de motu locali Angelorum.*

QVAESTIO IV.

Vtrum ens naturale; vel corpus mobile sint obiectum Physicæ.

Præsens quæst. magis procedit de modo loquendi, quam de re; nam secundum rem idem sunt ens mobile, ens naturale, & corpus mobile. Est tamen difficultas quod nam ex his melius exprimat naturam obiecti Philosophiæ naturalis.

Prima conclusio: magis proprié dicitur ens mobile obiectum Physicæ, quam ens naturale. Probatur conclusio; obiectum debet esse quid notius: sed notius est ens mobile, quã ens naturale: ergo magis proprie dicitur ens mobile obiectum Physicæ, quam ens naturale: probatur minor; nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed ens naturale cognoscitur per ens mobile: ergo, &c. quærenti enim; quid est ens naturale? bene responderemus dicendo, *est ens habens principium motus*: ergo ens naturale est ignotius nobis, quam ens mobile.

Secundo probatur conclusio: quod potest causare æquiuocationem im proprié assignatur obiectum alicuius scientiæ; sed ens naturale est maximè æquiuocum, & plures habet significationes: ergo ens naturale im proprie dicitur obiectum Physicæ: probatur minor; nam ens naturale dicitur, *quod non est violentum*, qua ratione albedo potest dici ens naturale: Præterea, quidquid non est super-

pernaturale, & hac ratione Angeli entia naturalia dicuntur; & denique significat ens naturale, id quod habet principium motus, & quietis, qua ratione idem est, quod ens mobile: ergo ens naturale æquiuocum est, & plures habet significationes.

Secunda conclusio: corpus mobile non est obiectū Physicæ: ita D. Tho. 1. Physi. lect. 1. Ratione probatur; inepte diceret aliquis, hominem rationalē esse obiectum alicuius scientiæ: ergo etiam inepte dicitur, quod corpus mobile est obiectum Physicæ: probatur consequentia; nam quemadmodum rationalitas est ratio essentialiter constitutiua hominis, ita mobilitas pro radice est ratio essentialiter constitutiua corporis naturalis, & Physicæ.

Secundo probatur conclusiu ratione D. Tho. Nulla scientia probat suum obiectum esse, saltim ex proprio munere, nam de subiecto scientiæ præcognoscendum est, an sit, vt diximus cum Arist. 1. post. cap. 1. sed Physica non supponit corpus mobile, sed probat: ergo corpus mobile non est obiectum Physicæ: probatur minor; nam Arist. 6. Physicor. tex. 22. demonstrat omne mobile esse corpus. Hæc ratio D. Tho. sic à Caietano exponitur, quando obiectum alicuius scientiæ est simplex præcognoscendum est, de tali obiecto, an sit, id est, an existat; si verò sit obiectum complexe significatū præsupponenda, & præcognoscenda est coniunctio partium tanquam radix proprietatum; sed in Physica non præsupponitur, tanquam certum mobile coniungi cum corpore; nam alioquin nō probaret Arist. omne mobile esse corpus, præsupponitur autem, omne mobile esse ens: ergo ens mobile, & non corpus mobile erit obiectum Physicæ.

Tertia conclusio; substantia sensibilis non est obiectum Physicę. Probatur; nam qui dicit substantiam sensibilem non exprimit præcipuā proprietatē, quæ demonstratur in Physica, videlicet motum, bene tamen, qui dicit, ens mobile: ergo ens mobile, & nō substātia sensibilis erit obiectum Physicæ.

Quarta conclusio: res generabilis, & corruptibilis, non est obiectū adequatū Physicæ. Probatur; nā in Physica per se agitur de Cœlo, & de Astris, sunt enim entia Physica ex materia, & forma cōposita; sed Cœlū, & Astra non sunt res generabiles, & corruptibiles: ergo res generabilis, & corruptibilis, non complectitur omnia, de quibus per se agitur in Physica. Potest etiam probari hæc conclusio; eadem ratione, qua probauimus præcedentem, quia videlicet, esse generabile, & corruptibile non est præcipua proprietas entis Physici.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam: ens naturale clarius exprimit radicem, & principium proprietatum Physicarum, quam ens mobile: ergo magis propriè dicitur, quod ens naturale est obiectum Phy-

ficæ, quam ens mobile: Probatur antecedens radix, & principium proprietarum Physicorum est natura, diffinitur enim natura: *principium motus, & quietis*; sed magis exprimitur natura, cum dico ens naturale, quam si dicam ens mobile: ergo ens naturale clarius exprimit radicè proprietatum Physicarum.

Respondetur negando antecedens, probationi dicitur; quod ens naturale clarius exprimit naturam, quam ens mobile, non tamen clarius exprimit radicem, & principium proprietatum Physicarum; nam iste terminus, *natura*, quam plura alia significat, vt docet Arist. 5. Metaphi. cap. 4. significat enim natiuitatem, & ortum rei viuentis; materiam cuiusque rei, tam proximam, quam remotam; formam, quæ materiam determinat, & essentiam cuiuslibet rei, in quo sensu dicitur, quod diffinitio explicat rei naturam, ideſt rei essentiam; significat etiam virtutem, & facultatem, quæ in plantis, arboribus, & animalibus reperitur. Melius igitur explicatur radix proprietatum Physicarum per ens mobile, quam per ens naturale; nam mobile expresse dicit principium motus, qui est præcipua proprietas inter omnes proprietates entis naturalis.

Secundum argumentum; qui dicit ens naturale exprimit motum, & quietem, nam natura est principium motus, & quietis; sed qui dicit ens mobile solum dicit motum, non tamen quietem: ergo magis propriè dicitur, quod ens naturale est obiectum Physicæ, quam ens mobile: probatur consequentia; nam motus, & quies sunt proprietates Physicæ: ergo illud, quod melius exprimit has proprietates magis propriè dicitur obiectum Physicæ.

Respondetur negando maiorem; cum enim ens naturale sit æquiuocum, & plura significet, dicendo ens naturale non exprimimus motum, & quietem; quemadmodum, qui dicit, canis, non exprimit canem domesticum, qui verò dicit ens mobile, saltim præcipuam proprietatem Physicam, videlicet motum designat.

Respondetur secundo negãdo minorem; cum enim quies contrarietur motui, & contrariorum eadem sit habenda ratio, eo ipso, quod per ens mobile exprimimus motum, etiam quodã modo exprimitur quies. Qui enim cognoscit motum facile cognoscit quietem.

Respondetur tertio, negando consequentiam; nam de ratione obiecti scientiæ non est, quod exprimat omnes, vel plures proprietates, sufficit enim, quod exprimat præcipuã. Iam verò per ens mobile exprimitur præcipua proprietas Physica; videlicet motus. His adde, quod ad rationem obiecti alicuius scientiæ, non requiritur, quod exprimat aliquam ex proprietatibus, quæ in tali concluduntur.

Tertium argumentum: ens naturale continet omnia, quæ in Physica tractantur: ergo est obiectum Physicæ.

Respondetur negando consequentiam

tiam; nam quamuis illud requiratur ad rationem obiecti, non tamen sufficit: quamuis itaque ens naturale contineat omnia, quæ tractantur in Physica, quia tamen est minus notum, quam ens mobile, & etiam est æquiuocum multas habens significationes, excluditur à ratione obiecti.

Dices: etiam ens mobile est æquiuocum, & plures habet significationes, extenditur enim ad ens mobile per se, & ad ens mobile per accidens, ad ens mobile Angelicum, & ad ens mobile Physicum: ergo hoc, quod est habere plures significationes, non impedit rationem obiecti.

Respondetur distinguendo antecedens: quamuis enim ens mobile apud Grammaticum sit commune ad omnia ista, non tamen apud Philosophos; nam vsu, & communi modo loquendo Philosophorum effectū est, vt ens mobile absolute sumptum solum stet pro ente mobili per se motu Physico.

Quartum argumentum: D. Tho. quandoque affirmat corpus mobile esse obiectum Physicæ: ergo fuit secunda conclusio.

Respondetur, quod cum secundum rem idem sit ens mobile, & corpus mobile, potest dici absolute, quod corpus mobile est obiectum Physicæ, loquendo secundum identitatem realem, semper tamen magis propriè dicitur, quod ens mobile est obiectum Physicæ, quam corpus mobile, & in hoc sensu procedit secunda conclusio.

Vltimum argumentum: corpus mobile, ens naturale, substantia sensibilis, & ens mobile idem prorsus significant: ergo sicut concedimus ens mobile esse obiectum Physicæ possumus etiam id ipsum concedere de aliis.

Respondetur negando consequentiam; nam quamuis omnia illa sint idem realiter: in modo tamen significandi maximè distinguntur, vt constat ex dictis; nam ens mobile, est notius nobis, & clarius exprimit proprietates Physicas. Sola autem distinctio in modo significandi est sufficiens, vt multa verificentur de vno, quæ de alio verificari nequeunt; verè enim dicimus de homine, quod est quid simplex, diffinitum, collocatum in recta serie Cathegoriæ, quæ tamen non possunt verificari de animali rationali; Tum etiam, animal rationale, est notius homine, cum sit hominis diffinitio, & tamen homo, & animal rationale, realiter sunt idē, & solum differunt in modo significandi.

Quæ diximus in hac quæstione de ente naturali intelligenda etiam sunt de corpore naturali, & de substantia naturali, & similiter, quę diximus de substantia sensibili, verificantur de ente sensibili, & de corpore sensibili.

QVAESTIO V.

Vtrum Physica sit vna secundum speciem.

OBservanda sunt maximè ea, quę diximus in Logica, 1. post. cap. 23. vbi cum Arist. egimus de vnitate scientiarum.

Sit conclusio: Physica, vt complectitur omnes sui partes, quas quęstione sequenti enumerabimus, est vna scientia secundum speciem infimam, ita, vt nn possit diuidi in plures Physicas specie distinctas: ita Masius, Soto, & alijs quam plures; & probatur; in primis ex communi modo loquendi, scientię enim Mathematicę, quia plures sunt secundum speciem semper in plurali numero nominantur, Physica autem naturalis semper in singulari, non enim dicimus Philosophię naturales: ergo signum est eam esse vnam scientiam secundum speciem.

Secundo probatur: vnitas specifica scientiarum desummitur ab vnitate obiecti formalis, seu rationis, sub qua, vt latè probauimus in Logica loco citato, sed Philosophia naturalis, quo ad omnes sui partes habet vnam rationem formalem sub qua vnitate specifica: ergo est vna scientia secundum speciem: probatur minor; nam ratio formalis sub qua obiecti Physicę est abstractio ab omni materia sensibili in singulari, non autem à materia sensibili in communi; sed talis abstractio est vna secundum speciem, & indiuisibilis in plures species: ergo Physica habet vnam rationem formalem secundum speciem. Probatur minor; nam hoc quod est esse abstractum à singularibus, non suscipit magis, vel minus, sed consistit in indiuisibili, non enim vna res est magis abstracta à singularibus quam altera.

Tertio probatur conclusio: vna, & & eadem scienda disputat de obiecto communi, & de partibus subiecti uis ipsius, si tamen omnia abstrahant à materia eodem modo; sed omnia de quibus disputat Physica, vel sunt ens mobile in communi, vel partes subiectiuæ ipsius, vel principia, vel proprietates: ergo Physica erit vna, & eadem scientia secundum vnitatem specificam.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: vnitas specifica scientiarum desumitur ab abstractione à materia; sed in Ppysica dantur quam plures abstractiones maximè distinctę interse: ergo etiam quam plures scientiæ: probatur minor; nam in libris de Cœlo Physicus abstrahit à motu generationis, & corruptionis, augmenti, & decrementi; nam Cœli de quibus ibi disputat Philosophus non generantur, nec corrumpuntur, non augentur, neque decrescunt, in libris autem, de ortu, & interitu, nõ abstrahit Philosophus ab his motibus, imó potius, per se disputat de ente generabili,

rabili, & corruptibili: ergo in Physica dantur diuersæ abstractiones.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus, quod licet ratio quæ, seu obiectum materiale librorum de Cœlo sit abstractum magis à pluribus motibus, quam obiectum librorum de ortu, & interitu, vt optime probat argumentum; nam in genere entis, magis est abstractum â motu Cœlum, quam ens generabile: attamen in genere scibilis, & quatenus est obiectum Physicæ æquali abstractione abstrahit obiectum librorum de Cœlo, & obiectum librorum, de ortu, & interitu; nam quemadmodum in libris de ortu, & interitu abstrahit Physicus â materia sensibili singulari, non autem â materia sensibili in communi: ita similiter abstrahit in libris de Cœlo. Solum itaque probat argumentum, quod obiectum librorum de Cœlo abstrahit à pluribus motibus, non autem magis abstrahit, quam obiectum librorum de ortu, & interitu.

Secundum argumentum: scientiu subalternata distinguitur specie â scientia non subalternata; sed scientia de Yride, quæ est pars Physicæ, subalternatur perspectiuæ, vt docet Arist. 1. post. aliæ autem partes Physicæ non subalternantur alicui scientiæ: ergo partes Physicæ distinguntur specie interse: & per consequens non erit Physica vna scientia.

Respondetur negando minorem: supponit enim falsum, quod scientia de Yride sit pars Physicæ, cum sit scientia quædam media inter Physicam, & Mathematicas: egit nihilominus Arist. in Metheoris de Yride, vt disp. de impressionibus Metheorologicis, quarum vna est Yris.

Respondetur secundo; distinguendo maiorem: solum enim est vera de subalternatione propria, & quoad omnes conclusiones; scientia autem, de Yride improprié, & secundum quid subalternatur perspectiuæ, videlicet, quantum ad euidentiam alicuius conclusionis.

Tertium argumentum: ens mobile, quod est obiectum Physicæ est multiplex specie: ergo etiam Physica erit multiplex, & non vna; nam scientiæ summũt vnitatem, ex obiecto: probatur antecedens; ens mobile Physicum est commune ad mobile corruptibile, qualis est homo, & mobile incorruptibile, qualia sunt corpora cœlestia; sed corruptibile, & incorruptibile differunt genere, vt docet Arist. ergo ens mobile est multiplex secundum speciem, imo etiam secundum genus.

Respondetur distinguendo antecedens; si enim intelligatur de ente mobili, in genere entis considerato, verum est; non autem est verum, si intelligatur de ente mobili, in genere scibilis considerato, cum enim omnia entia mobilia considerentur â Physico, vt stant sub eadem abstractione formali, hinc est, quod omnia entia mobilia in esse scibilis sũt eiusdem speciei: quemadmodum albedo, & nigredo in esse coloris distinguuntur specie, in esse autem visibilis sunt

eiusdem

eiusdem speciei; nam attinguntur â potentia visiua, vt sint sub eadem abstractione formali, videlicet sub luce. His adde, quod Arist. nomine generis intellexit materiam primam, vt diximus in Logica.

Quartum argumentum, contra secundam probationem conclusionis. Arismetica, & Geometria eodem modo abstrahunt â materia, videlicet â materia sensibili, non autē â materia intelligibili: similiter Logica, & Methaphisica eodem modo abstrahunt; nam vtraque abstrahit ab omni materia: & tamē omnes istæ scientiæ distinguntur specie interse: ergo vnitas scientiarum non desumitur ex vnitate abstractionis.

Respondetur negando maiorem: Arismetica enim, & Geometria diuersimode abstrahunt â materia; nā quamuis vtraque abstrahat à materia sensibili, & in hoc conueniant; attamen Arismetica abstrahit ab obiecto Geometriæ abstractione formali; nam numerus qui est obiectum Arismeticæ est veluti forma quantitatis continuæ, quæ est obiectū Geometriæ; nam materia numeri quantitatiui est quantitas continua; at verō Geometria non abstrahit ab obiecto Arismeticæ; quia id, quod est materia non abstrahitur â forma, sed é contra forma abstrahitur abstractione formali â materia. Distinguntur: ergo Arismetica, & Geometria, quia Arismetica abstrahit à materia sensibili, & etiam ab aliqua materia intelligibili, videlicet à quantitate continua: Geometria verō solum abstrahit à materia sensibili. De Logica autem, & Metaphisica dicimus etiam distingui propter diuersam abstractionem; nam quamuis vtraque abstrahat ab omni materia, nihilominus tamen talis abstractio conuenit obiecto Logicæ propter suam imperfectionem, obiecto autem Metaphisicæ propter suam perfectionem, vt diximus 1. potest. cap. 23.

Vltimum argumentum: abstractio â materia singulari, communis est omnibus scientijs, nam nulla scientia agit per se de singularibus: ergo talis abstractio non est ratio formalis constitutiua obiecti Physicæ: consequentia est euidens; nam ratio formalis constitutiua alicuius rei non potest alijs conuenire.

Respondetur ad antecedens; quod abstractio à materia, quæ est ratio formalis constitutiua obiecti Physicæ excludit qualitates sensibiles in singulari, includit tamen qualitates sensibiles in communi, & hæc abstractio, & immaterialitas ita est propria obiecti Physicæ, vt nulli alteri scientiæ possit conuenire.

QVAESTIO VI.

In qua aliquæ difficultates explicantur.

PRima difficultas est: an Philosophia naturalis sit prior, quam Metaphisica, & Mathematicæ?

Prima conclusio: loquendo de priori tate dignitatis, & perfectionis primus locus debetur Mathaphisicæ: secundus

cundus Physicæ, & vltimus Mathematicis; nam illa scientia est præstantior, & dignior, quæ agit de præstantiori obiecto, vt docet Arist. initio librorum de anima; sed Deus, & Angeli, de quibus agit Metaphisicus, sunt præstantiores omnibus alijs rebus: res autem naturales de quibus agit Physica, cum sint substãtiæ, sunt prestantiores quantitate, quę est obiectum Mathematicarum scientiarum: ergo primus locus erit tribuendus; Metaphysicę secundus, & tertius Mathematicis.

Secunda conclusio: loquendo de prioritate Doctrinę, & ordinis, quo istę scientię sunt docendę, & addiscendę, priores sunt Mathematicę, postea sequitur Physica, vltimo Metaphysica. Probatur conclusio; ordo Doctrinę postulat, vt à facilioribus, ad difficilia progrediamur; sed Mathematicę sunt faciliores, quam Physica; & Physica, quam Metaphisica: ergo iuxta ordinem Doctrinę supposito, quod omnes istę scientię essent addiscendę incipiendum esset à Mathematicis, postmodum traddenda esset Physica, & vltimo Metaphysica: probatur minor; nam vt docet Arist. 6. eticorum cap. 8. Mathematicę scientię sunt adeo faciles, vt à puero comparari possint: Hinc Plato. 7. lib. de republica præcipiebat, quod pueri primum instruerentur Mathematicis: ergo Mathematicę sunt faciliores: Insuper Physica agit de rebus materialibus, & sensibilibus, quę mansfestiores nobis sunt, quam res de quibus disputat Metaphysica: ergo Physica facilior est, quam Metha physica.

Secunda difficultas est: vtrum Physica sit necessaria ad alias sciẽtias comparandas?

Quamquam Philosophia naturalis, cum sit scientia speculatiua, non propter aliud, sed sui gratia expetenda, & querenda sit, ex ea tamen tres præcipuè proprietates colligũtur. Prima est intelligere rerum naturas, & causas, quod incredibilem adfert voluptatem: secunda, est cognoscere verum, probat enim Physica Deum esse vnum, infinitę virtutis, sapientissimum, vbique præsentem, & omnia gubernantem, quę quidem cognitio quam vtilis, & iucunda sit, vix mente concipi potest: tertia est, quod ipsa Physica, quamuis non sit simpliciter necessaria, est tamen necessaria secundum quid, & maximè vtilis ad quam plures alias sciencias comparandas; nimirum ad Astrologiam, quia agit de Cœlo, & Astris; ad prælpectiuam, quę agit de linea visuali, nam Physica disputat de lumine, & colore, quibus aliqua res visibilis efficitur; ad musicam, quę agit de numero sonoro, quia physicus in libris de anima de sono disputat; ad Medicinã, quia physicus disputat de mixtione elementorum, de herbis, plantis, & lapidibus, quorum cognitio maximè cõducit ad Medicinam: similiter ad Rethoricam; quia physicus præbet exẽpla naturalia, quibus possit Rethoricus suam exornare orationem; ad Philosophiam moralem, quia Physica agit de anima, & de eius potentijs,

tijs, & operationibus, quas dirigit, & regulat Philosophia moralis: ad Metaphysicam; quia in Physica agitur de primo motore, qui est Deus, & de corporibus cœlestibus, de quibus etiam disputat Metaphysicus: ad Diuinam denique Theologiam, quia sepe Theologus summit argumenta, ex rebus naturalibus, de quibus disputat Physica.

Tertia difficultas est: vtrum Physica alicui scientiæ subalternetur?

Respondetur negatiue, si de propria subalternatione fit sermo; nam si alicui scientiæ subalternaretur, maximè Metaphisicę; sed Metaphisicę non subalternatur: ergo nulli subalternatur: probatur minor; nam vt probauimus 1. post cap. 10. q. 3. nulla scientia subalternatur propriè Methaphisicę; nam obiectum scientię subalternatę debet addere differentiam accidentariam obiecto scientię subalternantis, & nihil se habet per additionem ad ens, quod est obiectum Methaphisicę, cum potius ens sit de intrinseco conceptu cuiuslibet rei.

Secundo probatur; nam scientia subalternata, non potest haberi sine subalternante, vt probauimus in Logica loco citato; sed Physica habetur sine Methaphisica, cum sit prior ordine Doctrinę: ergo Physica non subalternatur Methaphisicę.

Quarta, & vltima difficultas est, de origine, & Inuentore Philosophię naturalis.

Dico breuitur, propriè loquendo nullum fuisse inuentorem Philosophię naturalis, & idem esse dicēdum de inuentore Philosophię, quod diximus de inuentore Logicę, cum enim Deus. Op. Max. primum illum parentem Adamum, de limo terrę efformasset, atque in lucem edidisset, inter cœteras dotes, quibus eum ornauit contulit ipsi rerum naturaliū scientiam, & perfectam cognitionem: legimus enim in principio geneſis, adduxisse Deum ad Adam omnia animalia terrę, & volucres Cœli, quibus nomina imponeret, quod quidem commode prestare nō potuisset primus parens, nisi illorum naturas, & proprietates perfecte cognouisset: hic igitur primus homo sapientissimus, hanc sapientiam docuit Filios, sic quę cepit paulatim propagari, & continua successione ad nos vsquę peruenit, nos quę his dictis ad finem Procemialium quęstionum Physicę peruenimus.

COMENTARIA

COMMENTARIA IN OCTO LIBROS DE AVDITV PHYSICO.

PHILOSOPHIA naturalis, vt traditur ab Arist. in decem præcipuas partes distribuitur. In prima, quam agredimur interpretandam continentur, octo libri Physicorum, in quibus de rebus naturalibus in communi, & de communibus earum proprietatibus fit sermo. In secunda, traduntur quatuor libri de Cœlo. In tertia, duo libri de ortu, & interitu. In quarta, quatuor libri Metheorum. In quinta, tres libri de anima. In sexta, disputat Philosophus de his quæ omnibus animalibus sunt communia, videlicet de somno, & vigilia, de morte, & vita, de iuuentute, & senectute, & de alijs huiusmodi, & isti libri communiter appellantur parua naturalia. In septima, traditur liber de historia animalium. In octaua, de partibus animaliũ. In nona, de generatione animaliũ. In decima tãdẽ, de incessu, seu motu locali animaliũ; ego autẽ solũ quinq; partes attingã.

Deuenientes igitur ad primam partem; inscribuntur isti octo libri de Physico auditu, seu de naturali auscultatione, desumpta denominatione â materia de qua agitur, & â genere disputandi, agitur enim in illis de rebus Physicis, & naturalibus de quibus disputat Philosophus tam subtiliter, & acute, vt non possint percipi ea, quæ hic traduntur, nisi viua voce Magistri, & attenta discipulorum auscultatione percipiantur.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum ens mobile sit obiectum octo librorum Physicorum.

OBserua primo: quod vt diximus in procœmialibus Logicę, duplex datur obiectum; alterũ adæquatum, & totale, quod complectitur omnia; quæ in tali scientia traduntur; alterum verò inadæquatum, seu partiale, de quo solum agitur in aliqua parte ipsius scientiæ; v. g. obiectum

ctum adæquatum Logicæ est ens rationis, vniuersale autem formaliter & demonstratio sunt obiecta partialia; nam vniuersale est obiectum libri prædicabilium, & demonstratio est obiectum librorum de demonstratione.

Ex his constat; hanc quæstionem distinctam esse, a quæstione tertia præcedenti, vbi egimus de obiecto totali, & adæquato Physicæ. In præsenti autem loquimur de obiecto partiali, videlicet de obiecto horum librorum.

Obserua secundo: ens mobile, vt ad præsens attinet institutum, ttipliciter vsurpari posse: primo, quatenus abstrahit ab omnibus speciebus entis mobilis: secundo, pro singulis speciebus entis mobilis: tertio, vtroque modo simul; videlicet, pro ente mobili in communi, quatenus compredit omnes species entis mobilis.

Sit conclusio: ens mobile, primo modo vsurpatum; videlicet, vt abstrahit ab omnibus suis speciebus, est obiectum horum librorū; ita D. Tho. lect. 1. Physicæ, Magister Soto, Tolerus, Masius, & quam plures alij. Ratione probatur; nam in his libris demonstrantur proprietates, & principia, quæ conueniunt enti mobili in communi; in alijs autem partibus Physicæ explicantur proprietates alicuius speciei entis mobilis; v. g. in libris de Cœlo agitur de ente mobili motu locali, in libris de ortu, & interitu agitur de ente mobili, quod mouetur motu generationis, & corruptionis, augmentationis, vel alterationis: ergo obiectum horum librorum erit ens mobile, secundum communes rationes consideratum, & quatenus abstrahit ab omnibus speciebus entis mobilis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Idem non potest esse obiectum adæquatum alicuius scientiæ, & simul obiectum inadæquatum, & partiale eiusdem; sed ens mobile est obiectum adæquatum Physicæ: ergo non est obiectum partiale: ac per consequens non erit obiectum horum librorum.

Respondetur distinguendo maiorem; nam ens mobile, quod est obiectum adæquatum Physicæ est ens mobile in communi, quod complectitur omnes species entis mobilis; at verò ens mobile, quod est obiectum horum librorum est ens mobile in communi, vt abstrahit ab omnibus speciebus entis mobilis, & ab illis præscinditur.

Secundum argumentum: titulus, & inscriptio librorum desumitur ab obiecto; sed isti libri multoties inscribuntur ab Arist. de principijs rerum naturalium: ergo principia rerum naturalium erunt obiectum horum.

Respondetur negando maiorem: inscriptio enim, vel titulus librorum non semper desumitur ab obiecto imo potius interdū desumitur à principijs, vel à causis obiecti, vel à præcipua proprietate, quę demonstratur, sicut diximus de libro prædicabiliū:

ist

ísti autem libri inscribuntur aliquando ab Arist. de principijs rerum naturalium; quia multa de his principijs in hoc opere tractantur, vt constabit ex infra dicendis.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

IN hoc primo libro, in quo sunt cap. nouẽ, agit Arist. de principijs rerum naturalium: tum ex sententia veterum, quos reprehendit, tum etiam ex propria sententia explicans tria illa prima principia; videlicet materiam, formam, & priuationem; quæ omnia in hoc distico continentur.

Arguit antiquos, rerum primordia quærit.
Materiam, formam, debile principium.

CAPVT PRIMVM.

DE METHODO OBSERVANDA in Philosophia naturali.

ANtequam Arist. rerum naturalium disp. agrediatur agit de methodo obseruãda in tradenda Physica; vnde hoc primum caput, est quasi proœmium totius Philosophiæ naturalis, diuiditurque in duas partes, quarum quælibet vnicam continet conclusionem.

Prima conclusio: inchoanda est Physica à disputatione principiorũ, causarum, & elementorum. Probatur; omnis cognitio, & scientia ha-

bens principia, vel causas, vel elementa ab istorum cognitione incipienda est; sed in Physica dantur principia, causæ, & elementa: ergo inchoanda est Physica à disputatione istorum: maior probatur; nam vt dicitur 1. post. tex. 1. *tunc aliquid nos cognoscere existimamus, quando eius principia, & causas vsque ad prima elementa cognoscimus.*

Secunda conclusio: in disputatione horum principiorum ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia progrediendum est. Probatur conclusio; à facilioribus, & notioribus nobis, progrediendum est ad notiora natura (neque enim eadem sunt nobis, & natura nota;) sed vniuersaliora sunt notiora nobis: ergo ab vniuersalioribus incipiendum est: probatur minor, ratione, & tribus exemplis; ratio est huiusmodi: confusiora sunt notiora nobis; sed vniuersalia sunt confusiora minus vniuersis, quia partes continent, & varias naturas suo ambitu complectuntur: ergo vniuersaliora sunt notiora nobis.

Primum exemplum est de toto integrali: facilius enim cognoscitur domus v. g. quam eius partes: secundum est de toto diffinibili: prius enim cognoscitur totum diffinibile, quam partes diffinientes, vt homo prius, quam animal, & rationale: tertium exemplum est de cognitione puerorum, qui prius omnes viros vocant Patres, & omnes fœminas Matres, succesu vero temporis grandiores effecti, Patrem, & Matrem ab aliis hominibus distinguunt: ergo vniuersaliora sunt notiora nobis.

Obseruationes circa textum.

OBserua primo, cum D. Tho. circa probationem primæ conclusionis in qua vtitur Arist. his duobus vocabulis, cognitio, & scientia, quod nomine cognitionis intelligitur diffinitio; nam diffinitio tanquã ex elementis, & causis componentibus constat genere, & differentia; nomine verò scientiæ intelligitur cognitio demonstratiua, & scientifica; cũ enim scientia sit cognitio rei per causam, ad cognitionem scientificam præcognoscendæ erunt causæ. Magister Soto nomine cognitionis intelligit notitiam primorum principiorum; nam vt cognoscam omne totum esse maius sua parte, præcognoscẽdum est quid sit totum, & quid sit pars.

Obserua secundo: illa tria vocabula principia, causæ, & elementa nõ significare eandem rem; nam, vt ait D. Tho. nomine principiorum intelligitur causa efficiens: hæc enim diffinitur; *primum principium à quo procedit motus*: nomine causæ designantur forma, & finis, quæ inter causas primum tenent locum; denique nomine elementi designatur materia prima; nam elementum illud dicitur, ex quo aliquid fit, quod etiã conuenit materiæ primæ.

Obseruat etiam idem D. Tho. con-

consulto Arist. dixisse cum disiunctione: principia, vel causas, vel elementa; quia non omnes scientiæ procedunt simul per principia, causas, & elementa, idest per omnia genera causarum; nam Mathematicæ solum procedunt per causam formalem, Metaphisica per efficientem, finalem, & formalem. Physica verò omnia quatuor genera causarum considerat.

Obserua denique: hunc esse legitimum sensum secundæ conclusionis: in cognoscendis principijs, hic ordo seruandus est, quod prius cognoscantur attributa vniuersaliora ipsis principijs conuenientia, quam attributa minus vniuersalia; quemadmodum in cognitione hominis, prius cognoscitur ens; Deinde substantia; postea corpus; & sic de alijs attributis, descendendo semper ab vniuersalioribus, ad minus vniuersalia.

QVESTIO PRIMA.

Vtrum ad perfectam cognitionem alicuius rei sint prius cognoscendæ omnes eius causæ.

OBserua primo: quod causa est duplex, vt dicemus libro sequenti; alia est causa per se, *à qua effectus per se dependet, ita vt non possit producit talis effectus nisi à tali causa*, & hac ratione dicitur vnus homo causa efficiens alterius hominis: alia est causa per accidens, *à qua effectus non per se, sed per accidens dependet*, & hac ratione Musicus dicitur causa domus, accidit enim domui, quod à musico ædificetur.

Præterea causæ per se sunt in duplici differẽtia: aliæ sunt causæ subordinatæ, quarum vna dependet ab alia in causando; v. g. ad productionem hominis, dicuntur causæ subordinatæ homo generans, Cœlum, & Angelus; nam homo dependet à Cœlo in causando, Cœlum dependet ab Angelo Cœlos mouente, & Angelus denique dependet à Deo, qui est prima causa. Aliæ sunt causæ non subordinatæ, quarum vna in actuali operatione non dependet ab altera, vt homo, & leo; non enim homo subordinatur leoni, vel, é contra.

Obserua secundo; quod cognitio est duplex alia comprehensiua, & alia non comprehensiua. Cognitio comprehensiua *est qua aliqua res cognoscitur, quantum in se cognoscibilis est*, cognoscendo vt scilicet omnes causas, & omnia attributa ipsius rei; tum etiam omnes effectus quos producere potest, & omnes perfectiones, quæ in potentia naturali ipsius continentur, & hanc cognitionem habet

habet Deus Op. Max. de qualibet re: cognitio non comprehensiua dicitur *qua aliquid cognoscitur, non tamen quantum in se est cognoscibile*, & hæc cognitio est duplex: alia dicitur perfecta simpliciter: alia verò perfecta secundum quid, & in aliquo genere, cognitio perfecta simpliciter, & in omni genere, est *qua cognoscimus aliquam rem, secundum omnia attributa, quæ ei actualiter conueniunt*: cognitio perfecta secundum quid, seu in aliquo genere est *qua cognoscitur aliqua res secundum attributa, quæ ei conueniunt in aliquo genere*: v. g. cognitio, qua cognoscimus omnia attributa, quæ conueniunt homini, pro vt est ens mobile, dicitur cognitio perfecta secundum quid, & in aliquo genere, videlicet in genere Physico.

Discrimen reperitur inter cognitionem comprehensiuam, & cognitionem simpliciter perfectam; nam vt cognitio sit perfecta simpliciter sufficit, quod per eam cognoscamus omnia attributa, quæ actualiter conueniunt rei cognitæ: Ad cognitionem verò comprehensiuam non sufficit attributa actualia cognoscere, sed etiam sunt cognoscendi omnes effectus producibiles â tali re.

Præterea: cognitio perfecta in aliquo genere duplex est: alia dicitur simplex, & diffinitiua, quæ habetur per diffinitionem rei; & alia dicitur complexa, & scientifica, quæ habetur per demonstrationem. Tandem cognitio diffinitiua subdiuiditur in essentialem, quæ habetur per diffinitionem essentialē; & accidentariam, quæ habetur per diffinitionem discriptiuam, seu accidentariam.

Prima conclusio: ad perfectam cognitionem alicuius rei non est necesse cognoscere causas per accidens: Probatur; nam sicut se habet res ad esse, ita etiam ad cognosci, sed res ad essendum non dependet à causis per accidens, vt constat: ergo neque etiam, vt cognoscatur.

Secundo probatur conclusio: causæ per accidens sunt innumerabiles, & fere in finitæ: ergo non possunt certa mentis notitia cognosci.

Secunda conclusio: ad cognitionem comprehensiuam alicuius rei, cognoscendæ sunt omnes eius causæ, tam intrinsecæ videlicet materia, & forma, quam extrinsecæ; videlicet efficiens, & finis: cognoscendi sunt etiam omnes effectus producibiles â tali re, & omnes perfectiones, quæ in potentia naturali talis rei continentur: Probatur; nam cognitio comprehensiua postulat, vt cognoscatur res quantum ipsa in se cognoscibilis est; sed res est cognoscibilis per omnes causas, â quibus actu dependet, & per effectus, & perfectiones, quæ sunt in potentia ipsius: ergo vera est conclusio.

Tertia conclusio: ad cognitionem perfectam secundum quid, seu in aliquo genere, sufficit cognoscere omnes causas, siue internas, siue externas, quæ in illo genere considerantur; v. g. ad habendam perfectam notitiam numeri in genere Mathematico sufficit cognoscere causam formalem

malem numeri; quia sola causa formalis à Mathematico consideratur. Probatur conclusio ratione ducente ad incommodum: nam si Mathematicus; v. g. ad perfectam cognitionem numeri deberet cognoscere causam materialem efficientem, & finalem, deberet etiam extra proprios limites, & res sibi subiectas diuagari, alioquin nō haberet perfectam notitiam sui obiecti; sed hoc est absurdum; nā quælibet scientia cum speculatiua sit, est perfecte cognoscitiua sui obiecti: ergo vt Mathematicus habeat notitiam numeri sufficiet cognoscere causam formalem per quam solum modo demonstrat Mathematicus: maior constat; nam Mathematicus, vt modo supponimus per solam causam formalem demonstrat: ergo si ad perfectam notitiā sui obiecti debet cognoscere omnes causas, debet ægredi à propriis limitibus Mathematicę. Idē argumentum effici potest proportionabiliter de alijs habitibus intellectus.

Vltima conclusio: ad cognitionem perfectam simpliciter, & in omni genere, cognoscendæ sunt omnes causę, tam intrinsicæ, quam extrinsicæ, à quibus dependet res cognita, Iuxta sensum huius cōclusionis. Dixit Arist. in hoc capite: *Tunc nos aliquid cognoscere existimamus: quando eius principia, & causas, vsque ad prima elementa cognoscimus.* Probatur conclusio; nam ad habendam cognitionem perfectam simpliciter, & in omni genere, cognoscenda sunt omnia attributa actualia, quæ conueniunt rei cognitæ, vt diximus in secunda obseruatione: ergo ad perfectam cognitionē simpliciter cognoscendæ erunt omnes causæ, à quibus res cognita actualiter dependet.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: contra vltimam, de homine habetur perfecta cognitio; & tamen non cognoscuntur omnes causæ ipsius: ergo ad cognitionem perfectam alicuius rei non sunt cognoscendæ omnes causæ. Probatur minor; infinitum secundum numerum non est cognoscibile à nostro intellectu; sed causæ efficientes, à quibus homo dependet, iuxta sententiam Arist. vt videbimus in octauo Physicæ, mundus fuit ab æterno, & nunquam habuit suæ durationis initium: ergo infiniti homines generantes præcesserunt hominem hoc tempore genitum, ac per consequens erunt infinitæ causæ efficientes ipsius hominis.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus, quod Arist. mūdi æternitatem concedens errauit; docet enim fides diuina, mundum in tempore conditum esse, habuisse quæ suæ durationis principium, vt dicimus in 8. lib. Physicorum; quamuis autem vera esset sententia Arist. in hac parte, nihil concluderet argumentum contra conclusionem; nam Pater v. g. in actuali generatione Filij nō dependet ab Auo, neque Auus à Proauo, neque Filius in actuali causatione dependet à Patre, ac

per

per consequens Filius, Pater Auus, & Proauus non sunt causæ subordinatæ. Iam verò ad perfectam notitiam alicuius rei non sunt cognoscendæ plures causæ efficientes nisi sint subordinatæ, & mutuam interse dependentiam habentes.

Secundum argumentum: per diffinitionem essentialem perfecte cognoscitur natura alicuius rei; sed diffinitio essentialis non traditur per omnes causas, sed solum per causas intrinsecas: ergo ad cognitionem perfectam alicuius rei non est necesse, vt cognoscantur omnes causæ.

Respondetur distinguendo maiorem: si enim intelligatur de cognitione perfecta in aliquo genere, vera est: si verò de cognitione perfecta simpliciter, falsa est. Iam verò, vltima conclusio loquitur de cognitione simpliciter perfecta.

QVAESTIO II.

Vtrum eadem sint nobis, & natura notiora.

OBserua primo; quod cum omnis nostra cognitio ortum habeat à sensibus illud est notum nobis, quod est sensibile, & illa dicuntur notiora nobis, quæ sunt sensibus vicinio ra; illa verò dicuntur minus nota nobis, quæ à sensibus nostris sunt remota. Hinc res materiales, & corporeæ notiores nobis sunt, quam res spirituales, & incorporeæ, colligitur hæc Doctrina ex Arist. 1. post. cap. 1.

Obserua secundo; tripliciter dici aliquid notius natura, id est secundum suam naturam: primo, quia est perfectius, & nobilius, id verò perfectius dicitur, quod est magis ens, & in actu, & in hoc sensu dixit Arist. 2. Metap. cap. 2. Angelos, & alia entia nobilissima esse naturaclarissima, id est notiora secundum naturam. D. etiam Tho. in hoc loco, hac ratione probat ea, quæ sunt magis entia, & in actu esse notiora, secundum suam naturam: nam quidquid cognoscitur, sub ratione entis cognoscitur: ergo quo aliquid est magis ens, eo est notius secundum suam naturam: ergo quod est magis ens, est magis cognoscibile.

Secundo dicitur notius secundum suam naturam; id sine quo aliud cognosci non potest, in quo sensu partes sunt notiores secundum suam naturam, quam totum; quia totum non potest perfecte cognosci, quin prius cognoscantur partes. Tertio, dicitur notius secundum naturam id quod est causa à qua aliud dependet, id verò quod dependet est minus notum secundum suam naturam.

Prima conclusio: non semper ea, quæ sunt notiora nobis sunt etiam notiora natura, iuxta sensum huius conclusionis. Loquitur Arist. in hoc capite, vt animaduertit Magister Soto. Probatur conclusio, nam Deus, & Angeli sunt maximè noti secundum suam naturam; nam sunt entia perfectissima, & tamen non sunt notiores nobis, cum non sint perceptibiles sensu: ergo non semper eadem sunt nobis, & natura notiora, & tamē non

sunt

sunt notiores nobis, cum non sint perceptibiles sensui: ergo non semper eadem sunt nobis, & natura nota.

Secundo probatur conclusio: omnis causa notior est secundum naturam, quam effectus, vt diximus in secunda obseruatione: & tamen multi effectus sunt notiores nobis quã causæ: ergo non sunt eadem nobis, & natura nota: probatur minor; nam motus rerum sublunarium est notior nobis, quam motus corporum Cœlestium, & tamen motus corporum Cœlestium est causa omnium motuũ sublunarium.

Secunda conclusio: multoties contingit eadem esse notiora nobis, & notiora secundum suam naturam. Communis, est conclusio. Ratione probatur; nam omne totum est notius secundum naturam quam partes, & etiam est notius nobis, quam partes: ergo contingit eadem esse notiora nobis, & natura: probatur antecedens; totum est perfectius, quam partes; sed quod est perfectius est notius secundum naturam: ergo totum est notius, natura, quam partes. Praeterea totum est vniuersalius, quam partes; sed vniuersaliora sunt notiora nobis, vt ait Arist. in hoc capite: ergo totum est notius nobis quam partes.

Secundo probatur conclusio: substantia sensibilis; v. g. homo est notior secundum naturam, quam accidentia, & etiam est notior nobis: ergo contingit eadem esse notiora nobis, & natura. Probatur antecedens substantia est perfectior accidentibus; ergo est notior secundum naturam, quam accidentia. Insuper substantia sensibilis magis percipitur sensu quam accidentia; nam substantia sensibilis percipitur, vt quod, accidentia vero, vt quo; quam propriè loquendo color non est id quod videtur, sed id quo substantia sensibilis videtur: ergo substantia sensibilis est notior nobis quam accidentia.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam obseruationem, quæ sunt affiniora nostro intellectui sunt notiora nobis, vt de se constat, sed immaterialia, & incorporea sunt affiniora nostro intellectui, quam materialia, & sensibilia: ergo falso diximus in prima obseruatione, quod materialia, & sensibilia sunt notiora nobis. Probatur minor; intellectus noster est potentia spiritualis immaterialis, & insensibilis: ergo spiritualia, & immaterialia sunt affiniora, & similiora nostro intellectui.

Respondetur distinguendo maiorem: dupliciter enim potest considerari intellectus noster: primo, in ratione entis absolute: secundo, in ratione talis entis, videlicet, quatenus est potentia cognoscitiua in homine existens, quæ sunt affiniora, & similiora intellectui in ratione entis considerato non sunt notiora nobis. Iam verò, cum nostra cognitio ortum habeat à sensibus, & nihil sit in intellectu, quod prius non exisserit in sensu inde sequitur, quod sensibilia, & materia-

terialia sunt affinniora nostro intellectui, quam res imateriales, & spirituales.

Secundum argumentum, contra rationem, qua D. Tho. probat; ea, quæ sunt magis entia esse notiora secundum naturam, quam quidem rationem adduximus in secunda observatione, in simili forma datur antecedens verum, & consequens falsum: ergo prædicta ratio est nulla. Probatur antecedens: in hoc entimemate, res numerantur sub ratione numeri: ergo maior numerus magis numeratur: antecedens est verum, & consequens est falsum; nam ita recte, imo facilius numeratur, minor numerus, quam maior numerus: ergo non valet quidquid cognoscitur sub ratione entis cognoscitur: ergo quod est magis ens, magis est cognoscibile.

Respondetur negando antecedens: probationi dico, rationem D. Tho. habere verum, in his quæ suscipiunt magis, & minus, bene enim valet paries est visibilis, quia est coloratus, & lucidus: ergo quod est magis coloratum, & lucidum, est magis visibile; cum igitur ens suscipiat magis, & minus, & vna res dicatur magis ens, quã alia, quia est magis in actu, optimè procedit ratio D. Thomæ, loquendo de ente: numerus autem cum sit quantitas non suscipitit magis, vel minus; ac per consequens, non valet argumentum loquendo de numero.

Argumenta, quæ conclusiones effici possent ex eisdem conclusionibus facilime diffoluuntur.

QVAESTIO III.

Vtrum vniuersalia sint notiora nobis.

QVæstio præsens, non procedit de cognitione sensitiua; nam sensus solum percipit singularia; sed de cognitione intellectua, quæ vt ad præsens attinet institutum duplex est, alia distincta, & alia confusa distincta est, qua cognoscimus totum cognoscendo distincte omnes eius partes: cognitio confusa est, qua cognoscimus totum non cognitis distincte eius partibus. Cognitio confusa est medium per quod tendimus ad cognitionem distinctam, cum enim natura semper ab imperfecto ad perfectum procedat: hinc est, quod in ordine nostræ cognitionis procedimus à cognitione confusa, ad cognitionem perfectam, ac per consequens inter ignorantiam rei, & cognitionem perfectam ipsius mediat cognitio confusa.

Obserua secundo: in præsenti quæstione, nomine vniuersalis, non esse intelligendum, vniuersale formaliter de quo late egimus in Logica: cum enim hoc vniuersale sit ens rationis posterius cognoscitur quam ens reale; nam ens rationis per speciem entis realis cognoscitur: hinc dicebat Arist. 1. de anima cap. 1. vniuersale, aut nihil est, aut posterius. Procedit igitur difficultas, de vniuersali materialiter, ideſt de natura reali, quæ potest denominari vniuersalis: v. g. de homine, & de animali.

Obser-

Obserua tertio : huiusmodi vniuersalia dupliciter considerari posse: primo, vt sunt tota quædam actualia, qua ratione continent omnia attributa superiora essentialia, tãquam partes actuales, ex quibus actu componuntur : v. g. animal, vt est totum actuale solum dicit hoc, quod est esse substantia, corp. &c. Secundo possunt considerari, vt sunt tota quædam potentialia, seu vniuersalia, & hac ratione referuntur ad partes subiectiuas, quas continent in potentia, & de quibus prædicari possunt: v. g. idem animal, respectu hominis, & bruti, quæ sunt species ipsius, dicitur totum potentiale, seu vniuersale.

Obserua quarto : singularia, seu indiuidua esse intriplici differentia: alia sunt indiuidua entis, vt hoc ens; alia indiuidua generica, vt hæc substantia, hoc corpus; alia denique sunt indiuidua specici in finitæ : v. g. hic homo, seu Petrus.

Prima conclusio : loquendo de cognitione confusa vniuersalia sunt notiora nobis, quam minus vniuersalia : ideſt facilius, & citius cognoscuntur : communis est conclusio, & iuxta sensum ipsius loquitur Arist. in hoc capite. Ratione probatur ; illud vniuersale est notius nobis cuius singulare, & indiuiduum fortius mouet nostres sensus, sed singularia rei vniuersalioris fortius mouent sensus, quam singularia rei minus vniuersalis : ergo vniuersaliora sunt notiora nobis : maior constat ; nam omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus, & nihil est in intellectu, quod prius non exisserit in aliquo sensu, quam ob rem dicebat Arist. 1. poll. cap. 14. *sublato sensu, non posse nos comparare scientias* : ergo vera est maior : minor autem probatur: illud agens fortius opperatur, quod agit ex distantiori, & remotiori loco: v. g. ignis maior, ex remotiori loco calefacit, quam ignis minor, sed singularia, & indiuidua rei vniuersalioris, ex distantiori loco afficiunt nostrum sensum, & sensibus percipiuntur: ergo huiusmodi indiuidua fortius mouent sensus : probatur minor experientia, per sæpe enim contingit, quod aliquid à longe videntes cognoscimus esse substantiam corp. non autem cognoscimus, an sit viuens; postea autem appropinquantes illi, & videntes, quod mouetur localiter cognoscimus esse animal, non autem quod nam animal sit, & tandem magis appropinquantes cognoscimus esse hoc animal : v. g. Leonem: ergo prius cognoscimus esse hoc corpus, quam esse, hoc animal, & prius cognoscimus esse hoc animal, quam hunc Leonem : ergo indiuiduum rei vniuersalioris ex remotiori loco percipitur sensu.

Secunda conclusio : loquendo de cognitione distincta, & perfecta si vniuersaliora considerentur, vt sunt tota quædam actualia, prius cognoscuntur à nobis, quam minus vniuersalia : si vero vniuersaliora considerentur, vt sunt tota quædam potentialia, prius cognoscuntur distincte minus vniuersalia: probatur conclusio : cognitio distincta totius pendet

ex cognitione distincta partium: ergo partes prius debent cognosci distincte, quam cognoscatur distincte totum; sed vniuersaliora, vt sunt tota quæ iam actualia sũt partes actuales minus vniuersalium: ergo secundum istam rationem prius cognoscuntur distincte, quam minus vniuersalia. Præterea si vniuersaliora considerentur, vt sunt tota quæ iam potentialia, minus vniuersalia sunt partes rei vniuersalioris: ergo secundum istam rationem prius debent cognosci distincte minus vniuersalia, quam vniuersaliora. Animal itaque: v. g. respectu hominis est totum, & est pars, est enim totum potentiale, & etiam est pars actualis secundum diuersam considerationem: quatenus igitur est pars prius debet cognosci distincte quam homo: quatenus verò est totum prius debet cognosci distincte homo, quam animal, & idem prorsus de quolibet vniuersali dicendum est.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam: partes diffinientes vniuersaliores sunt, quam diffinitum, vt docet Arist. 2. post. cap. 14. v. g. animal, quod est pars diffinitionis hominis vniuersalius est, quam homo, sed partes diffinientes, non sunt notiores nobis, quam diffinitum: ergo vniuersaliora non sunt notiora nobis: probatur minor; nam expresse docet Aristoteles in hoc capite; totum diffinibile esse notius nobis, quam partes diffinientes.

Respondetur distinguendo maiorem: partes enim diffinientes, dupliciter considerari possunt: primo, formaliter, vt sunt partes actuales rei diffinitæ, & sic sunt minus vniuersales, quam diffinitum, & minus notæ nobis, secundum cognitionem confusam, & in hoc sensu dixit Arist. quod totum diffinibile est notius nobis, quam partes diffinientes: secundo possunt considerari partes diffinientes, materialiter, quatenus vi felicet, alioquin sunt tota quæ iam potentialia, & hac ratione contingit partes diffinientes vniuersaliores esse, quam totum diffinitum, animal, vt est pars diffiniens ipsum hominem est minus vniuersale, quam homo, nam solum dicit sub tantiam corpoream &c. homo verò præter ista attributa dicit rationalitatem: quatenus verò animal dicit hominem, & brutum vniuersalius est, quam homo, vt sic autem non est pars hominis.

Secundum argumentum: diffinitio est instrumentum sciendi, & cognoscendi, sed facilius diffinitur singulare, & minus vniuersale, quam magis vniuersale, vt docet Arist. 2. post. cap. 15. ergo etiam facilius cognoscitur minus vniuersale: ergo vniuersaliora non sunt notiora nobis.

Respondetur, quod duplex datur methodus inueniendi diffinitiones: alia qua procedimus à superioribus, ad inferiora dividendo, quam quidem methodum: explicuimus cũ Arist. 2. de demonstratione cap. 14.

alia

alia methodus est qua ab inferioribus ad superiora ascendimus; contemplamur enim inferiora, & relictis illis quæ sunt propria vniuscuiusque vsurpamus communia in quibus omnia inferiora conueniunt, & ex his attributis communibus efficitur diffinitio rei superioris. Quãdo igitur Arist. dixit minus vniuersale facilius diffiniri, quam magis vniuersale: loquitur de diffinitione hoc secundo modo; nam loquendo de diffinitione iuxta primam methodum facilius est diffinire vniuersaliora, quam minus vniuersaliora: iam verò prima methodus inuestigandi diffinitiones præstantior, & certior est, quam secunda, ac per consequens absolute dicemus, quod vniuersaliora facilius diffiniuntur.

Tertium argumentum: confusiora, idest quæ plures continent partes, vt ait Arist. sunt notiora nobis; sed minus vniuersalia sunt confusiora, quam magis vniuersalia; ergo sunt notiora nobis, quam magis vniuersalia. Probatur minor; nam minus vniuersalia plures continent partes, quã vniuersaliora; v. g. homo plures continet partes, quam animal; nam partes animalis sunt substantia, corporea, animata, sentiens, partes verò hominis sunt substantia, corporea, animata, sentiens, rationalis: ergo minus vniuersalia confusiora sunt.

Respondetur negando minorem, probationi distinguimus antecedens: si enim intelligatur de partibus actualibus, verum est; falsum autem de partibus potentialibus, seu subiectiuis. Iam verò totum actuale formaliter sumptum non dicitur totum confusum, quia quamuis habeat plures partes sunt tamen inter se certo ordine dispositæ ita vt vna ponatur primo loco, & alia secundo, & sic de cæteris: Totum verò potentiale, seu vniuersale dicitur totũ confusum, quia eius partes subiectiuæ, & potentiales non seruant inter se certam methodum, non enim necesse est, vt enumerantes partes subiectiuas animalis incipiamus ab homine, vel leone, semper igitur vniuersaliora sunt confusiora; quia plures continent partes in ordinatè dispositas.

Quartum argumentum: quæ sunt familiariora sensibus sunt notiora nobis, vt diximus quæstione præcedenti; sed singularia sunt familiariora sensibus, quam vniuersalia; nam sensus est singularium: ergo singularia sunt notiora nobis, quam vniuersalia.

Respondetur ad maiorem; quod illa propositio, quæ sunt familiariora sensibus sunt notiora nobis, sic est intelligenda illud vniuersale est notius nobis secundum cognitionem intellectiuam, cuius individua sunt familiariora sensibus; cum igitur singularia, & individua rei vniuersalioris sint magis perceptibilia sensu, vt diximus in prima conclusione: hinc est, quod magis vniuersalia sunt notiora nobis. Hæc de hac quæstione.

✠

QVAES-

QVAESTIO IV.

Vtrum ens sit primum cognitum nostri intellectus.

CElebris est hæc quæstio; de qua variæ extant sententiæ, ex quibus omnibus, vt probabiliorem eligamus sciendum est, quod intellectus noster dupliciter considerari potest: primo, quatenus iam est ornatus multis habitibus intellectualibus: secundo, quatenus est potentia quædam naturalis incipiens cognoscere. Quæstio non procedit de intellectu nostro quatenus est informatus habitibus intellectualibus; nam sub. ista ratione potest noster intellectus pro sua libertate prius cognoscere id quod vult homo: procedit igitur quæstio de intellectu quatenus est potentia quædam naturalis quæ via originis incipit cognoscere.

Obserua secundo: quod, vt diximus, quæst. præcedenti obseruatione prima: cognitio confusa est medium inter ignorantiam, & cognitionem distinctam. Cum autem natura semper ab imperfecto, ad perfectum procedat, & intellectus noster sit potentia quædam naturalis, prius cognoscit aliquid cognitione confusa, quam cognitione distincta.

Prima conclusio: singulare non est primum cognitum nostri intellectus: ita Arist. qui cap. 5. huius libri docet, *quod sensus est singularium, & intellectus vniuersalium.* Ratione probatur; cognitio reflexa supponit cognitionem directã; sed singulare cognoscitur à nostro intellectu reflexe & non directe: ergo cognitio singularium, semper supponit aliam cognitionem: ergo singulare non erit primum cognitum nostri intellectus: minor est D. Tho. 1. p. q. 86. art. 1. & probatur ratione, ea solum cognoscũtur directe à nostro intellectu, quæ habent proprias species intelligibiles in quibus representantur, sed singulare non habet propriam speciem intelligibilem in nostro intellectu: ergo non cognoscitur directe, sed reflexe à nostro intellectu. Probatur minor; si singulare haberet propriam speciem intelligibilem, vel esset producta ab intellectu agente, vel à potentia sensitiua, & obiecto exteriori; sed neutrum est dicendum: ergo singularia non habent propriam speciem intelligibilem in nostro intellectu. Probatur minor in primis, non est producta ab intellectu agente; nã intellectus agens producit species denudando phantasmata, & abstrahendo materiam communem à singularibus; vt in Logica explicuimus: ergo species producta ab intellectu agente non representat rem singularem. Præterea neque tális species potuit produci à potentia sensitiua, & obiecto exteriori; nam species intelligibilis debet esse spiritualis, cum recipiatur in intellectu, qui est omnino immaterialis & spiritualis; sed potentia sensitiua & obiectum sensibile, cũ sint causæ materiales, & sensibiles, non possunt immediatè producere rẽ spiritualem, & insensibilem: ergo talis

lis species non posset produci â potentia sensitiua.

Secunda conclusio: species infima non est primum cognitum nostri intellectus: hæc conclusio colligitur ex Arist. qui cap. 18. lib. 2. post. sic ait: *quando aliquod individuum se offert sensibus, tunc prius cognoscit vniuersum genus*; sed species infima non est vniuersũ genus, imo potius ab Arist. in libris posteriorum, multoties appelatur singularis: ergo species infima non est primum cognitum nostri intellectus.

Secundo probatur conclusio: quæ sunt magis confusa prius cognoscuntur â nobis, vt docuit Arist. in hoc cap. sed species infima non est confusior, quam genus, vel alia vniuersalia: ergo non prius cognoscitur. Probatur minor; illud vniuersalis dicitur confusius, quod habet sub se plures partes potentiales, vt diximus quæstione præcedenti in solutione tertij argumenti; sed genus; v. g. continet plures partes potentiales, quam species infima; ergo genus est confusius quam species infima: minor constat; nam animal; v. g. plures partes potentiales habet quam homo; nam potest prædicari directe de omnibus illis, de quibus prædicatur homo, & præter hoc potest prædicari de homine, & leone.

Tertio probatur conclusio: vniuersaliora sunt notiora nobis, & prius cognoscuntur cognitione confusa quam minus vniuersalia; sed species infima non est vniuersalior, quam genus, sed ê contra: ergo species infima non erit primum cognitum nostri intellectus.

Tertia conclusio: primum cognitum nostri intellectus est ens: ita D. Tho. 1. p. q. 85. art. 3. & in comentarijs huius cap. & initio libri de ente, & essentia, Caietanus, Capreolus, Ferrariensis, Astudillo, Iandunus, Soto, Soncinas, & alij quos refert, & sequitur Massus in hac quæst. Ratione probatur; imperfectum via originis prius est, quam perfectum, vt docet Arist. 9. Metaph. tex. 5. natura enim semper procedit ab imperfecto, ad perfectum, vt constat in productione hominis, qui prius viuit vita plantæ, postea animalis, & tandem vita hominis, sed intellectus est potentia naturalis: ergo conceptus imperfectissimus erit prior in nostra cognitione, sed conceptus confusus entis est omnium imperfectissimus: ergo erit prior conceptus qui habetur â nostro intellectu; & per consequẽs ens erit primum cognitum. Probatur minor; ens est imperfectius omnibus rebus, & nihil minus possumus cogitare de aliqua re, quam quod sit ens, & dum solum cognoscimus, quod sit ens valde remoti sumus à cognitione distincta talis rei: ergo conceptus confusus entis est omnium imperfectissimus.

Secundo probatur: Ratione D. Tho. omnis potentia incipiens operari, & exiens de potentia ad actũ, prius peruenit ad actum imperfectum, quam ad actum perfectum; sed intellectus quãdo intelligit exit de potentia ad actum: ergo prius producit

ducit conceptum entis, qui est imperfectissimus: ergo primum cognitum nostri intellectus est ens.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam: in potentiis subordinatis, ibi incipit potentia superior, vbi desinit inferior; sed sensus est potentia subordinata intellectui: ergo vbi desinit sensus incipit intellectus, sed sensus desinit in singularibus: ergo intellectus incipit à cognitione singularium: ergo primum cognitum nostri intellectus est singulare.

Respondetur distinguendo consequens: si enim intelligatur de intellectu agente verum est, non autem de intellectu patibili de quo loquimur in quæstione. Sensus itaque est potentia immediate subordinata intellectu agenti, ac per consequens, ibi incipit intellectus agens vbi desinit potentia sensitiua, & quia sensus desinit in singularibus, à singularibus incipit intellectus ageos illustrando Phantasmata in quibus representantur singularia. Iam verò intellectus ageus non est cognoscitiuus; nam solus intellectus patiens cognoscit, intellectus autem patiens incipit ab vniuersalioribus; nam natura abstracta per intellectum agentem vniuersalis est.

Secundum argumentum: contra rationem primæ conclusionis; quidquid potest virtus inferior potest, & multo melius virtus superior; sed sensus qui est inferior intellectu directe cognoscit singularia; ergo etiam intellectus poterit cognoscere singularia directe.

Respondetur distinguendo maiorem; quamuis enim virtus superior possit absolute, quidquid potest virtus inferior non tamen eodem modo vt constat in virtute Dei, quæ quidem est virtus superior qualibet alia virtute, ac per consequens quidquid potest produci ab homine; v. g. potest etiam produci à Deo, non tamen eodem modo homo enim producit hominem generando hoc autem modo non potest Deus hominem producere; quia imperfectionem includit similiter etiam quidquid potest cognosci per sensus potest etiam, & melius cognosci per intellectum, non tamen eodem modo; nam sensus cum sit potentia materialis potest recipere species sensibiles quæ directe representant singulare sensibile: intellectus verò cum sit potentia immaterialis, & spiritualis, non potest recipere species sensibiles, ac per consequens non cognoscit directe singularia sensibilia.

Tertium argumentum, contra secundam: illud vniuersale prius à nobis cognoscitur, cuius singulare prius mouet sensum, & est magis sensibile; sed singulare, & individuum speciei infimæ magis mouet sensum, quam singulare entis: ergo species infima prius cognoscitur à nostro intellectu, quam ens. Probatur minor; quod mouet sensum est singulare: ergo quod est magis singulare magis mouet sensum; sed individuum speciei infimæ

est

est magis singulare, quam individuum entis; v. g. Petrus est magis singularis, quam hoc ens: ergo magis mouet sensum. Probatur minor; nam individuum speciei infimæ, v. g. Petrus, ita est determinatus, vt magis determinari non possit. Individuum autem entis; v. g. hoc ens, potest amplius determinari: ergo vera est minor.

Respondetur negando minorem, probationi negatur consequentia, & ratio est; quia individuum non mouet sensum, in quantum est singulare formaliter: alioquin Deus, qui est maximè singularis sensibilis esset, quod est absurdum, ac per consequens non sequitur: quod percipitur sensu est singulare: ergo quod est magis singulare magis percipitur sensu; nam ratio formalis mouendi sensum, non est singularitas; sed accidentia sensibilia, ac per consequens illud singulare magis mouet sensum cuius accidentia magis sensibilia sunt, magis autem sensibilia sunt accidentia corporis, quam animalis, & animalis, quam hominis, vt diximus quæstione præcedenti conclusione prima.

Quartum argumentum: illud prius cognoscitur à nostro intellectu, quod prius habet speciem intelligibilem in illo; sed quod prius habet speciem intelligibilem in nostro intellectu est species infima: ergo species infima erit primum cognitum nostri intellectus. Probatur minor; species intelligibilis immediatè educitur à phantasmatibus; sed phantasmata representant individua, & singularia: ergo talis species immediate abstrahitur à singularibus: ergo talis species intelligibilis representat speciem infimam.

Respondetur negando minorem; probationi negatur consequentia; nam eadem species intelligibilis, quæ abstrahitur à phantasmatibus, non solum representat speciem infimam, sed etiam omnia alia attributa vniuersaliora, ac per consequens prioritas, vel posterioritas cognitionis non desumitur ex hoc, quod species intelligibilis prius, vel posterius imprimatur intellectui, sed ex parte ipsorum attributorum, quæ representantur in tali specie, quorum alia sunt aliis notiora.

Quintum argumentum: agens naturale exiens de potentia ad actum producit effectum præstantiorem, quem potest producere; sed intellectus noster est agens naturale: ergo cum primum cognoscit prius producit effectum præstantissimum, quem potest producere; sed conceptus speciei infimæ præstantior est, quã conceptus entis: ergo species infima erit primum cognitum nostri intellectus.

Respondetur negando maiorem: ignis enim agens naturale est, qui potest producere calorem vt octo, & tamen quando incipit operari, & calefacere prius producit calorem, vt vnum, & postea calorem, vt duo, & sic successiue vsque ad calorem, vt octo, & idem in aliis agentibus naturalibus contingit; nam agens naturale semper ab imperfecto ad perfectum procedit.

Respondetur secundo; distinguen-

do maiorem: si enim intelligatur de effectu præstantiori quem potest producere absolute falsa est, vt constat ex præcedenti solutione: si verò intelligatur de effectu prædantiori, quem agens naturale potest producere pro illo tunc, videlicet quando incipit operari, vera est maior. Itaque agens naturale quando incipit operari producit effectum præstantissimum, quem potest producere tali tempore: Iam verò intellectus noster quando prius incipit cognoscere, non potest cognoscere speciem infimam, vt constat ex secunda conclusione.

Sextum argumentum: contra tertiam: Methaphisica est posterior scientia ordine Doctrinæ, vt supra dictum est: ergo etiam eius obiectum posterius cognoscitur; sed obiectum Methaphisicæ est ens: ergo ens non est primum cognitum nostri intellectus, sed vltimum.

Respondetur distinguendo consequens: si enim intelligatur de cognitione scientifica verum est, si verò de cognitione imperfecta, & confusa, de qua loquimur in præsenti falsum est.

Septimum argumentum: intellectus noster cognoscit abstrahendo res â singularibus: ergo res, quæ facilius abstrahitur, prius, & facilius cognoscitur; sed species infima: v. g. homo facilius abstrahitur â suis inferioribus, quã ens: ergo prius cognoscitur, quam ens: probatur minor species infima solum abstrahitur ab indiuiduis alicuius speciei: ens autem abstrahitur ab omnibus indiuiduis, & ab omnibus speciebus, & generibus: ergo facilius abstrahitur species infima quam ens.

Respondetur negando maiorem; nam eadem abstractione abstrahitur ens, & species infima; & species intelligibilis, quæ abstrahitur â Phantasmatibus, simul representat speciem infimam, & omnia attributa essentialia, quæ tali speciei infimæ conueniunt: v. g. species intelligibilis representans hominem, representat etiam ens, substantiam, corpus, & animal, ex quibus attributis vniuersaliora prius cognoscuntur.

Vltimum argumentum: contra rationem D. Tho. in tertia conclusione adductam: intellectus noster est in potentia ad recipiendũ actum intelligendi, & habitum; & tamen non prius recipit id quod est imperfectũ: ergo maior propositio rationis D. Tho. est falsa. Probatur minor; actus intelligendi perfectior est, quam habitus, sed intellectus noster, prius producit actum, quam habitum; nam habitus producitur per actus: ergo intellectus noster non prius producit, id quod est imperfectum, quam id, quod est perfectum, sed potius, ê contra.

Respondetur negando minorem, probationi distinguitur maior; actus enim intellectus duplex est; alius precedit habitum; alius verò sequitur habitum, & causatur ab ipso. Primus actus est imperfectior habitu; nam est dispositio ad ipsum. Aliusautem actus, qui sequitur habitum, perfe-

ctior

ctior est quam habitus, cum sit finis ipsius, constat igitur quomodo semper intellectus prius producat, & recipiat actum imperfectum, quam perfectum.

Dices: causa nobilior est suo effectu; sed actus præcedens habitum est causa habitus, habitus verò est causa actuum subsequentium: ergo paimus actus est perfectior, quam habitus, & habitus est perfectior quam alij actus subsequentes.

Respondetur maiorem esse veram, de causa principali, non autem semper est vera de causa instrumentaria: iam verò actus non est causa principalis ipsius habitus; sed causa instrumentaria, nam quemadmodum faber lignarius serra scindit, ita noster intellectus, vel homo medio actu intellectus habitum producit, & idem est dicendum de habitu respectu actuum subsequentium.

Respondetur secũdo ad argumentum principale, quod omnis potentia quando incipit operari, prius peruenit ad actum imperfectum, quam ad actum perfectum, si vnus actus non sit causa alterius, & hac ratione interpretandus est D. Tho. si autem vnus actus fuerit causa alterius, prius producitur ille actus, qui est causa, quamuis sit perfectior: hinc intellectus noster prius cognoscit præmissas, quam conclusionem, quamuis cognitio præmissarum sit præstantior, quia cognitio præmissarum est causa cognoscendi conclusiones: hæc de hac quæst.

QVAESTIO V.

Vtrum ens secundum totam suam latitudinem vsurpatum sit primum cognitum nostri intellectus.

OBserua primo: quod obiectum nostri intellectus est duplex; alterum est totale, & adæquatum, & dicitur obiectum specificans, seu specificatiuum; quia specificat, & constituit intellectum, in ratione potentiæ cognoscitiuæ; neque potest intellectus magis se extendere, quam hoc obiectum: Alterum est obiectum proportionatum, quod nimirum proportionatur nostro intellectui, & nostro modo intelligendi, secundum statum huius vitæ, in qua omnis nostra cognitio intellectiua à rebus sensibilibus originem ducit.

Obserua secundo: ens dupliciter vsurpari; primo, absolute, & secundum communissimam quandam rationem, quatenus videlicet complectitur quidquid habet esse: secundo, prout est coniunctum, cum rebus sensibilibus, & materialibus, & huiusmodi ens communiter dicitur ens concretum quidditate sensibili, ideſt ens cõiunctum qualitatibus sensibilibus, seu ens sensibile.

Prima conclusio: ens in communi secundum totam suam latitudinẽ vsurpatum est obiectum adæquatum, & specificatiuum nostri intellectus, ens autem materiale est obiectum proportionatum, & connatu-

rale ipsius : ita D. Tho. 1. p. q. 48. art. 3. ad. 1. vbi ait, *quod obiectum nostri intellectus est commune quoddam, scilicet, ens, & verum, obiectum verò proportionatum nostro intellectui secundum præsentem statum, non est quodlibet ens, sed ens consideratum in rebus materialibus:* Probatur prima pars conclusionis ratione : illud est obiectum adæquatum, & totale alicuius potentiæ, quæ complectitur omnia, quæ â tali potentia attinguntur; sed ens in communi, sub ratione veri consideratum continet omnia, quæ percipiuntur ab intellectu: ergo ens in communi est obiectum adæquatum nostri intellectus : minor probatur; nam quidquid intelligitur à nostro intellectu est ens.

Secunda pars conclusionis probatur : ea solum intelliguntur ab intellectu nostro, quæ representantur per species intelligibiles in ipso intellectu existentes; sed species intelligibiles, quas habet noster intellectus secundum præsentem statum solum representant ens sensibile, & materiale: ergo solum ens materiale, & sensibile est obiectum proportionatũ, & connaturale nostri intellectus. Probatur minor; nã species intelligibiles, quas habemus in hoc statu solum abstrahuntur á rebus sensibilibus, & materialibus.

Secunda conclusio. Primum cognitum nostri intellectus, non est ens in tota sua latitudine sumptum: sed ens materiale, & sensibile: ita Caietanus q. 1. de ente, & essentia, & quam plures alii: Ratione probatur; primum cognitum nostri intellectus debet esse proportionatum, & connaturale ipsi; sed ens in cõmuni non est obiectum proportionatum, bene tamen ens materiale, & sensibile, vt constat ex conclusione præcedenti: ergo vera est conclusio: maior probatur; nam quod prius cognoscitur â nostro intellectu non excedit virtutem naturalem ipsius: ergo primum cognitum debet esse proportionatum, & connaturale ipsi.

Secundo probatur conclusio: quod est primum cognitum nostri intellectus debet cognosci per propriam speciem; sed ens in communi non cognoscitur sic; nam Angeli, & Deus, qui continentur sub ente in communi non cognoscuntur per propriam speciem: ergo ens in communi non est primum cognitum nostri intellectus: ergo est ens materiale.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra secundam: quod est vniuersalius est primum cognitum nostri intellectus, nam vniuersaliora sunt notiora nobis; sed ens in communi est vniuersalius, quam ens materiale, vt constat: ergo ens in communi, erit primum cognitum, non autem ens materiale.

Respondetur distinguendo maiorem: si enim id, quod est vniuersalius intrat latitudinem obiecti proportionati nostri intellectus, vera est. non autem si sit extra latitudinem talis obie-

obiecti. Loquendo itaque de attributis, quæ sunt intra obiectum proportionatum; illud prius cognoscitur â nobis, quod est vniuersalius, & hac ratione intelligendum est, quod vniuersaliora sunt notiora nobis: iam verò ens in communi est extra latitudinem obiecti proportionati nostri intellectus.

Secundum argumentum: illud est primum cognitũ nostri intellectus, ex quo componitur primum principium inter omnia prima principia; sed primum principium communissimum non componitur, ex ente materiali, sed ex ente in communi: ergo ens in communi erit primum cognitum, non autem ens materiale. Probatur minor; nam primum principium communissimum est; *idem non potest esse simul, & non esse; & quodlibet est, vel non est*, sed hoc principiũ de omni ente verificatur: ergo primum principium componitur, ex ente in communi.

Respondetur distinguendo minorem; nam quamuis illud primũ principium sit commune omni enti, attamen respectu nostri prius cognescitur in quantum verificatur de ente materiali; quia entia materialia prius â nobis cognoscuntur.

Tertium argumentum contra rationem, qua probauimus secundam conclusionem: ens in communi continetur intra obiectum proportionatum nostri intellectus: ergo falsa est ratio conclusionis. Probatur antecedens; Metaphisica est scientia connaturalis, & proportionata nostro intellectui: ergo etiam eius obiectum erit proportionatum nostro intellectui; sed obiectum Metaphysicæ est ens in communi: ergo ens in communi erit obiectum proportionatum.

Respondent Aliqui: non esse inconueniens, quod obiectum alicuius scientiæ naturalis, qualis est Metaphysica non sit intra obiectum proportionatum nostri intellectus.

Hæc tamẽ solutio falsa est; nã cognitio cõnaturalis intellectui, & propriis viribus naturalibus adquisita solum potest esse circa obiectum proportionatum; sed cognitio quam habet intellectus per habitum Metaphysicæ est connaturalis nostro intellectui, & nostris actibus adquiritur: ergo talis cognitio terminatur ad obiectũ proportionatum.

Respondetur igitur ad argumentum; negando antecedens; probationi dicimus, quod ens in communi potest considerari dupliciter, primo, quatenus est cognoscibile per propriam speciem intelligibilem, & hac ratione, non continetur intra obiectum proportionatum nostri intellectus: secundo, potest considerari ens in communi, quatenus est cognoscibile, per species rerum materialium, & hac ratione est obiectum Metaphysicæ, & continetur intra obiectum proportionatum nostri intellectus: quemadmodum malum in quantum apprehenditur sub ratione boni, continetur intra obiectum voluntatis, quod est bonum.

Dices: ergo saltim ens in communi hoc secundo modo vsurpatum erit

rit primum cognitum nostri intellectus.

Respondetur negando consequentiam; nam primum cognitum nostri intellectus cognoscitur directe, ens autem in communi, cum cognoscatur per speciem entis materialis non cognoscitur directe, sed reflexe.

QVAESTIO VI.

In qua aliquæ difficultates explicantur.

PRima difficultas est; vtrum Physica procedat, & demonstret per quatuor genera causarum?

Respondetur affirmatiue: ait enim Arist. cap. 7. lib. Sequentis, ad *Physicum pertinere de quatuor generibus causarum disputare*, & in hoc capite expresse affirmat, *quod in Physica dantur principia, causæ, & elementa*, quæ tria vocabula significant, quatuor agenera causarum, vt diximus cum D. Tho.

Ratione probatur; Physica agit tanquam de proprio obiecto, de ente mobili, ideſt de ente, quod habet in se principium motus Physici: ergo debet cognoscere omnes causas conuenientes enti mobili, vt mobile est: ergo debet cognoscere quatuor genera causarum: probatur hæc vltima consequentia; nam materia est subiectum motus Physici; forma est terminus ipsius motus, efficiens est principium à quo fluit motus, & denique omnis motus est propter aliquem finem: ergo ad perfectam notitiam motus Physici cognoscendam est materia, forma, efficiens, & finis, quæ sunt quatuor genera causarum.

Secunda difficultas est: vtrum intellectus noster cognoscat singularia?

Respondetur affirmatiue, & probatur sic; intellectus cognoscit se cognoscere singularia reflectendo supra suam intellectionem: ergo cognoscit singularia; nam ista reflexio non potest esse potentiæ sensitiuæ.

Secundo probatur: imponere nomina rebus iuxta illarum naturam supponit cognitionem intellectiuam ipsarum rerum; sed Adamus imposuit nomina rebus singularibus, vt dicitur in principio geneſis: ergo singularia possunt cognosci ab intellectu humano: non autem cognoscuntur à nobis directe, sed reflexe; hæc autem cognitio reflexa, vt docent Capreolus, & Iabellus, ita fit. In primis cognoscit directe intellectus rem vniuersalem; deinde reflectitur supra se, & cognoscit suam intellectionem, cognoscit (in quam) se cognoscere, & intelligere: postea cognoscit speciem intelligibilem, quæ est principium cognoscendi: deinceps cognoscit Phantasmata, à quibus educta est species intelligibilis, & tandem cognoscit singularia, quæ in phantasmatibus representantur: omnes autem istæ cognitiones fiunt per eandem speciem intelligibilem.

Tertia, & vltima difficultas este vtrum vniuersaliora attributa essentialia semper cognoscantur prius quam minus vniuersalia.

Ob-

Obserua: quod species intelligibilis solum representat illa attributa vniuersalia, quæ representabantur in Phantasmatibus: Phantasmata autem non semper representant omnia attributa essentialia, quæ in re cognita de facto reperiuntur, sed illa tantum, quæ â nobis percipiuntur sensibus: v. g. quando aliquid à longe intuemur cognoscendo tantummodo esse corpus, Phantasma solum representat rationem corporis, non autem rationem animalis, vel hominis, quamuis in rei veritate, res quæ videtur sit animal, & homo. Similiter si aliquis cognoscat speciem alicuius animalis: v. g. aquilam, ignorat tamen genus proximum talis speciei, tunc temporis Phantasma representabit naturam specificam, non autem naturam genericam, & idem prorsus de specie intelligibili dicendum est.

Prima conclusio: ex attributis essentialibus, quæ representantur in specie intelligibili, semper vniuersaliora sunt notiora nobis, & prius cognoscuntur, quam minus vniuersalia. Iuxta sensum huius conclusionis intelligēda est Doctrina, quam adduximus q. 3. conclusione. 1.

Secunda conclusio: in cognitionibus confusis attributorum essentialium non datur essentialis ordo; neque semper cognoscuntur prius attributa vniuersaliora: ita Caietanus opus. de ente, & essentia. Ratione probatur; ea solum cognoscuntur à nostro intellectu, quæ representantur in specie intelligibili; sed cōtingit speciem intelligibilem representare attributū minus vniuersale, non representato attributo vniuersaliori. Vt constat ex obseruatione: ergo nō sēper attributa vniuersaliora prius cognoscuntur â nobis, quā minus vniuersalia: ac per consequens, non datur essentialis ordo inter istas cognitiones.

CAPVT SECVNDVM.

De principijs rerum naturalium, contra Parmedinem, & Melissum.

POstquam Arist. cap. præcedenti sui instituti, rationem reddit, & Philosophiam naturalem â disp. principiorum incipiendam esse probauit. Incipit iam in hoc capite, de principijs rerum naturalium disputare reijciens opinionem Parmenidis, & Melissi. Distribuit autem hoc cap. in duas partes: in prima, non est contra hos Philosophos disputandum demonstrat, in secunda verò eorum refellu sententiam.

Asserebant igitur isti Philosophi vnum tantummodo dari principiū re-

rerum naturalium, & omnia esse vnũ ens, illud quæ esse immobile. Contra istos Philosophos inquit Arist. non debet Physicus argumentari. Primo, quia negant principia Philosophiæ naturalis, & arguere, contra negantes principia alicuius particularis scientiæ munus est Metaphisicæ, quę est scientia superior, & generalis; secundo, quia præ licta sententia est manifeste falsa, & contra communem consensum omnium Philosophorũ, & tandem, quia rationes eorum sunt fallaces, & sophisticæ, & non ad Physicum, sed ad Dialectum spectat eas soluere.

Quia verò istorum Philosophorum opinio, aliqua naturalia miscet proinde Arist. eã duplici argumento impugnat. Primũ est, vel ens significat vnum, vel multa, si multa: ergo iam non omnia sunt vnum: si vnum, vel vnum genere, vel vnũ specie, vel vnum numero, si vnum genere, vel specie: ergo iam non omnia sunt vnum, nam quod est vnum genere, est multiplex specie, & quod est vnum specie, est multiplex numero, si vnum numero, vel est compositum, vel simplex, si compositum iam non omnia sunt vnum; nam compositum, ex pluribus partibus resultat: si simplex, vel est substantia, vel accidens: si accidens, cum omne accidens inhæreat subiecto, iam dabuntur duo, videlicet accidens, & subiectum: denique si vna substantia, vel ei sit finita, vt Volebat Parmenides, vel infinita, vt dicebat Melissus; sed finitum, & infinitum conueniunt substantiæ ratione quantitatis: ergo iam daretur substantia, & quantitas: ergo falsum est dicere, quod omnia sunt vnum.

Secundum argumentum: si omnia essent vnum, vel essent vnum continuum, & diuisibile, vt linea, vel indiuisibile, vt punctum; vel vnum secundum essentiam, vt vestis, & indumentum; sed neutrum est dicendum: ergo non omnia sunt vnum: probatur minor: totum continuum est diuisibile in plura; ergo facta diuisione, iam non omnia erunt vnum. Præterea hoc vnum principiũ esset finitum, vel infinitum, vt isti Philosophi dicebãt: ergo esset quantum ac per consequens diuisibile, nam finitum, & infinitum sunt proprietates quantitatis. Tandem si omnia essent vnum secundum essentiam duo contraria; v. g. bonum, & malum, haberent eandem essentiam, quod fuit error Heraclit, & similiter duo contradictoria, vt bonum, & non bonum, & duo disparata, vt homo, & equus; & duo prima diuersa, vt substantia, & accidens; sed hoc est absurdum: ergo, illud ex quo sequitur.

QVÆSTIO

QVESTIO PRIMA.

VTRVM TOTVM DISTINGVATVR realiter à suis partibus.

OBserua primo: quod totum dicitur, quod componitur ex partibus, & est multiplex; nam primo diuiditur in totũ actuale, & totum potentiale: totum actuale est duplex, aliud est totum integrale, quod componitur ex partibus integralibus, vt homo ex cap. &c: aliud est essentiale, quod componitur ex partibus essentialibus; & hoc etiam est duplex, aliud Physicum, quod componitur ex partibus essentialibus Physicis, videlicet ex materia, & forma, & aliud Methaphisicum, quod componitur ex partibus essentialibus Methaphysicis, videlicet ex genere, & differentia, vel ex essẽtia, & existẽtia.

Præterea: totum potentiale, etiam est duplex, aliud reale, & aliud rationis. Totum potentiale reale dicitur subiectum respectu suarum potentiarum: v. g. anima respectu memoriæ intellectus, & voluntatis. Arist. enim in libris de anima, potentias animæ, animæ partes vocat. Totum potentiale rationis dicitur vniuersale formaliter, respectu suorum inferiorum, de quibus prædicatur, vt genus respectu specierum, & species respectu individuorum. Præter istas acceptiones totius datur totum per accidens, seu per agregationem, vt aceruus lapidum.

Obserua secundo: quod distinctio est duplex: alia realis, quæ inuenitur â parte rei, nullo intellectu considerante; & alia rationis, quæ solum habet esse per intellectum: distinctio realis est triplex: alia realis, vt res, â re, qua ratione distinguntur, quæ diuersas habent entitates, qua ratione distinguntur, Petrus, & Paulus: Alia realis formalis, qua ratione, vt dixim⁹ in Logica distingũtur inter se Logica docens, & vtens, actio, & passio. Alia denique est distinctio realis includentis ab includo, qualis reperitur inter totam manum, & digitum, manus enim continet, & includit digitum, & præter ipsum aliquid reale, vt constat.

Distinctio rationis est duplex; alia distinctio rationis ratiocinantis, quæ ita dependet ab operatione intellectus, vt nullum prorsus habeat fundamentum in ipsa re, quæ distinguitur: Proinde enim dicitur rationis ratiocinantis, & intelligentis; quia formaliter, & fundamentaliter dependet ab intellectu, & hac ratione di-

stinguitur Petrus â se ipso: Alia dicitur rationis ratiocinatæ, quæ quamuis, dependeat ab intellectu, quantum ad suum esse actuale, & formale, habet tamen fundamentum in ipsa re, quæ distinguitur, & hac ratione, vt docent Theologi distinguntur inter se attributa Diuina; v. g. sapientia Dei, â bonitate Dei.

Obserua tertio: quod partes tripliciter vsurpari possunt: primo, disiunctiuè, id est quælibet illarum seorsum, & sine alia: secundo, complexiuè, & simul sumptæ, absque vnione tamen: tertio, vt sunt vnitæ, vnione substantiali; neque sunt idem partes simul sumptæ, & partes vnitæ, intriduo enim mortis Christi Domini, verum erat dicere, quod corpus, & anima Christi erant simul sumptæ; nam diuinitas erat coniuncta corpori, & animæ, non tamen erant partes vnitæ, interse; nam proinde dicebatur mortuus Christus, quia anima, non erat corpore vnita, & sic non dabat esse vitale corpori: similiter totum per accidens resultat ex partibus simul sumptis, non tamen ex partibus vnitis.

Obserua vltimo: in hac quæstione aliqua esse, quæ ab omnibus concedntur; alia verò quæ non omnibus placent, vt igitur certa, ab incertis seperemus. Sciendum est quæstionem non procedere de toto Metaphisico, quod componitur ex genere, & differentia, certum est enim, genus, & differentiam interse, & à toto composito sola ratione distingui. Præterea neque de toto potentiali reali, pertinet enim ad libros de anima disputare, qua ratione distinguntur subiectum, & potentiæ operatiuę ipsius. Insuper neque procedit de toto potentiali rationis, hoc enim totum, cum fiat per abstractionem intellectus, sola ratione distinguitur â suis partibus. Denique neque de toto per accidens, cum enim ens per se, & ens per accidens realiter distiuguantur, manifestum est, quod totum per accidens realiter distinguitur â suis partibus.

Sciendum est etiam: quæstionem similiter non procedere de partibus disiunctiue sumptis, certum enim est, quod totum distinguitur realitet ab vna quaque parte tanquam includēs, & inclusum; nam totum includit ipsam partem, & aliquam realitatem ab ipsa parte distinctam: v. g. entitatem aliarum partium. Smiliter non procedit quæstio de partibus simul sumptis, sine vnione; nam partes simul sumptæ, & totum distinguntur realiter tanquam includens, & inclusum; nam totum præter partes simul sumptas includit vnionem partium, quæ est modus quidam substantialis ipsis partibus superadditus.

Solum igitur procedit præsens difficultas de toto integrali, de toto Physico, & de toto Metaphysico, quod componitur ex essentia, & existentia, & solum etiam procedit de partibus formaliter vnitis.

Prima conclusio: totum non distinguitur realiter, vt res à re, neque realiter formaliter â partibus vnitis. Probatur conclusio; partes vnitæ sunt de intrinseco, & essentiali conceptu totius: ergo non distinguntur realiter à

toto

toto. Probatur antecedens; nullum totum potest concipi, vel intelligi, quin concipiantur partes, ex quibus substantialiter, vel essentialiter componitur; v. g. non potest homo cognosci perfectè, vt est totum Physicum, quin materia, & forma, quę sunt partes Physicæ, concipiantur vnitæ: ergo partes vnitæ sunt de inti insecq, & essentiali conceptu totius.

Secundo probatur conclusio: si totum diceret aliquam entitatem, vel formalitatem, quam non dicunt partes vnitæ, vel talis entitas esset substantia, vel accidens; neutrum est dicendum: ergo totum non dicit aliquam entitatem, vel formalitatem distinctam â partibus vnitis: probatur minor; in primis non est accidens; nam totum essentiale, vel substantiale præsupponitur omnibus accidentibus, & præintelligitur constitutum ante omne accidens. Præterea neque est substantia; nam si substantia esset, vel talis substantia vniretur cum aliis partibus, & faceret compositionem cum illis, vel non; si primum; ergo in toto Physico: v. g. dabitur duplex compositio, alia materiæ, & formæ, & alia ex duabus præexistentibus, & ex illa tertia entitate, quam super adderet totum; Absurdissimum autem est dicere, quod totum Physicum formaliter sumptũ duplicem habeat compositionem: si autem illa tertia entitas non facit compositionem, cum alijs partibus: ergo homo v. g. non erit ens per se, cum habeat substantias non vnitas interse, darenturque multi actus substantiales in toto substantiali.

Secunda conclusio: totum non distinguitur realiter â partibus vnitis, sicut includens, & inclusum. Probatur conclusio; ad distinctionem realem includentis, & inclusi requiritur, quod includens dicat aliquid reale præter inclusum; sed totum non dicit aliquid reale præter partes vnitas: ergo non distinguitur à partibus vnitis sicut includens, & inclusum. Probatur minor; existentibus partibus vnitis, & sublato quolibet alio impossibile est, quod non detur totum: ergo totum non dicit aliquid reale præter partes vnitas: probatur secundo eadem minor: si totum diceret aliquid præter partes vnitas, vel illud esset accidens, vel substantia; nõ accidens; nam id quod additur constituit totum, in ratione totius, vt aduersarij volunt; sed accidens non potest esse constitutiuum totius substantialis: ergo id quod addit totum super partes non est accidens. Deinde neque substantia; nam substantia naturalis teste Arist. adæquate diuiditur, in materiam formam, & totum compositum; sed id quod addit totum super partes; non est materia, nec forma, quæ sunt ipsæmet partes, neq; quæ etiam est totum compositum, alioquin in quolibet toto reperirentur duo composita: ergo totum non addit substantiam super partes vnitas; ac per consequens, nihil dicit totum præter partes.

Tertia conclusio: totum nullatenus distinguitur realiter à partibus vnitis: ita docet Arist. 4. Physicæ

cap. 2. vbi sic ait, *neque enim aliquid est totum, quam partes*; idem docet D. Tho. 4. contragentes cap. 81. & alijs in locis, in symbolo etiam D. Atanasij sic dicitur: *anima rationalis, & caro vnus est homo*: eandem conclusionem tenent Durandus, Soto, Astudillo, Masius, & alij: Fuitque communis Græcorum sententia, & colligitur manifeste ex duabus cõclusionibus præcedentibus; nam totum, & partes vnitæ non distinguntur realiter vt res à re, nec realiter formaliter; nec sicut includens, & inclusum: ergo nullo modo distinguntur realiter.

Vltima conclusio: totum, & partes vnitæ distinguntur ratione ratiocinata: hanc habent, qui præcedentem. Ratione probatur; distinctos conceptus format intellectus noster de toto, & de partibus vnitis; tum etiam multa dicuntur de toto, quæ non dicuntur de partibus vnitis: vt constabit ex solutione secundi argumenti: ergo totum, & partes vnitæ distinguntur; sed non distinguntur realiter, vt visum est: ergo distinguntur ratione ratiocinata; habet enim hæc distinctio fundamentum in re, quamuis formaliter fiat per intellectum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum; contra tertiam: Arist. 5. Metaph. cap. 14. sic dicit: *bis tria non sunt sex*: Præterea 7. Metaph. tex. vlt. inquit: *syllaba, Ba, non est, B, &, A, &* 8. Metaph. ait, *totum non est coacervatio partium, sed aliquid præter partes*: ergo iuxta mentem Arist. totum, & partes realiter distinguntur.

Respondetur interpretando Arist. loquitur enim de partibus disiunctiué, & seorsum sumptis, sine vnione tamen consideratis, verum est enim, quod bis tria si non sunt vnita non sunt sex.

Respondetur secundo: sigillatim ad vnum quodque testimonium ex Arist. adductum, cum enim dicit bis tria non sunt sex, negat vnum numerum fieri, ex alio numero formaliter sumpto; cũ enim sex, & tria sunt species numeri essentialiter distinctæ, & vna species non fiat ex alia specie formaliter sumpta; hinc est, quod bis tria non sunt sex; idest duo ternarij formaliter vsurpati non componunt senarium. Numerus enim proprié loquendo non componitur ex numeris, sed ex vnitatibus, & hinc est, quod Arist. subiungit bis tria, non sunt sex, sed semel sex, ac si diceret, sex vnitates faciunt numerum senarium.

In secundo etiam loco: vbi dicit syllaba, ba, non est, b, & a, nomine syllabæ (vt animaduertit Alexander) intelligit Arist. formam, & per litteras intelligit materiam, & idem est ac si dixisset formam non esse materiam.

In tertio denique loco ponit discrimen inter totum per accidens, quod nihil aliud est, quam coaceruatio partium, & inter totum per se, quod præter partes dicit vnionem earum.

Secundum argumentum: multa

attribuuntur toto, quæ non verificantur de partibus: ergo totum, & partes vnitæ realiter distinguntur. Probatur antecedens; nam de Petro v. g. qui est totum vere affirmamus, quod agit, patitur, generatur, corrumpitur, per se mouetur, subsistit, & est subiectum accidentium; sed nullum horum verificatur de partibus vnitis ipsius Petri: ergo multa attribuntur toto, quæ non verificantur de partibus.

Respondetur negando consequentiam: sola enim distinctio rationis, vel sola distinctio in modo significandi est sufficiens, vt multa verificentur de vno, quæ non possunt verificari de alio, vt diximus supra q. 4. Proemialis.

Respondetur secundo, negando antecedens; nam quidquid conuenit toto, secundum rem, & secundum idem titatem realem conuenit etiam partibus vnitis, quamuis secundum nostrum modum intelligendi, non proprie attribuatur illis.

Tertium argumentum: causa, & effectus realiter distinguntur, sed partes sunt causæ totius: ergo realiter distinguntur à toto.

Respondetur distinguendo minorem: si enim intelligatur de partibus disiunctiué, & sigillatim sumptis vera est: si autem de partibus, vt vnitis falsa; nam partes vnitæ, non sunt causæ totius, sed sunt ipsummet totum.

Dices: forma, quæ est pars Physica non causat totum, nisi sit vnita materiæ, neque materia causat totum, nisi sit vnita formæ: ergo partes, vt vnitę sunt causæ totius.

Respondetur; quod partes etiam vnitæ possunt vsurpari sygillatim, & disiunctiue, & hac ratione causant totum; sola enim forma vnita materiæ est causa formalis totius, & sola materia vnita formæ est causa materialis totius. Dicendum est ergo, quod partes vnitæ sunt causæ totius, non tamen, vt vnitę formaliter, sed quatenus sygillatim, & disiunctiue vsurpantur.

Quartum argumentum: omne cõponens distinguitur realiter à compo sito; sed partes vnitę componunt totum: ergo realiter distinguntur ab ipso.

Respondetur distinguendo minorem: si enim partes vnitę vsurpentur formaliter, vt vnitę sunt, non componunt totum, sed sunt ipsummet totum: si autem vsurpentur partes vnitę distributiue, & sygillatim verè dicimus, quod partes componunt totum, realiterque distinguntur ab ipso, quelibet enim pars realiter distinguitur à toto.

Quintum argumentum: generabile, & ingenerabile realiter distingun tur; sed homo v. g. est generabilis; partes autem hominis non sunt generabiles: ergo homo realiter distingui tur à suis partibus. Probatur minor; nam partes Physicę hominis sunt materia prima, & anima rationalis, quę quidem non sunt generabiles, sed à solo Deo creabiles.

Respondetur negando consequentiam; probationi dicimus, quod licet partes hominis sygillatim sumptę nõ sint generabiles, possumus tamen dicere,

cere, quod partes hominis; vt vnitæ generabiles sunt, id est vnio substantialis, quæ reperitur inter partes hominis est terminus generationis, & per generationem producitur.

Dices: quando moritur homo aliqua entitas corrumpitur, sed non corrumpitur materia, neque forma; nam materia est incorruptibilis, forma etiam hominis, nempe anima rationalis est immortalis, & incorruptibilis: ergo totum dicit aliquam tertiam entitatem distinctam à partibus.

Respondetur quod quando moritur homo corrumpitur vnio substantialis, quæ reperiebatur inter partes hominis ac per consequens possumus dicere, quod corrumpuntur partes, vt vnitæ.

Sextum argumentum: commune axioma Philosophorum est *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: ergo si partes sunt idem realiter cum toto, etiam erunt idem realiter interse quod quidem falsissimum est; nam partes integrales, & partes Physicæ distinguntur realiter inter se. Cõfirmatur hoc argumentũ; nam Arist. in hoc cap. sic ait: *si vtraque pars, & totum vnum sunt profectò partes erũt interse erunt idem.*

Respondetur; quod illud axioma est verum, quando aliqua ita sunt idem vni tertio, vt vnumquodque illorum seorsum, & sine alio vsurpatum identificentur cum tertio: v. g. actio, & passio sunt idem realiter interse; quia actio seorum sumpta identificatur realiter cum motu, & similiter passio sola vsurpata identificatur realiter cum eodem motu; iam verò quamuis partes vnitæ identificentur cum toto, quælibet tamen illarũ sigillatim sumpta realiter distinguitur â toto, ac per consequens falsa est consequentia argumenti.

Ad confirmationem. Respondetur; quod Arist. in illis verbis argumentatur contra Phylosophos, qui dicebant omnia esse vnum, & ait *quod si totum, & partes sunt vnum indiuisibile. Partes etiam interse indiuisæ erunt.*

Vltimum argumentum: vnum per se, & plura per se realiter distinguntur; sed totum de quo loquimur est vnum per se, partes verò substantiales sunt plura entia per se: ergo totum, & partes realiter distinguntur.

Respondetur distinguendo maiorem: vnum per se completum, & plura per se completa, realiter distinguntur concedo; vnum per se completum, & plura per se incompleta realiter distinguntur nego; nam ex duplici substantia partiali, & incompleta fit totũ Physicum, quod est ens per se completum.

QVAESTIO II.

Vtrum substantia sive quantitate sit extensa, & diuisibilis in partes.

NOminales, & Scotus, quos sequuntur aliqui ex Recentioribus existimat substantiam ex se esse diuisibilem, & habere partes eiusdem

dem rationis, dicunt enim; duplicem dari partium extensionem, & distinctionem illarum; altera dicitur entitatiua, seu substantialis, altera verò est situalis, quæ nihil aliud est, quam habere partes extensas, in ordine ad locum; dicunt igitur substantiam ex se, & sine quantitate habere partes entitatiuas extensas, & esse diuisibilem in eas, extensionem autem situalem esse propriam quantitati, & esse essentiam quantitatis. Cõtra istam opinionem.

Sit conclusio: substantia ex se, & ratione sui, & sine quantitate, non habet partes extensas entitatiuas, neque est diuisibilis in eas: v. g. homo siue quantitate consideratus nullas habet partes eiusdem rationis, & entitatiuas, videlicet non habet caput, nec brachium, nec pedes &c. Sed est entitatiue diuisibilis: hanc conclusionem docet D. Tho. in 2. sententiarum dist. 30. q. 2. vbi sic habet: *diuisio non accidit materiæ, nisi secundum, quod consideratur sub dimensionibus; quia remota quantitate, vt dicitur. 1. Physicæ substantia est indiuisibilis.* In quibus verbis refert D. Tho. sententiam, quam docet Arist. in hoc cap. vbi expresse affirmat diuidi posse solum conuenire substantiæ ratione quantitatis. Eandem conclusionem defendunt Beatus Albertus Magnus, Capreolus, Durandus, Ferrariensis, Iandunus, Iabellus, quos refert, & sequitur Massius hic. Rationibus probatur: Prima, essentia alicuius rei non potest conuenire alteri; sed habere extensionem suarum partium est essentia quantitatis: ergo substantia ex se, & sine quantitate nõ habebit partes extensas; minorem probauimus cap. de quantitate, & probatur; nam illud est essentia alicuius rei, quod prius concipitur in tali re; sed prius concipitur quantitas habẽs extensionẽ suarum met partium, quã vt extendit partes substantiæ, vel suas partes in ordine ad locum: ergo extensio suarum partium erit ratio, & essentia quantitatis. Probatur minor; id quod conuenit alicui rei, in ordine ad se prius est, quam id, quod conuenit rei in ordine ad alterum; sed extensio entitatiua suarum met partiũ conuenit quantitati in ordine ad se: ergo prius concipitur talis extensio, quam extensio partium in ordine ad locum, vel extensio partium substantiæ.

Secundo probatur conclusio: effectus primo dimanans ab aliqua forma, non potest sine tali forma reperiri; v. g. impossibile est, quod detur album, sine albedine; sed diuisibilitas in partes extensas est effectus formalis quantitatis: ergo nulli potest conuenire nisi ratione quantitatis. Probatur minor, illud primo conuenit alicui formæ, quod per eius diffinitionem essentialem exprimitur; sed in diffinitione essentiali quantitatis exprimitur diuisibilitas in partes extensas: ergo talis diuisibilitas est effectus formalis quantitatis. Probatur minor; nam quantum sic diffinitur ab Arist. 5. Metaph. cap. 13. *diuisibile in ea quæ in sunt, quorum vnumquodque natum est esse hoc aliquid,*

certe

certe si substantia ex se, & ratione sui habet partium extensionem, tota hæc diffinitio, quoad omnes sui partes verificabitur de substantia; nam diuisibilitas est proprietas, quæ consequitur extensionem partium.

Tertio probatur conclusio: Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, & hinc est, quod natura quemadmodum non fuit diminuta in rebus necessarijs, ita in nullo fuit superflua, sed partes substantiæ sufficientissime extenduntur per quantitatem, vt omnes Philosophi concedunt: ergo frustra attribuitur substantiæ propria extensio suarum partium: minor constat; nam extensio partium substantiæ connumeratur inter effectus formales quantitatis.

Quarto probatur conclusio: si substantia ex se haberet partes entitatiuas extensas daretur per se motus ad substantiam; sed hoc est contra Arist. lib. 5. Physic. ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur maior; nam ex eo ad quantitatem, & qualitatem datur per se motus, quia qualitas habet gradus, quantitas verò habet partes extensas, quæ successiue, ideſt vna post aliam possunt comparari: ergo similiter si substantia habet partes extensas dabitur per se motus ad substantiam. Hæc ratio efficacissima est, & ex dicendis lib. 5 amplius constabit.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: partes substantiæ corporeæ, & materialis sunt substantiæ; v. g. partes integrantes Petri, videlicet manus Brachia, & pedes; sed non sunt substantiæ ratione quantitatis; sed ex se, & ratione sui: ergo ex se, & ratione sui habet substantia partes extensas.

Respondetur negando consequentiam: in simili enim forma datur antecedens verum, & consequens falsum, vt si dicas: homo albus, est homo; sed non est homo, per albedinem: ergo neque est albus per albedinem; maior, & minor sunt veræ, & consequentia est falsa, similiter est dicendum in præsenti; nam in partibus entitatiuis, & substantialibus, quas habet substantia corporea quantitate affecta; duo sunt distinguenda, videlicet, entitas, seu substantia partium, & extensio, seu distinctio partium: hoc secundum est effectus formalis quantitatis, & quemadmodum esset ineptum querere album sine albedine, ita absurdum est partium extensionem sine quantitate cõcedere.

Secundum argumentum: materia prima, prius natura creatur â Deo, quam recipiat quantitetem: ergo ante omnem quantitatem intelligitur habens totam substantiam in qua recipiat totam quantitatem, & diuersas partes substantiæ in quibus recipiat diuersas partes quantitates; ergo substan-

stantia præ intellecta quantitati habet partes entitatiuas.

Respondetur negando vtramque consequentiam : cum enim totum dicatur, quod componitur ex partibus, & habere partes extensas, sit effectus formalis quantitatis, proculdubio materia prima, vt præintelligitur quantitati, neque est totum extensum, neque habet partes extensas, sicut non est visibilis, vt præintelligitur colori, est tamen materia prima, vt præintelligitur quantitati, capax ad habendas partes extensas, cum sit capax ad recipiendam quantitatem, in quo distinguitur substantia materialis, & corporea, á substantia immateriali, & spirituali.

Dices : subiectum præcedit accidens, cuius est subiectum ; sed partes entitatiuæ substantiæ corporeæ sunt subiectum partium quantitatis; nam pars quantitatis subiectatur in partibus substantiæ : ergo partes substantiæ præcedunt quantitatem : ergo substantia, vt præintelligitur quantitati habet partes entitatiuas.

Respondetur, quod entitas substantiæ corporeæ est subiectū totius quantitatis, & præintelligitur toti quantitati, non autem præintelligitur substantia, vt habens partes entitatiuas, cum istas habeat formaliter per quantitatem.

Vnde distinguenda est minor; partes enim substantiæ, non sunt subiectum quantitatis, vt sunt partes entitatiuæ formaliter loquendo, sed quatenus sunt substantia, quæ potest extendi per quantitatem.

Tertium argumentum: si Deus op. Max. conseruaret substantiam corpoream ; v. g. hominem sine quantitate, manerent partes entitatiuæ, videlicet, pes, manus, & braquia: ergo substantia sine quantitate habet partes extensas.

Respondetur negando antecedens: quemadmodum enim Angelus, qui est expers quantitatis, non habet manus, brachia, vel pedes: Ita homo sublata quantitate non habet manus, vel pedes, non enim dantur manus, vel pedes, qui non sint quanti.

Dices: illa substantia, sic abstracta conseruaretur in suo esse: ergo haberet partes quas antea haberet.

Respondetur distinguendo antecedens : conseruaretur in suo esse substantiali concedo; non autem conseruaretur in suo esse accidentario ; ac per consequens non conseruaretur cū suis partibus extensis, cum sit accidentarium substantię habere partes extensas ; sed remaneret substantia omnino indiuisibilis.

Dices : sublata â mari, tota quantitate, substantia maris remaneret indiuisibilis : ergo in istanti confluxerunt omnes partes substantiæ maris ad punctum indiuisibile, dareturque motus in instanti, quod est absurdum. Insuper, qui biberet guttam ex illa aqua, totum mare biberet ; nam cum indiuisibile attingitur, totum attingitur.

Respondetur negando consequentiam sublata enim quantitate desineret substantia esse vbi antea erat, non quia moueatur ad aliud locum, sed

quia deest ei ratio formalis per quam erat extensa secundum locum, videlicet quantitas, cum igitur substantia, tum temporis non esset in loco circunscriptiue, non daretur motus localis, vt falso supponit argumentum. His adde quod substantia sine quantitate nõ habet partes, quæ possint confluere ad punctũ indiuisibile, ac per consequens, ipsa consequentia petit principium, & supponit tanquam certum, id quod erat probandum. Ad aliam instantiam argumenti dico; quod sublata quantitate ab aqua maris, non remanerent guttę, ineptum est enim guttam aquæ quantumuis minimam sine quantitate posse bibi non substantia sine quantitate, nam potest bibi, esset enim nimis spiritualis potus.

Quartum argumentem: substantia per se ipsam est ens: ergo per se ipsam est vna, & per consequens distincta â qualibet alia: ergo partes substantię, cum per se ipsas sint ens erunt distinctę per se ipsas, & ex cõsequenti substantia habet partes entitatiuas distinctas absque quantitate.

Respondetur negando secundam consequentiam, supponit enim falsum, videlicet, quod substantia secundum se considerata habeat partes entitatiuas, cum solum habeat illas per quantitatem. Quemadmodum itaque quamuis Petrus secundum se est ens, & nihil minus tamen falsum est dicere Petrus albus secundum se, & sine albedine consideratus est ens; quia implicat quod consideretur Petrus albus sine albedine; ita etiam quamuis verum sit, quod substantia secundum se est ens, falsum est tamen dicere, quod partes substantiæ secundum se, & sine quantitate sunt ens; nam secundum nostram sententiam, fit manifesta implicatio, quod dentur partes entitatiuæ substantię sine quantitate.

Sed obijcies: entitas huius manus; v. g. ex se est ens; ergo ex se est vna; nam ens, & vnum conuertuntur: ergo ex se est distincta â qualibet alia parte substantiæ.

Respondetur negando secundam consequentiam: entitas enim huius manus v. g. habet quod sit alia entitas ab entitate brachij per ipsam quantitatem, alietas enim, vt ita loquar, & distinctio partium substantiæ, est effectus quantitatis, ac per consequens sine quantitate entitas manus, non est alia ab entitate brachij, sed sunt vna simplicissima entitas, entitas manus, & entitas brachij.

Vltimum argumentum: quando aliquid conuenit causæ, & effectui prius conuenit causæ, quam effectui; sed substantia est causa quantitatis: ergo quod conuenit quantitati prius conuenit substantiæ; sed quantitas ex se habet partes extensas: ergo etiam substantiæ ex se habet partes extensas.

Respondetur maiorem esse veram: quando attributum eodem modo cõvenit causæ; & effectui: at verò partium extensio non conuenit eodem modo substantiæ, & quantitati; nam quantitati conuenit per se, & formaliter,

liter, substantiæ verò per accidens, & ratione quantitatis.

QVAESTIO III.

In qua aliquæ difficultates explicantur.

PRima est vtrum finitum, & infinitum conueniãt substantiæ ratione quantitatis?

Respondetur, quod esse infinitum, & finitum secundum essentiam, & perfectionem, non conueniunt substantiæ ratione quantitatis; sed sunt quasi proprietas cuiuslibet entis: omne enim ens, vel est finitum, vel infinitum secundum essentiam, hinc Deus Op. Max. qui est expers quantitatis dicitur infinitus secundum essentiam, & omnia alia entia à Deo distincta sunt finita secundum essentiam: Esse verò finitum, vel infinitum secundum extensionem partium solum conuenit substantiæ: ratione quantitatis, & hac ratione intelligendus est Aristotiles in hoc capite.

Secunda difficultas est: vtrum esse finitum, vel infinitum sit proprietas quantitatis?

Respondetur negatiue; nam id quod est impossibile nequit esse proprietas alicuius entis realis sed impossibile est quantitatem esse infinitam: ergo esse finitum, vel infinitum non est proprietas quantitatis: minorem docent Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 7. art. 2. & 3. & probabitur à nobis infra lib. 3. Neque obstat si dicas omnem quantitatem esse finitam, vel infinitam cum disiunctione. Hoc inquam non obstat; nam ad hoc vt aliquod attributum disiunctiuum propriè attributũ alicuius sit, vtraq; pars attributi debet esse possibilis subiecto, vt cum dicimus enuntiationem significare verum, vel falsum, alioquin etiam possemus dicere, quod esse diuisibilem, vel Deum, est proprietas quantitatis, & esse risibilem, vel chimeram est proprietas hominis, nam quamuis nullus homo sit chimera, verè tamen dicimus, quod omnis homo, vel est risibilis, vel chimera.

Quando autem Arist. in hoc capite dixit esse finitum, vel infinitum, esse proprietates quantitatis, locutus est ex suppositione: argumentabatur enim cõtra Parmenidẽ, & Melissum, quorum alter dicebat illud vnũ principium esse infinitum, alter verò finitum esse, suppositio autem, quod daretur infinitum secũdum extensionem solum conueniret quantitati, & est proprietas ipsius.

Tertia difficultas est: vtrum Philosophia naturalis possit probare principia naturalia, contra negantes illa?

Obserua; quod principia naturalia sunt in duplici differentia, quædam dicuntur principia cognitionis, seu doctrinę, & sunt propositiones, quędam manifestę, ex quibus, quasi manu ducimur in Physica ad alia intelligenda, vt istę propositiones motus est, dantur qualitates sensibiles, dantur plura entia naturalia, &c. alia verò sunt principia rei, seu compositionis,

ex quibus res naturalis fit, & sunt materia, forma, & priuatio.

Hoc posito dico: quod Philosophia naturalis non potest demonstrare principia cognitionis, contra negantes illa; quia demonstratio debet procedere ex notioribus, & in Physica non datur aliquid notius illis principijs, in hoc sensu dixit Arist. *non pertinere ad Physicum argumentare contra Parmenidem, & Melissum*, negabant enim huiusmodi principia, dicebant si quidem, non dari plura entia naturalia, sed vnum, & negabant etiam motũ: argumentatur nihilominus Arist. contra prædictos Philosophos munere mutuato â Metaphisica, quæ considerat rationem communissimam entis, & probat omnia principia scientiarum.

Principia autem naturalia rei, seu compositionis possunt demonstrari à Physica, & de facto demonstrantur; quia intra ambitum rerum Physicarum, dantur res notiores nobis, quam prædicta principia, videlicet transmutiones naturales, quibus prima principia naturalia manifesta fiunt.

CAPVT TERTIVM.

IN QVO SOLVVNTVR RATIONES Parmenidis, & Melissi.

Dissoluit in hoc capite Arist. rationes Parmenidis, & Melissi & ait: non esse difficile eas dissoluere, quia errant in materia assumendo falsas propositiones, & errant etiam in forma. In prima parte capitis dissoluit argumenta Melissi, in secunda verò argumenta Parmenidis.

Sic igitur argumentabatur Melissus: quod est factum habet principiũ: ergo quod non est factum non habet principium; sed ens non est factum: ergo ens non habet principium; sed quod non habet principium etiam caret fine, quod autem fine, & principio caret est infinitum est immobile, cum repleat omnem locum, & etiam est vnum; quia extra infinitum non est locus in quo aliud esse possit: ergo ens est infinitum, immobile, & vnum.

Respondet Arist. hoc argumentũ peccare in forma; quia arguit ab opposito antecedentis, ad oppositum consequentis, quemadmodum si dicas, quod est homo est animal: ergo quod non est homo, non est animal. Præterea idem argumentum deficit in materia; nam in duabus primis propositionibus, ille terminus, *principium* vsurpatur pro principio temporis, vel generationis. Cum autem dicitur, *quod non habet principium, nec finem est infinitum*, fit sermo de prin-

principio magnitudinis, & quantitatis; ac per consequens prædicta ratio in equiuoco laborat. Insuper falsum est dicere, quod infinitum esset immobile, quia occuparet omnem locum; nam aqua maris localiter mouetur intra mare, sine adquisitione noui loci. Similiter ergo posset moueri localiter infinitum; non secundum se totum, bene tamen secundum partes; tum etiam secundum se totum posset moueri motu altetationis. Denique falsum est dicere, quod si ens esset infinitum esset vnum; nam posset habere plures partes distinctas.

Parmenides autem sic argumentabatur, quidquid est præter ens est non ens; sed non ens est nihil: ergo quidqnid est præter ens est nihil; sed ens, & vnum conuertuntur: ergo quidquid est præter vnum est nihil: ergo omnia sunt vnum.

Respondet Arist. maiorem absolute esse falsam; nam cum ens analogice dicatur, & prius significet substantiam, quam accidentia, hinc fit, quod ens simpliciter prolatum stat pro substantia, ac per consequens illa maior propositio æquiualet huic, quidquid est præter substantiam est non ens, quæ quidem propositio falsa est; nam accidens est quid præter substantiam, & tamen non est non ens. Insuper pecat prædictum argumentum in forma; nam in simili format datur antecedens verum, & consequens falsum; nam supposito, quod omnia, quæ sunt in mundo essent alba, benediceremus, quidquid est præter album est non ens, & tamen, non sequeretur: ergo omnia sunt vnum; quia album duo dicit, videlicet subiectum, & albedinem, cum igitur simiiter ens in communi duo dicat, videlicet substantiam, & accidens, non bene infertur, quidquid est præter ens est nihil: ergo omnia sunt vnum. Probat tandem Arist. non omnia esse vnum eodem fere argumento quo vsus est cap. præcedenti.

CAPVT QVARTVM.

IN QVO REFERVNTVR SENtentiæ aliorum Philosophorum.

DIsputat in hoc capite Arist. contra Philosophos naturaliter loquentes, idest concedentes motum, qui est præcipua proprietas rerum naturalium, & in primis refert eorum sententias, postmodum easdem impugnat. Antiqui igitur Philosophi, circa naturam principiorum rerum naturalium: In duas diuisi sunt sententias: Quidam enim admiserunt,

vnum

vnum tantum principium, quod alij voluerunt esse ignem, alij aërem, alij aquam, alij quoddam medium corpus inter ignem, & aerem. Ab isto autem vno principio (dicebant) omnia animalia generari, nullus tamen Philosophorum dixit terrram esse principium rerum naturalium: propter suam crassitiem, & densitatem. Alij Philosophi plura principia concedebant, quidam finita, quidam verò infinita, eorum tamen deliramenta cognoscere, parum ad rem facit: solum autem obseruantia digna sunt, quædam quæ de terminis rerum naturalium docet Aristoteles. In hoc capite dum contra Anaxoram argumentatur, quæ quidem in sequentibus quæstionibus explicabuntur.

QVESTIO PRIMA.

Vtrum res viuentes habeant certum terminum suæ magnitudinis.

OBserua primo: huius, & sequentium quæstionum; hos quatuor terminos fuisse â Philosophis adinuentos, Maximum quod sic. Minimum quod non, Minimum quod sic, & Maximum quod non. Horum autem terminorum, hæc est legitima intelligentia, Maximum quod sic, significat illam magnitudinem, & quantitatem sub qua res naturalis conseruari potest, & sub maiori esse non potest: Minimum quod sic, significat illam quantitatem sub qua res naturalis esse potest, & sub minori esse nõ potest: Minimum quod non significat illam quantitatem sub qua res naturalis conseruari non potest, & sub minori esse potest. Denique, maximum, quod non significat. Illã quantitatem sub qua res naturalis esse nõ potest, sub maiori tamen esse potest. Exemplo fient hæc omnia manifesta, supponamus, quod homo naturaliter possit ad summum conseruari sub quantitate sexaginta digitorum, & quod minima quantitas sub qua potest naturaliter conseruari sit decem digitorum: tunc quantitas sexaginta digitorum dicetur Maximum, quod sic ipsius hominis, quia inter omnes quantitates, sub quibus homo potest naturaliter conseruari hæc est maxima; quantitas verò decem digitorum erit minimum quod sic ipsius hominis, quia hæc est minima quantitas sub qua homo potest naturaliter conseruari, vt suppouimus: quantitas autem sexaginta, & vnius digiti erit minimum quod non ipsius hominis; quia inter quantitates magnas sub quibus homo non potest naturaliter conseruari prædicta quantitas

est

est minima : denique quantitas nouem digitorum vocatur maximum quod non ipsius hominis ; quia inter omnes quantitates minores, sub quibus homo esse non potest, prædicta quantitas est maxima.

Ex dictis collige; Maximum quod sic, & minimum quod sic, esse terminos intrinsicos; quia significant quantitatem sub qua res naturalis esse potest, at verò maximum quod non, & minimum quod non, esse terminos extrinsecos rerum naturalium ; quia significant illam quãtitatem sub qua res naturalis esse non potest. Collige secundo maximum quod sic, & minimum quod non, esse terminos magnitudinis, minimum quod sic, & maximum quod non, esse terminos paruitatis.

Obserua secundo : quod ex corporibus viuentibus, quædam sunt perfecta viuentia, quæ videlicet constant, anima indiuisibili, vt homo, & leo: quædam verò sunt imperfecta ; quæ constant anima diuisibili, huiusmodi sunt omnes plantæ, herbæ, & arbores, docet enim experientia hæc omnia habere animam diuisibilem; nam ramus præcisus ab arbore, & flos separatus à planta viuunt, & augentur. Inter animalia etiam, quædam sunt viuentia imperfecta, vt vermes, vespæ, lacertæ, & alia huiusmodi.

Sit conclusio : omnes res corporeæ viuentes siue perfectæ, siue imperfectæ, habent certum terminum suæ magnitudinis, quo adquisito non possunt naturaliter fieri maioris : Hanc conclusionẽ docet Arist. in hoc cap. 4. vbi sic ait : *Si autem impossibile est animal, aut plantam quartameumq; esse secundum magnitudinem, & paruitatem, manifestum est, quod neque partium quamlibet, &c.* id ipsum docet D. Tho. in commentarijs huius capitis, & 1. p. q. 7. art. 3. & communiter omnes Philosophi. Ratione probatur; anima habet finitam virtutem: ergo non potest viuificare, quod cumque corpus, & quamlibet quantitam, sed illam solum modo, quę est dispositа, iuxta suam virtutem: ergo res animatæ, & viuentes habent certum terminum suæ magnitudinis.

Secundo probatur conclusio: calor naturalis, qui conuertit alimentum in substantiam aliti, & partes deperditas reparat est causa quare viuentia augeantur ; sed hic calor est finitus, determinatus, & certus : ergo etiam augmentum rerum viuentium, quod est motus ad quantitatem magnam, erit certum, & determinatum.

Tertio probatur conclusio, experientia : nunquam enim vidimus hominem ad magnitudinem montis peruenisse, neque equum ad altitudinem cipressi, vel formicam ad corpulentiam Elephantis : ergo signum est res viuentes certos habere terminos suæ magnitudinis.

Secunda conclusio : partes corporum viuentium ; etiam habent certos terminos suæ magnitudinis. Hanc conclusionem docet Philosophus in hoc cap. 4. contra Anaxagoram eamque probat hoc argumento : auctis partibus necesse est, quod etiam augeatur totum ; ergo si partes rerum viuen-

viuentium non habent certum terminum magnitudinis, neque etiam res viuentes habebant certum terminum magnitudinis; sed hoc est falsum, vt constat ex præcedenti conclusione: ergo, & illud ex quo sequitur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: res inanimatæ, seu non viuentes, non habent certum terminum magnitudinis, imo potius possunt augeri in infinitum: ergo etiam res viuentes non habebunt certum terminū magnitudinis.

Respondetur negando consequentiam, est enim dispar ratio; nam res viuentes augentur à principio intrinseco, videlicet à colore naturali, qui quidem habet certam, & determinatam virtutem: at verò res inanimatæ non augentur à principio intrinseco, sed ab extrinseco: v. g. ignis augetur per appositionem combustibilium; hæc autem appositio non est determinata, & certa, sed potest crescere in infinitum; nam applicatis quibuslibet combustibilibus igni possunt plura applicari.

Secundum argumentum: si homo, v. g. habet certū terminum suæ magnitudinis, v. g. quantitatem sexaginta digitorum, demus hominem, qui quidem ad hanc magnitudinem peruenerit, si hic homo ita magnus alapacæditur, vel in loco humido iacet, vel morsum venenosum patitur intumescit: ergo quantitas extenditur, & fit maior; ergo non datur certus terminus magnitudinis rerum naturalium.

Respondetur relicta solutione aliquorum, quæ videtur nimis miraculosa, dicunt enim, quod homo in tali casu non posset intumescere, ne daretur maius maximo, cum enim istæ causæ sint naturales, & naturaliter causent humorem in materia, quæ sit apta, & dispositа ad talem effectum recipiendum miraculum esset, si homo non tumesceret; relicta igitur hac solutione.

Respondetur ad argumentum negando vltimum consequentiam; nam in præsenti quæstione loquimur de augmento, & magnitudine, quæ conuenit rebus naturalibus iuxta propriam naturam; maior autem quantitas, quæ aduenit homini, quando intumescit conuenit ei contra particularem naturam, quam habet, nam prouenit à tumore, qui quidem est dispositio ad corruptionem.

QVAESTIO II.

Vtrum res non viuentes habeant certum terminum suæ magnitudinis.

OBserua primo: quod corpora non viuentia sunt in duplici differentia: alia sunt simplicia: & alia composita: simplicia dicuntur, quæ quamuis componantur ex materia, & forma, non tamen componuntur ex elementis, & huiusmodi sunt corpora Cælestia, & ipsa quatuor elementa. Corpora composita, seu mixta dicun-

dicuntur, quæ non modo componuntur, ex materia, & forma, sed etiam ex quatuor elementis, huiusmodi sunt lapides, aurum, argentum &c. Quæstio non procedit de corporibus Cœlestibus, quæ licet sint inanimata, sunt tamen corpora perfectissima, quibus nulla exterior additio fieri potest, ac per consequens habent certum terminum suæ magnitudinis, quem naturaliter excedere non possunt. Procedit autem quæstio de omnibus alijs corporibus non viuentibus.

Obserua secundo; quod corpora non viuentia sublunaria dupliciter vsurpari possunt: primo, iuxta propriam, & pecaliarem naturam vniuscuiusquæ: secundo, quatenus sunt partes huius mundi sublunaris ipsum componentes.

Prima conclusio: si corpora non viuentia considerentur; iuxta propriam naturam vniuscuiusquæ non habent certum terminum magnitudinis, imo potius qualibet magnitudine assignata possunt fieri maiora. Hanc conclusionem docet Arist. 2. de anima cap. 4. vbi ait, *quod si igni infinita combustibilia applicentur crescet in infinitum.* Ratione probatur: corpora non viuentia augentur, & fiunt maiora per exteriorem additionem nouę partis materiæ, & formæ; sed qualibet additione facta potest fieri maior additio: ergo qualibet magnitudine assignata possunt corpora non viuentia fieri maiora: maior constat in aqua fluminis, quæ augetur, & fit maior si noua pars aquę superaddatur: ignis etiam efficitur maior si super additur alter ignis, vel si noua combustibilia applicentur.

Secunda conclusio: si corpora non viuentia considerentur formaliter, quatenus sunt partes huius mundi sublunaris, habent certum terminum magnitudinis, vltra quem non possunt naturaliter crescere. Probatur conclusio; nam corpora sublunaria seruata pulchritudine vniuersi, solum possunt crescere, intra spatium, quod est sub Cœlo Lunæ; sed hoc spatium est certum, & determinatum: ergo etiam ipsa corpora non viuentia habent certam, & determinatam magnitudinem, vt sunt partes vniuersi.

Secundo probatur conclusio: ordo naturæ postulat, vt ignis v. g. ita sit sub Cœlo Lunæ, & supra elementum aeris, vt illorum fines non egrediatur. Si enim ignis elementaris perueniret vsque ad terram non relinqueretur locus rebus viuentibus terrestribus; nam nulla res potest viuere naturaliter diu in igne. Idem etiam dicendum est de elemento aquæ, si enim cooperiret terram, non relinqueretur locus viuentibus terrestribus. Et similiter idem argumentum potest fieri de quolibet alio corpore sublunari, si enim esset magnæ quantitatis non relinqueret locum alijs corporibus: ergo iuxta ordinem, & dispositionem naturalem vniuersi, vnumquodque corpus habet determinatam magnitudinem.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: contra primam ad determinatã formam sequuntur determinata accidentia; sed vnum ex accidentibus est quantitas: ergo ad determinatã formam sequitur determinata quantitas; sed corpora non viuentia habent determinatam formam: ergo etiam determinatam quantitatem.

Respondetur distinguendo maiorem: duobus enim modis dicitur aliquod accidens, v. g. quantitas, determinatum, primo, quia est finitum, & in hoc sensu vera est maior, & facit hunc sensum ad determinatam formã sequuntur finita accidentia, & in hoc sensu vsurpauit hanc propositionem Diuus Tho. 1. p. q. 7 art. 3. ad probandum; quod non potest dari quantitas infinita: secundo significat hoc verbum, determinatum idem quod certum, & hac ratione determinata quantitas idem est, quod certa quantitas; v. g. quantitas huius mensuræ, & extensionis, & hac ratione falsum est dicere, quod ad determinatã formam sequitur determinata quantitas, id est certa quantitas, & tantæ extensionis.

Secundum argumentum: ignis crescit, & augetur comburendo; sed virtus combustiua ignis est finita, & determinata: ergo etiam eius augmẽtum est certum, & determinatum.

Respondetur negando consequentiam: solum enim infertur ex illis præmissis, quod augmentum, & magnitudo ignis est finita, non autem, quod sit certa, & terminata: ita vt non possit magis, & magis augeri. Omnes itaque res corporæ habent quantitatem finitam, non autem omnes habent quantitatem certam, ita magnam, vt non possint crescere.

Tertium argumentum: Arist. 2. de anima cap. 4 sic dicit: *omnium naturaconstantium terminus est, & ratio magnitudinis*: sed res animatæ etiam, sunt res naturaconstantes, cum sint res naturales: ergo etiam habent certum terminum magnitudinis.

Respondetur Aristotelem locutum fuisse de rebus viuentibus, & hinc est, quod statim post prædicta verba docet, *quod ignis potest augeri in infinitum si ei infinita combustibilia applicentur*: si autem in primis verbis locutus fuisset Aristotiles vniuersaliter de omnibus rebus naturalibus, sibimet ipsi esset contrarius, dum docet *ignem non habere certum terminum magnitudinis.*

Quartum argumentum, contra secundam: si igni elementali existenti in sua sphera, & habenti totam magnitudinem, quæ ei debetur, vt est pars vniuersi applicaretur stupa sine dubio illam comburetet: ergo seruato ordine vniuersi fieret maior.

Respondetur negando consequentiam: nam ignis tunc temporis ex alia parte condensaretur: ac per consequens non fieret maior; quia tantum condensaretur ex vna parte, quãtum cresceret ex alia.

Dices supponamus, quod totus ignis elementaris esset condensatus adhuc

huc facta illa suppositione comburet stupam sibi applicatam: ergo absolute fieret maior.

Respondent Aliqui, quod in hoc casu ignis comburet stupam, non tamen vniret illam sibi, ac per consequens non fieret mayor. Hæc tamen solutio omnino inintelligibilis videtur, impossibile enim est, quod ignis aliquid comburat, & non sibi vniat combustum. Relicta igitur ac solutione.

Respondeo, quod seruato ordine vniuersi, in quo sensu loquimur in præsenti, impossibile est quod totus ignis elementaris condensetur, ac per consequens nō est admittenda suppositio.

Respondeo secundo: quod si totus ignis elementaris condensaretur non repleret totam suam sphæram, & totum suum locum naturalem, ac per consequens dum applicaretur stupa fieret maior seruato ordine vniuersi.

Dices: supponamus, quod esset impossibilis condensatio partium ignis elementaris, si igni tunc temporis applicaretur stupa illam comburet: ergo absolute fieret maior, cū non posset condensari ex alia parte.

Respondeo, quod etiam hæc suppositio est omnino impossibilis, nam ignis ex natura sua est condensabilis, cū sit rarus. Si tamen prædictam suppositionem admittamus, videlicet quod ignis habens iam totam suam magnitudinem, quæ ei debetur, vt est pars vniuersi, non potest condensari quoad aliquam partem dico, quod ignis in eo casu non cresceret, neque comburet stupam, ne pulchritudo, & ordo vniuersi perturbaretur; qui consistit indebita magnitudine elementorum.

Dices: ignis minor posset illam stupam comburere: ergo à fortiori hoc potest ignis elementaris, qui est ignis maximus.

Respondetur negando consequentiam: nam ex hoc, quod ignis minor stupam comburat non perturbatur ordo, & dispositio naturalis vniuersi, bene tamen si ille ignis elementaris in prædicto casu supra comburet.

Dices: vbi est maior virtus sequitur maior actio, sed in maiori igne est maior virtus: ergo à fortiori ignis maior comburet, quod comburit minor.

Respondetur: similiter dist. ma. est enim vera si talis actio non sit contra ordinem, & pulchritudinem vniuersi: non itaque prouenit ex defectu virtutis, quod ignis ille elementaris non comburat stupam; sed prouenit ex eo, quod talis combustio est impossibilis seruato ordine vniuersi.

Dices: ignis est causa naturalis operatiua; sed causa naturalis debite applicata materiæ dispositæ necessario producit effectum, vt ait Aristoteles 6. Metaph. cap. 2. ergo ignis necessario comburit id, quod ei applicatur.

Respondetur distinguendo minorem, est enim vera quando effectus non perturbat ordinem vniuersi: si enim perturbet impossibile erit, quod seruato ordine vniuersi producatur.

Dices: ignis ex natura sua est combustiuus: ergo Maximum miraculum

esset, si non combureret stupam sibi applicatam.

Respondetur negando consequentiam: loquendo de igne prout de ipso loquimur in præsenti, nam quamuis ignem non comburere stupam sibi applicatam absolute sit miraculum, facta tamen suppositione, iuxta quam loquimur in presenti, potius esset miraculum si combureret; nam miraculum dicitur, quod est præter ordinem naturale, & præter ordinem naturale est, quod elementa propriè sphæræ limites excedãt. Exẽplo constabit hęc Doctrina, nã ignis elementaris, cum sit summæ leuis naturaliter ascendit, & est contra naturam peculiarem ipsius descendere: nihilominus tamen omnes Philosophi concedũt, quod si Deus op. Max. anichilaret totum aërem, naturaliter descenderet ignis elementaris, & fieret ratior, vt posset implere illum locum, quem antea occuparet aër alioquin daretur vacuum, quod est cõtra ordinẽ naturæ. Quem admodum itaque ignis descenderet naturaliter ne daretur vacuum, ita in casu nostri argumenti naturaliter non combureret, ne destrueretur ordo, & dispositio naturalis vniuersi.

QVAESTIO III.

Vtrum corpora naturalia habeant certum terminum paruitatis.

Sit conclusio: quodlibet corpus naturale, siue viuens, siue non viuens, siue sit totum, siue pars habet certum, & determinatum terminum paruitatis; ita vt sub illo possit esse, non tamen sub minori; ita Aristotiles in hoc cap. 4. vbi disputans contra Anaxagoram, qui dicebat non dari aliquod ita minimum, vt non possit dari minus, hæc inter alia verba protulit *profecto caro, vel os, aut aliquid aliud infinite augeri, vel minui nullo modo potest*: ergo iuxta Aristotilem res naturales habent certum terminum paruitatis id ipsum sentit D. Tho. in commentarijs huius capitis, Durandus, & alij quam plures.

Ratione probatur cõclusio res viuẽtes habent sensus, & virtutes operatiuas, quæ certã quantitatem requirũt; v. g. Elephas non posset habere suas operationes in parua quantitate formicæ, & idem dicendum est de alijs viuentibus: ergo saltim de rebus viuentibus, verum erit dicere, quod habent certos terminos paruitatis. Insuper quodlibet corpus naturale etiam inanimatum habet certas, & determinatas qualitates, vt ignis certum calorem, & leuitatem, aqua certam frigiditatem, & grauitatem, ita vt iuxta suam naturam sub minori esse non possunt: ergo etiam habent certam quantitatem, ita paruam, vt sub minori esse non possit. Præterea si qualibet quantitate ignis designata posset dari alia minor perueniremus tandem id ignem, qui nulla tenus calefaceret; sed hoc est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur: ergo datur minima quantitas, sub qua ignis naturaliter esse potest, & non sub mino-

pinori: probatur maior ignis minor, minus calefacit: ergo si dato quolibet igne quantumuis paruo posset dari alius ignis minor deueniremus tandem ad ignem nullatenus calefacientem.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: res naturales sunt affectæ quantitate: sed quælibet quantitas quantumuis minima habet aliam quantitatem minorem: ergo res naturales si considerentur formaliter vt sunt sub quãtitate non habent certum terminum paruitatis: Probatur minor, quælibet quantitas quantumuis minima, est extensa: ergo diuisibilis in partes extensas; sed partes sunt minores quam totum: ergo qualibet quantitate quantumuis minima assignata potest dari aliqua quantitas minor.

Respondetur negando minorem: datur enim minimum naturale in quantitate, quod quidem, ita minimam vt non possit dari alia quantitas minor: probationi minoris dico omnem quantitatem esse diuisibilem in partes in existentes, quæ quidem non possunt ad inuicem realiter separari, non autem omnis quantitas est diuisibilis in partes per se existentes, quæ quidem possunt realiter separari interse; nam minimum naturale quãtitatis diuisibile est in partes in existentes; idest existentes in toto, non autem est diuisibile in partes per se existentes, ac per consequens non potest dari Physicæ, & realiter aliqua quantitas per se existens, idest separata à toto, quæ sit minor minimo naturali: Doctrina huius solutionis manifesta fiet ex his, quæ dicemus infra lib. 6.

Secundum argumentum: demonstremus aliquod corpus, v. g. aquam, quod sit minimum, quod sic, idest habeat certum terminum suæ paruitatis, ita vt non possit esse sub minori quantitate, si huiusmodi corpus diuidatur in partes interse diuisæ, sunt minores quam totum: ergo dato quolibet corpore quantumuis minimo potest dari corpus minoris quantitatis.

Respondetur: quod est impossibile, quod minimum corpus, v. g. minima aqua diuidatur in partes, quæ remaneant actualiter diuisæ, cum enim quælibet pars sit minor toto iam daretur minus minimo, quod est absurdum.

Dices: demonstremus, quod illa minima aqua posita in loco frigidissimo congeletur: tum temporis per condensationem partium fit minor: ergo data minima aqua potest dari aqua minor.

Respondetur: quod minima aqua non posset congelari, quia non haberet partes condensabiles.

Respondetur secundo: iuxta probabilem opinionem aliquorum Philosophorum, & Theologorum, quod gelum, & aqua ex qua fit gelum, sunt corpora specie distincta, ac per consequens si minima aqua congelaretur non remaneret aqua, ac per cõ-

sequens

sequens non daretur aqua minor minima.

Ex dictis in his tribus collige: res Viuentes, iuxta propriam naturam consideratas terminari intrinsicé in magnitudine per maximum, quod sic, & in paruitate per minimũ, quod sic: res autem non viuentes terminantur intrinsicè in paruitate per minimum, quod sic: In magnitudine autem nullum habent certum terminũ, neque intrinsecum. Sciendum est tamen prædictam Doctrinam intelligendam esse naturaliter loquendo; nam si attendatur potentia absoluta Dei, nulla res etiam viuens habet certum terminum magnitudinis vel paruitatis, potest enim Deus absolute facere hominem maiorem monte, vel minorem formica.

CAPVT QVINTVM.

DE CONTRARIETATE PRINcipiorum naturalium.

POstquam Aristoteles in præcedentibus cap. reiecit opiniones Antiquorũ Philosophorum de principijs rerum naturalium, incipit iam in præsenti suam exponere sententiam. In hoc autem cap. 5. hanc conclusionem proponit: Prima principia rei naturalis sunt contraria. Hanc probat Aristoteles in primis authoritate antiquorum Philosophorũ, qui quãuis in numero principiorum essent diuersi, omnes tamen inter ipsa principia aliquam contrarietatem concedebant. Secundo probatur ratione: prima principia dicuntur, quæ non fiũt ex aliis, neque ex alterutris, omnia tamen fiunt ex ipsis; sed prima contraria, sunt huiusmodi: ergo prima contraria, sunt prima principia, & per simplicẽ conuersionem dicemus, quod prima principia, sunt prima contraria. Probatur minor; in primis prima contraria non fiunt ex aliis, alioquin non essent prima: deinde, neque ex alterutris, non enim vnũ contrarium potest esse materia alterius: denique, quidquid agit in suum contrarium agit, & quidquid patitur à suo contrario patitur; tum etiam quidquid interit in contrarium interit, & quidquid generatur ex contrario generatur, vt homo ex non homine: ergo omnia fiunt ex primis contrarijs.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

DE NVMERO PRINCIPIORUM rei naturalis.

Distribitur hoc cap. in duas partes, quarum vtraque vnicam continet conclusionem circa numerum principiorum rerum naturalium.

Prima conclusio: principia rei naturalis non sunt vnum. Hanc probat Aristoteles ex cap. præcedenti, nam contrarietas debet esse saltim inter duo extrema; cum nihil sit contrarium sibi ipsi: sed principia rerum naturalium sunt contraria, vt ostensum est: ergo huiusmodi principia nō sunt vnum, sed saltim debent esse duo.

Secunda conclusio: principia rei naturalis, sunt tria tantum. Probatur conclusio nam huiusmodi principia non sunt infinita, neque duo tantum, neque plura tribus: ergo sunt tria tantum. Antecedens constat ex triplici parte. Probatur prima pars, videlicet, quod non sint infinita; nam ad cognoscendam rem naturalem necessario sunt cognoscēda eius principia; sed infinita non sunt cognoscibilia à nostro intellectu: ergo si principia rei naturalis, sunt infinita, nulla res naturalis poterit à nobis cognosci, quod est absurdum. Secunda pars antecedentis probatur, contraria dicuntur, quæ ab eadem subiecto mutuo se expellunt: ergo contraria necessario supponunt, aliquod commune subiectum: ergo cū principia rerum naturalium, sint contraria, non erunt duo tantum, sed prætet formam, & priuationem, quæ sunt contraria, erit admittanda materia prima, quæ est subiectum contrarietatis. Tandē probatur tertia pars, videlicet, quod non sint plura tribus, nā in vno prædicamento vnica tantum datur contrarietas: ergo in prædicamento substantiæ solum erit vna contrarietas, quæ versatur circa principia rei naturalis; sed ad vnam contrarietatem sufficiunt duo extrema, & vnum commune subiectum contrarietatis: ergo principia rerum naturalium non sunt plura tribus.

CAPVT.

CAPVT SEPTIMVM.

QVOD PRINCIPIA SINT REALITER duo, & secundum rationem tria.

QVæ in præcedenti cap. docuit Aristoteles confirmat & explicat in præsenti. In prima igitur parte cap. probat iterum principia esse tria. In secunda verò quomodo hoc sit intelligendum explicat. Probatur igitur principia esse tria hac ratione: in omni mutatione datur terminus, à quo incipit mutatio, & terminus ad quem mutatio terminatur, & subiectum recipiens, vt cumque terminum: ergo ad quamuis mutationem quæ est quædam substantialis mutatio omnia illa requirũtur: ergo dabuntur in ea tria principia, videlicet priuatio, quæ est terminus à quo, forma substantialis, quæ est terminus ad quem, & materia prima, quæ est commune subiectum priuationis, & formæ.

In alia parte cap. agnoscit discrimen Aristotiles inter ista principia; nam priuatio, & materia prima, non distinguntur realiter, sicut duæ res, neque faciunt numerum realem; sed pro eodem vsurpantur, quemadmodum homo habens albedinem, & albedo non sunt duo, sed vnum album: distinguntur nihilominus materia, & priuatio secundum rationem formalem, & hinc est, quod diuersimode loquimur in generatione rei naturalis de materia, & priuatione, nã priuatio exprimitur in casu ablatiuo, dicimus enim ex non homine fieri hominẽ; materia autẽ exprimitur in recto, vt cum dicimus homo fit musicus, homo enim est materia, & subiectum musicæ. Forma autẽ, & materia numerum realem efficiunt, & similiter forma, & priuatio; nam forma est pars substantialis realiter condiuisa materiæ, & vna cum ipsa materia componit rem naturalẽ: Præterea eadem forma contrariatur priuationi, ac per consequens non idemtificatur realiter cum illa.

Ex hac Doctrina colligit Aristotiles principia rei naturalis quodammodo esse duo, videlicet, si cõsiderentur secundam entitatem realem, & quodammodo esse tria videlicet secundum rationem formalem.

QVÆSTIO

QVESTIO PRIMA.

VTRVM PRIMA PRINCIPIA optimè diffiniantur ab Aristotele.

OBserua primo: quod principium, & causa habent se sicut superius, & inferius; omnis enim causa est principium, non tamen omne principium est causa; nam ad rationem principij sufficit, quod ex eo tanquam ex primo aliquid originem ducat, fiat, vel cognoscatur: ad rationem autem causæ requiritur, quod ab ea aliquid dependeat, videlicet effectus, & ab ea recipiat influxum: hinc est, quod causa, & effectus essentialiter Distinguuntur; nam idem essentialiter non potest à se ipso dependere, principium autem, & id, quod à principio originem ducit non est necesse, quod distinguatur essentialiter: cõstat hæc Doctrina adhibitis exemplis, punctũ enim in extremitate lineæ existens, est principium lineæ.

Insuper locus à quo incipit aliquis moueri est principium motus; & tamen neque punctum est causa lineæ, neque locus est causa motus localis, nec priuatio est causa generationis. Theologi etiam cum D. Tho. 1. p. q. 34. docent Patrem in Diuinis esse principium Filij, & similiter Patrem, & Filium esse principium Spiritus Sancti, negant tamen Patrem esse causam Filij, & Patrem, & Filium esse causam Spiritus Sancti, omnes enim tres Diuinæ Personæ, sunt vnius essentiæ, & æqualis perfectionis, & vna ab alia dependere non potest.

Obserua secundo: quod ista dictio *ex*, quæ in diffinitione primorum principiorum ponitur duplicè habitudinem significat. Prima est termini à quo, vt cum dicimus ex paruo fit magnus, ex nocte fit dies; ideſt terminus à quo incipit dies est nox. Secundo significat habitudinem partis cõponentis, vt cum dicimus ex ligno fit Cathedra, ex lapidibus fit paries.

Hoc posito dico, quod in diffinitione primorũ principiorũ dictio *ex* primo, & tertio loco posita hanc duplicem habitudinem dicit cum disiunctione, eadem verò dictio, *ex* posita secundo loco solum dicit habitudinem partis componentis: Ista igitur erit legitimus totius diffinitionis sensus. Prima principia sunt quæ non fiunt ex aliis tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à quo, neque ex alterutris; ita vt vnum sit pars componens alterius omnia tamen fiunt ex ipsis, vel tanquam

quam ex partibus componẽtibus, vel tanquam ex termino â quo.

Dices: quando eadem vox in eadẽ diffinitione diuersa significat, efficitur diffinito æquiuoca: ergo si in diffinitione primorum principiorum diuersimode vsurpatur dictio, ex, prædicta diffinitio erit æquiuoca, & per consequens vitiosa.

Respondetur antecedens esse verum nisi aliunde auferatur æquiuocatio: attamen Aristoteles qui prædictã diffinitionem adduxit, eius æquiuocationem abstulit exhibendo rationes vniuscuiusq; partis, probat enim, quod prima contraria, quæ quidem, sunt prima principia, non fiunt ex aliis, quia alioquin non essent prima: ergo non fiunt ex alijs tanquam ex partibus componentibus, neque tanquam ex termino â quo: probatur cõsequentia, nam si fierent ex alijs aliquo ex his modis; iam non essent prima. Item ex eo probauit, quod prima contraria non fiunt ex alterutris, idest vnum ex alio, quia sunt contraria: ergo dictio, ex, posita in secundo loco, solum significat rationem partis componentis; nam vnum contrariorum bene potest fieri ex alio tanquam ex termino â quo. Denique ex priuatione solum fiunt res naturales tanquam ex termino â quo, & ex materia, & forma tanquam ex partibus componentibus: ergo vt diffinitio principiorum omnibus principijs conueniat dicendum est, quod omnia fiunt ex ipsis, vel tanquam ex termino â quo, vel tanquam ex partibus componentibus.

Prima conclusio: optimè diffiniuntur prima principia ab Aristotele, *quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris omnia tamen fiunt ex ipsis.* Per primam partem excluduntur corpora mixta, quæ fiunt ex alijs, videlicet ex 4. elementis, tum etiam ex materia, & forma. Per vltimam verò particulari excluduntur 4. elementa non enim ex 4. elementis omnia fiunt Cœli enim qui corpora naturalia, sunt non fiunt ex elementis.

Secunda conclusio: diffinitum in prædicta diffinitione non est principium rei naturalis in particulari, neque principium in communi; sed omnia principia collectiue sumpta, proinde enim diffiniuntur principia in numero plurali. Probatur conclusio; nam ex vno principio in particulari non fiunt omnia: ergo prædicta diffinitio non conuenit principio in particulari. Insuper diffinitio alicuius rei vniuersalis semper conuenit cuilibet singulari contento sub illo vniuersali, & prædicatur de ipso in recto, verbi gratia diffinitio hominis conuenit Petro, & prædicatur de ipso in recto, verè enim dicimus, Petrus est animal rationale; sed hæc diffinitio principiorum verificatur de quolibet principio in singulari, vt ostensum est: ergo diffinitum huius diffinitionis non est principium in communi. Dicendum ergo erit, quod diffinitum huius diffinitionis, sunt omnia principia rei naturalis collectiue sumpta: quemadmodum, quando dicimus sensus externi sunt quinq; sed subiectum nõ est

sen-

sensus in singulari, neque sensus in communi, sed omnes sensus collectiue vsurpatis: sic autem poterit diffiniri principium in communi, *quod non fit ex alio priori, neque ex alio principio: sed ex ipso fit aliquod.*

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: contra primam partem diffinitionis. Prima principia rerum naturalium sunt ex Deo, idest à Deo creata: ergo falso dicitur, quod prima principia non fiunt ex alijs.

Respondetur negando antecedens: esse verum si dictio, *ex*, dicat habitudinem causæ efficientis, omnia enim sunt ex Deo tanquam ex causa efficiente. In diffinitione autem primorum principiorum dictio, *ex*, primo loco posita dicit habitudinem termino à quo, vel partis componentis.

Dices: materia prima facta est ex non materia tanquam ex termino à quo: ergo principia rei naturalis; iam fiunt ex alio tanquam ex termino à quo.

Respondetur negando consequentiam: nam non materia est pura negatio, & purum nihil; nam dicit carentiam alicuius entitatis, non tamen in aliquo subiecto; nam materia prima est primum subiectum, & ante ipsam nullum aliud subiectum præsupponitur: ex hoc igitur, quod materia prima fiat ex non materia, non sequitur, quod fiat ex alio.

Dices: materia fit ex genere, & differentia, vel saltim ex his, quæ habent vices generis, & differentiæ tanquam ex partibus componentibus: ergo aliquod primum principium fit ex alijs tanquam ex partibus componentibus.

Respondetur ad antecedens: quod genus, & differentia sunt partes Metaphysicæ. In diffinitione autem primorum principiorum loquimur de principijs Physicis, & reddit hunc sensum: prima principia sunt, quæ non fiunt ex alijs principijs Physicis, neque ex alterutris, &c.

Secundum argumentum, contra secundam partem diffinitionis: forma fit ex priuatione, & etiam educitur ex materia prima: ergo prima principia fiunt ex alterutris; ideſt vnum primum principium fit ex alijs.

Respondent, aliqui formam non fieri; sed totum compositum, non enim dicimus, quod generatur forma Leonis, sed leo. Non placet solutio, nam quamuis forma naturalis, non fiat primo, & per se, & vt quod, fit tamen secundo, & vt quo, & verè dicitur habere esse per generationem.

Respondeo ergo distinguendo antecedens, forma enim non fit ex priuatione tanquam ex parte componente, sed solum tanquam ex termino à quo: ad rationem autem primi principij sufficit, quod non fiat ex alio primo principio, tanquam ex parte componente: ex materia autem non fit forma, sed educitur ex materia, vt infra explicabimus.

Dices : ex eo probat Aristoteles prima contraria non fieri ex alijs tãquam ex termino â quo , quia alioquin non essent prima : ergo si forma fit ex priuatione tanquam ex termino à quo non erit primum principium.

Respondeo : quod Aristoteles loquitur de omnibus primis principijs collectiue sumptis , & ait *quod nihil est prius quam ipsa prima principia collectiue sumpta.* Prima enim pars diffinitionis facit hunc sensum : prima principia non fiunt ex alijs, idest ex alijs principijs ab ipsis distinctis. In secunda autem parte diffinitionis comparat ipsa prima principia adinuicem , & dicit , quod non fiunt ex alterutris tanquam ex partibus componentibus, potest tamen vnum fieri ex alio tanquam ex termino à quo, & quæmadmodum causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere, & ea ratione , qua sunt causæ sunt priores alijs ; ita similiter vnum principium habet rationem principij respectu alterius , & ea ratione qua est principium est prius alio, quemadmodum materia in genere causæ materialis est prior quam forma, & forma in genere causæ formalis est prior quam materia.

Tertium argumentum : contra tertiam partem diffinitionis: Angeli, & accidentia materialia sunt entia naturalia ; & tamen non fiunt ex materia, forma, & priuatione: ergo falso dicitur , quod ex primis principijs omnia fiunt.

Respondeo negando maiorem; nam in Physica ea solum dicuntur entia naturalia , quæ sunt mobilia per se motu Physico , & huiusmodi entia sunt , quæ fiunt ex primis principijs : Angeli autem non sunt mobiles motu Physico, sed Angelico, & accidentia materialia non sunt mobilia per se, sed per accidens.

Dices : corpora cœlestia sunt entia mobilia per se motu Physico ; & tamen non fiunt ex primis principijs: ergo ruit solutio. Probatur minor: nam corpora cœlestia non fiunt ex priuatione, nunquam enim materia cœli habuit priuationem alicuius formæ.

Respondetur negãdo absolute minorem ; nam quamuis corpora cœlestia non fiant ex priuatione, fiunt tamen, & componuntur ex materia, & forma , ac per consequens in diffinitione solũ dicitur absolute , quod ex ipsis principijs omnia fiunt, non tamen dicitur, quod omnia fiunt ex omnibus tribus principijs.

QVAESTIO II.

Vtrum prima principia sint contraria.

OBseruandum est primo ; quod prima contraria, sunt in duplici differentia; alia sunt contraria contrarietate propria, & positiua ; & alia sunt contraria contrarietate impropria. Prima contraria contrarietate propria sunt *entia positiua , quæ sub eodem genere posita maximè distant.*

sant, & eidem subiecto succesiue inhærent à quo mutuo se expellunt, & dicuntur prima contraria, quia non fiunt ex permixtione aliorum contrariorum; imo potius alia contraria positiua ex ipsis fiunt. Huiusmodi prima contraria, sunt quatuor primæ qualitates videlicet frigiditas, caliditas, humiditas, & siccitas: alia autem contraria posita vt albedo, & nigredo amarũ, & dũlce ex permixtione quatuor primarum qualitatum resultant. Prima contraria contrarietate impropria opponuntur priuatiue, & denominant idem subiectum à quo mutuo se expellunt, appellanturque prima contraria, quia omnes alię contrarietates ad priuatiuam reuocantur: De hac contrarietate loquebatur, Arist. cap. 6. dum dixit *in quolibet genere dari vnam primam contrarietatem* genus enim in differentias diuiditur, differentiæ autem opponuntur priuatiue cum vna sit perfectior altera. Perfectum enim, & imperfectum priuatiue opponuntur.

Obserua secundo: quod prima cõtraria priuatiua sic possunt diffiniri *oppositæ, quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris alia tamen fiunt ex ipsis* per primam particulam excludantur ea, quæ non sunt oppositæ, videlicet materia, & forma tum etiam materia, & priuatio, materia enim, neque formæ, neque priuationi opponitur, vt dicemus in secunda conclusione aliæ particulæ diffinitionis eo modo, sunt intelligendæ, quo sunt explicatæ in diffinitione primorum principiorum.

Prima conclusio: forma substantialis, & priuatio talis formæ, quæ quidem sunt duo principia rei naturalis, sunt prima contraria contrarietate priuatiua. Iuxta sensum huius cõclusionis locutus est Aristoteles cap. 5. probauitque hanc contrarietatem authoritate, & ratione. Probatur autẽ ex dictis in obseruationibus: cõtrarietas priuatiua reperitur inter ens positiuum, & priuatiuum, quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed ita se habent forma, & priuatio: ergo sunt contraria contrarietate priuatiua. Probatur minor; nam forma substantialis, & priuatio mutuo se expellunt à materia prima, aduenientе enim forma recedit priuatio; tum etiam ipsam materiam succesiue denominant, nam â priuatione materia dicitur priuata, & â forma vocatur informata.

Secundo probatur conclusio: forma, & priuatio sunt oppositæ, quæ non fiunt ex aliis, neque ex alterutris, alia tamen fiunt ex ipsis: ergo forma, & priuatio sunt prima contraria consequentia constat ex secunda obseruatione.

Secunda conclusio: materia, & forma nulla tenus contrariantur, neque etiam materia, & priuatio. Probatur conclusio; nam contraria in eodem subiecto reperiuntur; sed materia prima, cum sit primum subiectum, non potest in alio subiecto reperiri, alioquin non esset primum: ergo materia nulli contrariatur. Secundo probatur vnum contrarium non recipit, sed potius expellit alterum con-

contrarium; sed materia prima recipit in se formam, & priuationem: & est subiectum vtriusque: ergo materia nec forma, nec priuatio contrariantur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam: si prima principia essent contraria maximè propter argumenta Aristoteles adducta cap. 5. sed prædicta argumenta sunt nulla: ergo prima principia, non sunt contraria. Probatur minor; in primis falsum est argumentū primū de sumptum ab authoritate, ait enim Aristoteles, quod omnes antiqui Philosophi admittebant contrarietatem in principijs, hoc autem sic ostenditur esse falsum: contrarietas debet esse saltim inter duo extrema; sed inter antiquos Philosophos aliqui videlicet Parmedines, & Melissus vnum tantum principium admittebant: ergo iuxta sententiam istorum, non dabatur contrarietas in principijs.

Præterea secundum argumentum, quo vtitur Aristoteles ad probandum eā esse conclusionem peccat in forma; nam est in secunda figura, cum medium verbum prædicetur in vtraque præmissa, & ex alia parte vtraque præmissa est affirmatiua; sed in secunda figura ex vtraque præmissa affirmatiua non bene sequitur consequentia, vt diximus lib. 6. compōnendi: ergo prædictum argumentum pecat in forma. Insuper illa propositione prima contraria sunt prima principia est vniuersalis affirmatiua: ergo non bene conuertitur conuersione simplici; nam vt diximus lib. 5. Compendij propositio vniuersalis affirmatiua, non conuertitur simpliciter.

Respondetur negando minorem: probationi dico, quod etiam illi Philosophi, qui vnum tantum admittebant principium concedebant contrarietatem; nam in eodem principio secundum substantiam admittebant contraria accidentia, videlicet rarum, & densum, calidum, & frigidum.

Ad impugnationem alterius argumenti adducti ab Aristotele dico, quod licet syllogismus in secunda figura ex duplici affirmante non semper inferat verum consequens, attamen ratione materiæ potest sequi verum consequens, quando fit argumētum â diffinitione ad diffinitum, vt constat in hoc syllogismo; omnis homo est animal rationale; sed omne risibile est animal rationale: ergo omne risibile est homo; Iam verò ratio, qua vtitur Aristoteles procedit â diffinitione ad diffinitum, nam ex hoc, quod diffinitio primorum principiorum conuenit primis contrarijs infert, quòd prima contraria sunt prima principia.

Ad vltimam impugnationē, quod illa propositio prima contraria, sunt prima principia non est vniuersalis, sed singularis, quia subiectum vsurpatur collectiue propositio autem cuius subiectum vsurpatur collectiue est singularis vt diximus lib. 5.

Com-

Compendij cap. 6. in solutione primi argumenti, propositio autem singularis optime conuertitur conuersione simplici.

Secundum argumentum: principia componunt rem naturalem; sed contraria cum se mutuo expellant nō componunt: ergo prima principia non sunt contraria.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera loquendo de principijs realibus, videlicet de materia, & forma, ista enim sunt prima principia componentia, est tamen falla si intelligatur vniuersaliter de omnibus primis principijs, nam priuatio, quæ formaliter est ens rationis, non componit rem naturalem.

Tertium argumentum: forma est substantia; sed substantiæ nihil est contrarium: ergo forma, & priuatio non contrariantur.

Respondetur minorem esse veram de contrarietate propria positiua, nō autem de contrarietate impropria, & priuatiua.

Quartum argumentum: oppositæ contrarię sunt entia positiua; sed priuatio non est ens positiuum: ergo non contrariatur formæ: maior constat ex his, quæ diximus cum Aristotele in lib. Cathegoriarum cap. 10. vbi constituimus discrimen inter oppositæ contrarię, & oppositæ priuatiua.

Respondetur: maiorem esse veram de contrarietate propria, non autem de contrarietate impropria de qua loquimur in conclusione.

QVAESTIO III.

Vtrum prima principia rei naturali sint tria tantum.

OBseruādū est primo: quod principia rei naturalis sunt in duplici differentia: alia sunt extrinseca, & alia intrinseca; principia intrinseca rei naturalis ea dicuntur: *sine quibus res naturalis, neque esse, neque intelligi potest* sunt tamem de essentiali conceptu ipsius. Principia extrinseca sunt *ea sine quibus res naturalis esse, vel saltim intelligi potest* huiusmodi sunt causa efficiens, & finalis.

Obseruandū est secundo: quod ens mobile, seu res naturalis, & Physica potest dupliciter considerari, primo in fieri, idest quatenus fit, & generatur, & est quasi in via ad essendum: secundo in facto esse in quantum, videlicet res Physica iam est genita, & habet esse permanens.

Obseruandū est tertio: quod fieri ipsius rei (seu quod idem est) generatio substantialis potest tripliciter considerari: Primo vt est actio procedens â generante: secundo vt est passio, & hac ratione recipitur in genito, & idemtificatur realiter cum ipso: tertio vt est mutatio de non esse tali ad esse tali; v. g. de non esse hominis ad esse hominis. Præsens quæstio procedit de principijs intrinsecis rei naturalis, & de generatione vt est formaliter mutatio.

Prima conclusio: prima principia

rei

rei naturalis infieri, seu generationis rei sunt tria, videlicet materia, forma, & priuatio, nec dantur plura, nec pauciora; ita Aristoteles cap. 6. & 7. Ratione probatur: generatio prout vsurpatur in præsenti est mutatio; sed de intrinseco conceptu cuiuslibet mutationis sunt tria principia: ergo tria erunt principia generationis substantialis, seu rei naturalis in fieri. Probatur minor; nã quæuis mutatio essentialiter dicit terminum à quo incipit, & terminum ad quem terminatur, & subiectum in quo fit mutatio: ergo de cõceptu essentiali mutationis sunt tria principia tantum. In generatione itaque substantiali, priuatio erit termiuus â quo, forma substãtialis erit terminus ad quem, & materia prima erit commune subiectum talis mutationis.

Secunda conclusio: prima principia rei naturalis in facto esse, seu rei genitæ, sunt duo tantum, videlicet materia, & forma: Probatur; nam res naturalis, non potest esse, neque intelligi vt genita quin intelligatur composita ex materia, & forma: ergo ista erunt principia intrinseca rei genitæ. Quod autem non dentur plura constat, nam sola ista duo principia sunt de essentia rei genitæ, & manent in ipsa. Quæritur igitur, quot sunt principia rerum naturalium? media distinctione respondendum est iuxta duas conclusiones in hac q. propositas.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam; omnis causa est principium vt diximus quæst. 1. sed causæ sunt quatuor: ergo etiam principia erunt quatuor.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera loquendo de principio in communi prout complectitur tam principia intrinseca, quam extrinseca: est tamen falsa maior, loquendo de principio intrinseco; nam sola causa materialis, & formalis, sunt principia intrinseca, efficiens autem, & finalis, sunt principia extrinseca; iam verò in præsenti quæstione solum loquimur de principijs intrinsecis.

Dices priuatio non est principium intrinsecum; & tamen connumeratur inter principia rei naturalis: ergo ruit solutio: probatur maior, priuatio formaliter considerata est purum nihil: ergo nõ potest esse principium intrinsecum entis realis.

Respondetur negando maiorem; probationi dico, quod priuatio est ens reale, & quamuis ens rationis nõ possit esse principium intrinsecum componens ens reale, potest tamen esse intrinsecum includens essentialiter in conceptu essentiali alicuius entis realis, & hac ratione priuatio est intrinseca generationi, quia generatio non potest essentialiter intelligi, sine priuatione, quæ est terminus à quo: quemadmodum scientia de ente rationis, quamuis sit formaliter ens

ens reale non potest esse, neque intelligi sine ente rationis.

Dices: etiam causa efficiens includitur in conceptu essentiali generationis; & tamen non est principium intrinsecum: ergo solutio est nulla. Probatur maior, generatio est actio, sed actio dicit essentialem ordinem ad causam agentem, & efficientem, & non potest esse, neque intelligi actio sine causa agente: ergo causa efficiēs includitur in conceptu essentialiter generationis: probatur minor; nam actio est mutatio, vt procedit ab agente, & efficiente.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera si intelligatur de generatione, vt est actio, non autem si intelligatur de ipsa, vt est formaliter mutatio, qua ratione loquimur in præsenti de generatione.

Dices: mutatio dicit essentialem ordinem ad causam mutantem; sed causa mutans est causa efficiens: ergo mutatio essentialiter includit causam efficientem.

Respondetur distinguendo, similiter maiorem: si enim intelligatur de mutatione, vt est actio vera est: si autem de mutatione formaliter, & duplicando, vt est mutatio falsa est maior; nam sub ista ratione solum dicit terminum â quo, & ad quem, & subiectum recipiēs vtrumq; terminum.

Secundum argumentum: Deus opt. max. est primum principium omnium rerum naturalium; sed non est materia, nec forma, nec priuatio: ergo principia sunt plura tribus.

Respondetur distinguendo maiorem: Deus enim est primum principium extrinsecum rei naturalis, cum sit causa efficiens, & finalis, non autem est principium intrinsecū, de quo loquimur in præsenti.

Dices: tota affinitio primorum principiorum rei naturalis conuenit Deo; nam Deus non fit ex alijs, neq; ex altero primo principio, & ex ipso omnia fiunt: ergo Deus est primum principium intrinsecum.

Respondetur negando antecedens; nam quamuis omnia fiant ex Deo tanquam à causa efficiente, non tamen tanquam ex termino à quo, vel tanquam ex parte componente, qua ratione diximus q. 1. huius cap. intelligendam esse diffinitionem primorum principiorum.

Tertium argumentum: priuatio est idem realiter cum materia prima, vt docet Aristoteles cap. 6. ergo priuatio, & materia prima, non sunt duo principia distincta.

Respondetur interpretando Aristotelem, intelligendus est enim de identitate negatiua, dicuntur enim materia prima, & priuatio esse idem realiter, quia non sunt duo entia realia realiter distincta, nam priuatio nō est formaliter ens reale: absolute autē distinguuntur realiter sicut ens, & non ens, vt optime probat Aristoteles infra cap. 9. Alia argumenta, quæ contra primam conclusionē proponi possent dissoluentur infra q. 1. de priuatione cap. 8. in quo soluit Aristoteles rationem antiquorum Philosophorum contra generationem naturalem.

B. N. F. U. L. D. 2.

CAPVT OCTAVVM.

IN QVO SOLVIT ARISTOTELES rationem antiquorum Philosophorum contra generationem naturalem.

IN duas partes distribuitur hoc cap. In prima proponitur ratio Antiquorum negantium generationem naturalem. In secunda verò disoluitur. Sic igitur arguebãt Antiqui: si aliquid generaretur, vel ex ente, vel ex nihilo: non ex ente, alioquin res esset priusquam generaretur. Deinde, neq; ex nihilo; nam ex nihilo nihil fit: ergo nihil generatur, ac per consequens, neque corrumpitur, sed solum datur vnum ens in genere, & corruptibile.

Pro solutione huius argumentati, obseruat Atistoteles, quod quemadmodum agere, & pati contingit dupliciter, videlicet per se, vt cum ædificator ædificat, & frigidus calefit. Et per accidens, vt cum musicus ædificat, vel albus calefit, accidit enim actioni ædificandi, quod procedat à musico, & calefactioni passiue, quod recipiatur in albo; ita similiter ens, & non ens dupliciter dicuntur, videlicet per se, & per accidens, seu ex accidenti: illud per se est ens, quod ex se est aliquid, v. g. animal: illud per se est non ens, quod ex se est nihil: illud per accidens est ens, quod licet fit nihil ex se, est tamen coniunctum cum ente, & hac ratione priuatio potest dici ens, quia licet ex se fit nihil, est tamen coniuncta cum materia prima, quæ est ens reale: illud denique per accidens est non ens, quod licet per se sit ens, est tamen coniunctum cum eo, quod est nihil, & hac ratione materia prima potest dici, non ens in quantum est coniuncta cum priuatione.

Hoc posito respondet Aristoteles rationi Antiquorum dicens, id quod incipit esse simpliciter, & quo ad omnes sui partes non fit ex ente, alioquin esset antequam esset, neque ex non ente, seu nihilo, nam ex nihilo nihil fit, quod autem generatur non incipit esse simpliciter, & quo ad omnes sui partes; nam negatio supponit materiam rei generandæ ac per consequens id quod generatur, fit ex ente, videlicet ex materia prima, quæ per se est ens, & etiam quodãm modo fit ex non ente, quia fit ex materia prima, vt habet priuationem formæ: ex hoc autem non sequitur, quod res, quæ generatur sit ante quam fiat, nam illud ens, quod præsupponitur

est

est materia prima; ens verò, quod generatur, est totum compositum. Neque etiam sequitur, quod ex nihilo nihil fiat; nam illud non ens, quod præsupponitur per accidens est non ens. Secundo respondet Aristoteles quidquid generatur, generari quodam modo ex ente, & ex non ente, videlicet ex materia prima, quæ est ens in potentia, & est non ens actu: Concludit Arist. hoc caput dicens: *quod nunquam Philosophi adeo errassent si naturam materiæ primæ optimè agnouissent.*

CAPVT NONVM.

DE PRINCIPIIS RERVM NAturalium in particulari.

Diuiditur hoc caput in duas partes. In prima probat contra platonem priuationem distingui â materia prima. In secunda autem demateria, & forma sigillatim disputat. Sic igitur arguebat Plato, quod est præter ens est non ens, sed materia prima est præter ens, cum non sit ens in actu: ergo materia prima est non ens; sed non ens est priuatio entis: ergo materia, & priuatio non distinguntur. Præterea materia prima, & priuatio sunt vnum in subiecto: ergo non distinguntur.

Sit nihilo minus conclusio: materia prima, & priuatio essentialiter distinguntur. Probatur primo; nam materia prima per se est ens, priuatio autem per se est non ens, & solum per accidens est ens, vt dictum est capite præcedenti. Probatur secundo, materia prima est proprié substantia, cum sit pars totius substantialis. Priuatio verò non est pars substantiæ. Probatur tertio; materia prima recipit in se formam, & illam quasi sinu suo fouet, & conseruat, quam ob causam dicitur â Philosophis nutrix, Mater, & receptaculum formæ: priuatio autem non recipit formam, sed eam potius expellit. Probatur quarto: materia prima appetit formam, vt ab ea perficiatur: est enim forma, quid optimum, & fere diuinum: quemadmodum mulier appetit virum, vt ab eo illustretur, & perficiatur: priuatio autem nullo modo appetit formam, sed ei potius opponitur: ergo priuatio, & materia prima essentialiter distinguntur.

Ad argumenta Platonis facile responderi potest ex dictis. Ad primum enim respondetur materiam primam esse ens in potentia, ac per consequēs falsum est dicere, quod sit nō ens. Ad secundum respondetur, quæ sunt vnum

num subiecto posse essentialiter distingui, vt constat in homine, & albedine homini inhærente.

In secunda parte capite probat Arist. materiam esse ingenerabilem; nam in qualibet generatione præsupponitur subiectum, & similiter post corruptionem relinquitur aliquod subiectum; sed ante materiam primam, vel post materiam primam nullum datur subiectum: ergo materia prima, non est generabilis, nec corruptibilis: minor probatur: materia prima sic diffinitur: *primum subiectum, ex quo insito res fiunt per se, non aliena vi, neque per accidens, idem autem est primum, & vltimum subiectum generationis, & corruptionis*: ergo ante materiam primam, vel post materiam primam non datur aliquod subiectum.

Asserit tandem Arist. quod licet ad Metaphysicum spectet agere de formis separatis, & de earum numero: pertinet tamen ad Physicum agere de formis substantialibus, quæ oriuntur, & intereunt. Per formas separatas intelligit Arist. vt interpretat D. Tho. illas ideas Platonis realiter separatas à singularibus, Alij verò dicũt quod intelligit Arist. Angelos, qui sunt formę separatæ, cum sint omnino spirituales, & sine materia.

DISPVTATIO DE MATERIA PRIMA.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM IN REBVS NATVRALIBVS detur materia prima.

OBseruandum est primo: quod materia est duplex: alia Metaphysica, & alia Physica: Materia Metaphysica est genus respectu differentiæ; nam quemadmodum materia Physica perficitur, & determinatur per formas, ita genus per differentias: Materia Physica est duplex, alia dicitur prima, & alia secunda: Materia prima dicitur illa: quæ recipit in se immediate formam substantialem, & dicitur prima, quia est primum subiectum, nullum aliud supponens: Materia secunda, est substantia composita ex materia prima, & forma substantiali, in quantum talis substantia est actualis, & perfectibilis per alias formas, & hac ratione totum compositum dicitur materia respectu accidentium.

Obseruandum est secundo: quod materia tripliciter dicitur: alia vocatur materia in qua, alia ex qua, & alia denique circa quam: materia in qua ea dicitur in qua subiectatur aliqua forma, in quo sensu totum compositum est materia in qua accidentium; materia ex qua vocatur ea ex qua aliquid componitur, vt domus ex lapidibus, vel ex qua aliquid educitur, vt accidentia ex toto composito. Denique materia circa quam est illa circa

quam

quam aliquid versatur, in quo sensu diximus in Logica, quod obiectum alicuius scientiæ, vel potentiæ dicitur materia circa quam. Materia prima hæc tria munera habet secundum diuersam rationem. Dicitur enim materia in qua; quia est subiectum omnium formarum substantialiū. Vocatur materia ex qua; quia ex ipsa tanquam ex parte componente fit totū compositum, & ex ea educuntur omnes formæ substantiales præter animam rationalem. Denique appellatur materia circa quam; quia circa ipsam versatur a gens naturale, eam transmutando.

Sit conclusio: in rebus naturalibus datur materia prima. Communis est conclusio inter omnes Philosophos, quam habet expresse Arist. In hoc lib. Ratione probatur; ex nihilo nihil fit ab agente naturali: ergo quod generatur ex aliquo præexistenti generatur; sed non ex forma, quia hæc producitur, vel introducitur de nouo: ergo generatur, & fit ex materia prima.

Secundo probatur conclusio: de facto dantur generationes naturales: ergo de facto datur materia prima: probatur consequentia, generatio est mutatio; sed in quamuis mutatione præter duos terminos contrarios, datur commune quoddam subiectum recipiens vtrumque terminum: ergo in generatione substantiali, præter formam, & priuationem, quæ sunt duo termini contrarij, dabitur materia prima, quæ est commune subiectum vtriusque.

Tertio probatur conclusio: ens naturale Physicum componitur ex forma, & ex aliquo subiecto talis formæ: ergo vel tale subiectum fit ex alio, vel non fit ex alio; non primum, alioquin daretur processus in infinitum; nam hoc aliud subiectum etiam fieret ex alio, & sic de cæteris: ergo dicendum est dari aliquod subiectum quod ex alio non fit; sed hoc subiectum est materia prima: quæ propter hanc causam primum subiectum appellatur: ergo de facto datur materia prima.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: si daretur materia prima maximè vt esset subiectum transmutationis substantialis; sed ad hoc non requiritur: ergo non datur materia prima: Probatur minor, quando ex speciebus Consecratis in Sacramento Eucharistiæ fiunt vermes, veré ibi reperitur generatio, & transmutatio substantialis; & tamen ibi non reperitur materia prima: ergo potest dari transmutatio substantialis sine materia prima: Probatur minor; nam species Consecratæ existunt sine subiecto: ergo sine materia prima: ergo nulla materia ibi reperitur.

Respondetur negando minorem; probationi sic cum D. Tho. 3. p. q. 77. art 1. quod generatio vermium ex speciebus Consecratis, quamuis in se, & formaliter, non sit miraculosa, sed naturalis; nihilominus tamen præsupponit illud ineffabile mi-

ra-

raculum transubstantiationis panis in Corpus Christi Domini, quod quidem miraculum in ipsa Consecratione fit: vnde talis generatio vermium antecedenter est miraculosa, & supernaturalis, ac per consequens non sequitur, quod ad alias generationes, quæ sunt formaliter, & antecedenter naturales, non sit necessaria materia prima.

Secundum argumentum: si esset admittenda materia prima, maximè, vt esset subiectum formæ substantialis, sed ad hoc non requiritur: ergo non datur materia prima: Probatur minor, sicut se habent formæ accidentariæ, ita se habent formæ substantiales interse; sed vna forma accidentaria, videlicet quantitas, est subiectum aliarum formarum accidentalium, v. g. albedinis, frigiditatis, vel caloris: ergo etiam vna forma substantialis poterit esse subiectum aliarum formarum substantialium: ergo non requiritur materia prima.

Respondetur negando minorem; probationi negamus maiorem; est enim dispar ratio de formis accidentalibus, & de substantialibus; nam multæ formæ accidentales specie, & genere distinctæ possunt simul reperiri in eodem subiecto: v. g. quantitas, caliditas, albedo, &c. Duæ autem, vel plures formæ substantiales non possunt simul reperiri in eodem subiecto; nam formæ substantiales habent iter se in compossibilitatem, ideſt nō possunt esse simul in eodem subiecto; nam cum forma substantialis sit, quæ dat esse rei, vnitas rei, & subiecti requirit etiam vnitatem formæ substantialis.

QVAESTIO II.

Vtrum materia prima sit substantia.

PRima conclusio: materia prima est substantia. Probatur; materia prima est pars totius Physici substantialis intime ipsum componens: ergo materia prima est substantia: consequentia est euidens; nam ex non substantijs non potest fieri substantia.

Secundo probatur conclusio: id cui debetur per se existere, ideſt non in alio tanquam in subiecto, verè, & propriè est substantia, hæc enim est essentia, & diffinitio substantiæ, vt in Logica explicauimus; sed hoc conuenit materiæ primæ: ergo materia prima est substantia. Probatur minor; nam materia prima est primum subiectum: ergo non est in alio tanquam in subiecto, alioquin non esset primum subiectum; hinc dicebat simplicius 1. Physic. tex. 52. magis conuenire materiæ primæ esse substantiam, quam formæ substantiali; quia forma est in aliquo subiecto, videlicet in materia prima, non inhærendo, sed informando; at verò materia prima nullo modo est in subiecto.

Secunda conclusio: Materia prima est substantia incompleta: Probatur, materia prima, ex natura sua est pars essentialis, Physica totius substantialis: ergo est substantia partialis: ergo incompleta.

Se-

Secundo probatur: ex materia prima, & forma substātiali fit vnum ens per se, videlicet, totum Physicum: ergo materia, & forma sunt substantiæ incompletæ: consequentia constat; nam ex duplici ente completo, non fit vnum per se, sed per accidens.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: contra primam Arist. 7. Metaph. cap. 3. ait, *quod materia prima non est quid, nec quantum, neque aliquod aliorum accidentium*: ergo materia prima non est substantia: probatur consequentia; nam illa dictio *quid* substantiam significat.

Respondetur interpretando Arist. id circo enim dixit *materiam primā non esse quid*; quia non est substantia completa, & integra: quemadmodum in Logica capite de substantia dixit *differentias substantiales non esse substantias* quia non sunt substantiæ completæ, sed incōpletæ, & substantiales.

Respondetur secundo: proinde dixisse Arist. quod materia prima non est quid, idest substantia; quia ex se est indifferens ad quamlibet speciem substantiæ, & secundum se nō est sub aliqua specie determinata, in quo distinguntur maximé materia, & forma; nam quamuis vtraque collocetur reductiue, & indirecte in Cathegoria substantiæ; attamen forma substantialis reducitur ad aliquam determinatam speciem: v. g. forma hominis ad hominem; materia verò, cum ex se sit indifferens ad formas omnes substantiales, nec sit determinata pars huius, vel alterius compositi, ex se etiam est indifferens ad omnes species Cathegoriæ substantiæ.

Dices: quidquid est in aliquo determinato genere necessario debet esse sub aliqua determinata specie Cathegoriæ substantiæ.

Respondetur antecedens esse verum si sermo fiat de eo, quod est contrahens, & determinans, qualis est forma Physica, & differentia essentialis, & etiam de eo quod est contractum, & determinatum, quale est totum compositum, non autem est verum antecedens, si sermo fiat de eo quod est contrahibile, & determinabile. Iam verò materia prima ex natura sua est contrahibilis, & determinabilis per formas substantiales.

Secundum argumentum: substantia est id cui debetur per se existere; sed materiæ primæ non debetur per se existere, cum semper existat per aliud, videlicet per formam: ergo materia prima non est substantia.

Respondetur negando consequentiam; nam licet materia prima non existat per se, idest per propriam existentiam, existit tamen per se, idest non in alio tanquam in subiecto: quemadmodum diximus in Logica de Humanitate Christi Domini: Iam verò essentia substantiæ solum est esse id cui debetur per se existere, idest non in alio tanquam in subiecto.

QVAES-

QVAESTIO III.

Virum materia primâ sit generabilis; & corruptibilis.

PRima conclusio: Materia prima non est per se generabilis, vel corruptibilis, sed fuit creata à Deo initio mundi, & non potest desinere esse, nisi à Deo annihiletur. Conclusionem istam quòad primam partem docuit Arist. cap. 9. huius libri; & Probatur ratione ipsius; nam quod generatur fit ex præsupposito subiecto, & quod corrumpitur in aliquod subiectum vltimum resoluitur; sed materia prima, cum sit primum subiectum non potest fieri ex præsupposito subiecto, & cum etiam sit vltimum subiectum in quod resoluuntur res corruptibiles, non potest eius destructio resolui in aliud subiectum: ergo materia prima non est per se generabilis, vel corruptibilis.

Secunda pars conclusionis probatur; nam materia fit ex nullo præsupposito subiecto: ergo ex nihilo: ergo creatur à Deo; nam creatio est productio entis ex nihilo. Insuper materia prima quando desinit esse non resoluitur in aliquod subiectum: ergo resoluitur in nihilum: ac per consequens annihilatur.

Secunda conclusio: Materia prima est generabilis & corruptibilis quoddammodo, & per accidens, videlicet ratione priuationis. Hanc conclusionem expresse habet Arist. cap. 9. huius libri, non autem ab omnibus eodem modo intelligitur. Aliqui enim dicunt; quod materia prima generatur ratione priuationis, quando accipit priuationem alicuius formæ; corrumpitur verò, quando talem priuationem amittit: dicitur ergo generari, vel corrumpi, quia priuatio in ea existens generatur, vel corrumpitur; cum enim materia, & priuatio sint idem subiecto, quæ conueniunt priuationi possunt acomodari materiæ.

Hæc tamen explicatio verborum Arist. non placet; nam quando materia adquirit priuationem formæ amittit actum, vel formam; sed ex eo, quod aliquid amittit actum, vel formam non dicitur generari, sed potius corrumpi: ergo quando materia adquirit priuationem potius dicitur corrumpi, quam generari. Eodem etiam argumento potest probari; quod materia prima non corrumpitur quando amittit priuationem; nam quando amittit priuationem recipit formam: ergo potius hinc dicitur generari, quam corrumpi.

Dicendum igitur est; quod materia prima est generabilis, & corruptibilis ratione priuationis. Nam ex eo quod amittit priuationem dicitur generari; quia tunc adquirit formam, & ex eo quod adquirit priuationem dicitur corrumpi ratione illius priuationis, quia ratione illius amittit formam substantialem. Hæc interpretatio verborum Arist. directe opponitur interpretationi propositæ; quam non admittimus.

Probatur autem veritas huius interpretationis, tunc aliquid dicitur

generari, quando adquirit esse; tunc verò dicitur corrumpi, quando tale esse deperdit; sed quando materia adquirit priuationem, & amittit formã substantialem perdit esse; quando verò amittit priuationem, & recipit in se aliquam formam adquirit esse: ergo quando perdit priuationem generatur, & quando adquirit priuationem corrrmpitur: Probatur minor; forma dat esse actuale materiæ primæ: ergo materia prima, quando recipit formam quoddammodo generatur; quando autem expellitur forma quoddammodo corrumpitur.

Dicimus: *quoddammodo*, *seu per accidens* quia hoc non conuenit materiæ ex se, & ratione sui; nam materia prima secundum se absolute dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis, & solum ratione priuationis, vel ratione formæ dicitur generari, & corrũpi modo explicato.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam; subiectum Calefactionis verè, & propriè calefit: ergo etiam subiectum generationis, & corruptionis generatur, & corrumpitur; sed materia prima est subiectum generationis, & corruptionis: ergo materia prima generatur, & corrumpitur.

Respondetur cum Ferrariensi, distinguẽdo consequẽs: dupliciter enim dicitur aliquid generari, vel corrũpi, primo subiectiue, quatenus videlicet est subiectum in quo generatio, vel corruptio substantialis exercetur, & in hoc sensu possumus dicere, quod materia prima generatur, & corrumpitur: secundo, terminatiuè; quia videlicet est terminus productus per generationem, vel destructus per corruptionem, & hac ratione non generatur, nec corrumpitur materia prima, sed forma, vel totum compositum. Iam verò illud propriè generatur, & corrumpitur, quod generatur, & corrumpitur terminatiuè.

Secundum argumentum: generari est mutari de non esse ad esse, corrumpi autem de esse, ad non esse; sed materia prima dum recipit formam mutatur de non esse ad esse, videlicet de priuatione ad formam; dum autem excluditur forma mutatur materia prima de esse ad non esse, videlicet de forma ad priuationem: ergo materia prima propriè generatur, & corrumpitur.

Respondetur; quod generatio est mutatio de non esse actu, ad esse actu; corruptio autem est mutatio de esse actu, ad non esse actu, ac per consequens, quod generatur non habebat antea esse in actu, & quod corrumpitur non permanet actu; at verò materia prima, quando recipit de nouo aliquam formam, non mutatur de non esse actu, sed de esse actu tali, ad esse tale: v. g. quando homo moritur mutatur materia prima, de esse actuali hominis; ad esse actuale cadaueris: Nam materia prima, quam diu habet formam, semper est ens actu; sed semper habet aliquam formam substantialem: ergo semper est ens in actu: ergo non mutatur de

non

non esse actu, ad esse actu; ac per consequens non generatur. Et eodem modo potest probari, quod non corrumpitur.

QVAESTIO IV.

Vtrum diffinitio materiæ primæ sit optima.

SIt conclusio: optime diffinitur materia prima ab Arist. cap. 9. huius libri: *primum subiectum ex quo insito aliquid fit per se, non aliena vi, neque per accidens.* Hanc diffinitionem communiter admittunt omnes Philosophi, explicaturque â nobis per singulas particulas; dicitur *primum subiectum*; quia est id, quod primo supponitur in generatione substantiali, & non datur aliud subiectum prius ex quo res naturalis componatur. Per hanc particulam excluditur materia secunda, quæ nõ est primum subiectum, sed secundum: Excluduntur etiam quatuor elementa, quæ cum componantur ex alio priori subiecto, videlicet ex materia prima non sunt primum subiectum, sed secundum.

Dicitur; *ex quo insito aliquid fit*; ideſt ex quo remanente, & perseuerante fit res naturalis, vt excludatur priuatio formæ introducendæ, quæ quamuis sit principium rei naturalis in fieri, non tamẽ remanet, vel perseuerat in re naturali, sed potius expellitur per formam: Excluduntur etiam per eandem particulam causæ extrinsecæ, videlicet efficiens, & finalis; nam illa dictio, *ex*, posita in diffinitione materiæ primæ dicit habitudinem causæ componentis, res autem naturalis non componitur ex causa efficiente, vel finali, neque proprie loquendo dicitur aliquid fieri ex causa efficiente, vel ex fine: sed â causa efficiente, & propter finem. Additur tandem *per se, non aliena vi, neque per accidens*, vt excludatur priuatio formæ expulsæ, & priuationes aliarum formarum, quas potest habere materia prima; cum enim priuationes istæ sint in materia prima, & ex materia prima, tanquam ex principio componente fiat ens Physicum, etiam quoddam modo ex ipsis priuationibus tanquam ex principiis insitis, & permanentibus aliquid fit, non tamen per se, sed aliena vi, & per accidens, videlicet ratione materiæ primæ, cui coniunguntur tales priuationes.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: materia prima est vltimum subiectum, in quod fit vltima resolutio, quando aliqua res corrumpitur: ergo falso dicitur primum subiectum.

Respondetur negando consequentiam; nam materia prima est primũ, & vltimum subiectum; Primum inquam in generatione rei naturalis, vltimum autem in corruptione: Dicitur tamen primum subiectum, non verò vltimum; quia generatio per se intenditur â generante, corruptio autem non intenditur per se, sed per

accidens, in quantum videlicet non potest reperiri generatio vnius entis, quin etiam reperiatur corruptio alterius, & propter hanc etiam causam non dicitur materia prima, sed materia vltima.

Secundum argumentum: essentia materiæ primæ est esse puram potentiam passiuam; sed hoc non exprimitur in prædicta diffinitione: ergo prædicta diffinitio est nulla.

Respondetur negando consequentiam: solum enim infertur prædictam diffinitionem non esse essentialem; iam verò bene potest esse optima quin sit essentialis.

Respondetur secundo negando minorem; nam eo ipso, quod dicitur materiam primam esse primum subiectum, consequenter etiam affirmatur esse potentiam passiuam susceptiuam formæ substantialis.

QVÆSTIO V.

Vtrum esse potentiam passiuam sit de essentia materiæ primæ.

POtentia realis duplex est: alia actiua, quæ datur ad aliquid agẽdum, vt potentia combustiua ignis, & alia passiua, quæ datur ad aliquid patiendum, vel recipiendũ, vt potentia quam habet aqua, vt possit calefieri. Certum est materiam primam non esse potentiam actiuam; nam vt ait D. Tho. 1. contragentes cap. 17. *materia prima non est principium agendi*: Tum etiam; quia omnis potentia actiua supponit aliquem actum in agente, & materia prima nullum actum habet, cum sit pura potentia, vt probabimus q. sequenti: est tamen materia prima potentia passiua ad recipiendam formam: quia verò formæ sunt in duplici differentia; aliæ sunt substantiales, vt anima rationalis, anima leonis, vel plantæ: aliæ verò sunt accidentariæ, vt quantitas, qualitas, & alia accidentia, etiam potentia passiua materiæ primæ est duplex: alia ad recipiendam formam substantialem: alia verò ad formam accidentariam.

Rursus: vtraque potentia passiua materiæ primæ subdiuiditur in proximam, & remotam. Potentia proxima est, quam dicit materia prima ad aliquam formam determinatam ratione dispositionum, quas in se habet: v. g. materia hominis, quando homo moritur recipit dispositiones, quibus disponitur ad recipiendam formam cadaueris; & materia prima sic disposita dicitur habere potentiam proximam ad recipiendam formam cadaueris. Potentia remota est, quam dicit materia prima ad omnes formas indifferenter, & indistincte esse, & ratione sui, & non ratione alterius.

Prima conclusio: Potentia proxima, & remota materiæ primæ, siue ordinentur ad formam substantialem, siue accidentalem, est vna numero entitas realiter identificata cum materia prima. Probatur conclusio; nam eadem potentia materiæ primæ secundum se considerata dicitur remota, & quatenus materia prima est dis-

posita

posita ab agente naturali talis potentia dicitur proxima: tum etiam eadem potentia, quæ primo, & per se respicit formam substantialem, ordinatur etiam secundo ad formam accidentalem: ergo istæ potentiæ nō sunt realiter inter se distinctæ, sed sunt vna numero entitas substantialis cum ipsa materia prima.

Secunda conclusio. Si potentia proxima materiæ primæ, consideretur formaliter, & duplicando quatenus condiuiditur potentiæ remotæ, non est de essentia materiæ primæ. Probatur conclusio: prædicta potentia est accidens prædicabile materiæ primę: ergō non est de essentia ipsius: consequentia est euidens: antecedens probatur; potentia proxima materię primæ potest adesse, & abesse, id est affirmari, & negari de materia prima absque interitu ipsius: ergo talis potentia est accidens prædicabile; probatur antecedens; materia prima dicit potentiam proximam, quando est dispositа ad recipiendam aliquam formam, sed accidit materiæ primæ esse dispositam, vel non dispositam, & dispositiones possunt adesse, & abesse à materia prima absque interitu ipsius: ergo etiam accidit materię primę esse potentiam proximam, vel nō esse. Hinc materia prima corporum Cœlestiū non habet potentiam proximam ad aliquam formam substantialem, quia non est capax ad recipiendas dispositiones disponentes ad aliam formam.

Tertia conclusio. Si potentia remota materiæ primæ ad formas accidentarias vlurpetur formaliter, & duplicando, quatenus condiuiditur potentiæ remotæ ad formas substantiales, non est de essentia materiæ primæ. Probatur; nam talis potentia habet modum proprietatis respectu materia primæ: ergo non est de essentia materiæ primæ: Probatur antecedens; proprietas dicitur, quod dimanat ab essentia rei; sed ab essentia materiæ primæ, quæ est esse potentiam remotam ad formam substantialem profluit hoc quod est esse potentiam ad formam accidentariam: ergo talis potentia habet modum proprietatis.

Quarta conclusio. Potentia passiua remota ad formas substantiales est de essentia materiæ primæ. Colligitur hæc conclusio ex Arist. qui. 2. de Anima cap. 1. sic dicit: *esse autem materiæ potestas, species autem (id est forma) est actus, & perfectio*, sed esse actum est de essentia formæ: ergo etiam esse potestatem, seu potentiam erit de essentia materiæ primæ. Eandem conclusionem tenent D. Tho. D. Bonauentura, & quam plures, Thomistæ quos refert, & sequitur Magister Masius hic. Ratione probatur; materia prima non potest esse, neque intelligi sine potentia remota ad formam substantialem: ergo talis potentia erit de essentia materiæ primæ: Probatur antecedens; materia prima est substantia, vt diximus q. 2. sed materia prima secundum se considerata, non est substantia actu existens, vt probabimus quæstione sequenti: ergo est substantia potentialis; sed non est potentia proxima, neque potentia ad formas accidentarias, vt constat ex

ci-

dictis : ergo est potentia remota ad formas substantiales : ergo materia prima secundum se considerata, non potest esse, neque intelligi sine tali potentia.

Secundo probatur conclusio: Talis potentia non est accidentaria materiæ primæ: ergo est intrinseca ipsi & de essentia ipsius: Probatur antecedens; totum Physicum essentialiter, & per se componitur ex actu Physico, & potētia Physica; sed totum Physicum essentialiter componitur, ex materia, & forma: ergo quemadmodum non est accidentarium formæ esse actum; ita non est accidentarium materiæ primæ esse potentiam.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam: actus, & potentia, vt ait Arist. 12. Metaphysicę tex. 26 & 28. spectant ad idem genus: ergo potentia ad actum, & formam accidentariam erit accidens : ergo falso diximus, quod potentia, quam dicit materia prima ad formam accidentariam est eadem entitas substantialis cum materia prima.

Respondetur interpretando verba Arist. sunt enim intelligenda de potentia immediata, & de actu primario producto à tali potentia: v. g. Intellectus, qui est potentia intellectiua, & actio intelligendi spectant ad idem genus, quia intellectus est potentia immediate productiua actionis intelligendi, & actio intelligendi est actus primarius productus ab intellectu. Si autem potentia sit mediata, vel actus sit secundarius non spectabunt ad idē genus, verbi gratia anima, & actus de ambulandi non pertinent ad idem genus; quia anima non est potentia immediatè productiua talis actus, nam potentia immediata est potentia deambulandi, quæ est qualitas in membris corporeis existens: similiter anima rationalis, & actus intelligendi non pertinent ad idem genus; quia actio intelligendi non est actus primarius, sed secundarius animę; nā actus primarius animę est informare materiam.

Hoc posito. Dico, quod potentia, quam dicit materia prima, non est accidens prædicamentale, sed substantia; quia talis potentia primo, & per se, & tanquam actum primarium respicit formam substantialem, per accidens autem, & tanquam actum secundum respicit formam accidentariam: & quemadmodum habitus non specificatur ab obiecto, vel fine secundario; ita potentia non specificatur ab actu secundario.

Dices: potentia deambulandi est immediate productiua actionis deambulandi, & talis actio est actus primarius productus à tali potentia; & tamen non sunt eiusdem generis: ergo falsa est interpretatio verborum Arist. Probatur minor; nam potentia deambulandi cum sit naturalis potentia pertenet ad genus qualitatis, actio verò de ambulandi, cum sit transiens, pertinet ad Cathegoriam actionis: ergo non sunt eiusdem generis.

Res-

Respondetur; quod Arist. nomine generis non intelligit genus propriè sumptum, quod continetur sub primo prædicabili, sed improprié, & late, sumpto vocabulo quatenus ea dicuntur esse eiusdem generis, quæ aliquo modo sunt eiusdem rationis: potentia autem immediata, & actus debent esse eiusdem rationis in hoc, quod, vel vtrumque est accidens, vel vtrumque est substantia, & hac ratione intelligendus est Arist;

Secundum argumentum, contra vltimam conclusionem: Potentia materiæ primæ, vel est aptitudo ad recipiendam formam, vel dicit relationem ad ipsam formam, sed neutrum horum potest esse de essentia materiæ primæ: ergo esse potentiam non est de essentia materiæ primæ: Probatur minor; materia prima est substantia, vt probauimus q. 2. aptitudo autem, & relatio sunt accidentia; nam aptitudo est qualitas contenta sub naturali potentia, relatio etiam spectat ad Cathegoriam relationis, quæ est Cathegoria accidentium: ergo neutrum istorum potest esse de essentia materiæ primæ; nam accidens non potest esse de essentia substantiæ.

Respondetur negando minorem, est enim talis potentia aptitudo, & etiam dicit relationem; probationi autem minoris dicimus, quod licet aptitudo, quæ primo, & per se, & tanquam ad actum primarium ordinatur ad formam accidentariam sit qualitas: non tamen est qualitas illa aptitudo, quæ primo, & per se ordinatur ad actum, & formam substantialem, imo potius est simpliciter, & absolute substantia; Iam verò aptitudo, quam dicit materia prima, primo, & per se, & tanquam actum primarium respicit formam substantialem. Similiter relatio, quam dicit materia prima, quæ quidem fundatur in eius potentia passiua, non est relatio secundum esse, sed secundum dici; nam materia primo, & per se significant quid absolutum cum sit substantia: Secundario autem dicit relationē ad actum, seu formam; Iam verò relatio secundum dici non collocatur in Cathegoria relationis, vt diximus in Logica.

Tertium argumentum: materia prima, quam diu habet formam substantialem, est ens actu; sed semper habet formam substantialem: ergo semper est ens actu: ergo numquam est potentia; nam actus & potentia opponuntur.

Respondetur concedendo totum syllogismum; negando tamen vltimam consequentiam; nam adueniente actu non semper destruitur potentia, imo multoties magis perficitur: non itaque sequitur, ignis actu comburit: ergo non potest comburere; imo euidenter sequitur oppositum; bene enim valet, ignis actu comburit: ergo potest comburere; nam si non posset comburere, non combureret actu: similiter ergo valebit consequentia; materia prima actu habet formam: ergo habet potentiam ad habendam formam; nam si non haberet potentiam ad habendam formam non haberet actu illam.

Ex

Ex hac Doctrina collige, quod materia prima semper dicit potentiam, non solum ad omnes formas quas non habet, sed etiam ad formam qua actu informatur. Verum est tamen, quod adueniente actu, seu forma destruitur potentia proxima ad talem formam; nam potentia proxima includit priuationem formæ tali potentiæ correspondentis.

Dices: potentia proxima, & remota materiæ primæ sunt vna numero entitas, vt diximus in conclusione prima: ergo si adueniente forma destruitur potentia proxima; etiam destruetur potentia remota.

Respondetur negando consequentiam; nam quamuis potentia proxima, & remota entitatiue, & substantialiter sint idem, distinguntur tamen formaliter, & habent distinctas diffinitiones; nam potentia proxima, vt proxima est duplicandò, habet rationem accidentis prædicabilis, potentia autem remota formaliter considerata est de essentia materiæ primæ. Iam verò sola distinctio formalis, quæ reperitur inter aliqua sufficiès est, vt vnum destruatur, alio remanente, vt diximus in Logica.

QVAESTIO VI.

Vtrum materia prima, ita sit pura potentia, vt ex se & ratione sui nullum actum includat.

CElebris est hæc quæst. in hac materia, & opinionum varietate exornata, pro cuius explicatione. Obseruandum est primo: quod vt optime anotauit Soeinas 7. Metaph. q. 17. opinio eorum, qui dicunt materiam primam ex se, & non à forma habere aliquam existentiam, & actualitatem fundatur principaliter in hac Doctrina: distinguunt duplicem potentiam realem, & duplicem actum.

Prima potentia dicitur obiectiua, & est ipsa met res in quantum est obiectum alicuius potentiæ operatiuæ, per quam est producibilis; & dicunt, quod ista potentia est aliquid reale distinctum à potentia actiua ipsius Dei: huic potentiæ proprius correspondet actus, qui est ipsa met res post quam est producta: alia dicitur potentia subiectiua ratione cuius aliquid subijcitur alicui formæ, actus autem correspondens huic potentiæ est ipsa forma, siue substantialis, siue accidentaria.

Dicunt igitur materiam primam; secundum se non esse puram potentiam; nam quamuis sit potentia subiectiua, & passiua, est tamen ex se, & ratione sui actus obiectiuus: hæc Doctrina impugnabitur conclusione prima.

Obseruandum est secundo quod actus, seu actualitas est duplex: alius est actus Physicus, & alius Metaphysicus. Actus Physicus est forma Physica, siue substantialis, vt anima leonis, siue accidentalis, vt quantitas. Actus Metaphysicus duplex est; alius dicitur imperfectus, & per similitudinẽ, & talis est differentia essentialis seu modus vltimo constitutiuus alicuius rei, & dicitur actus impropriè quia à par-

parte rei non actuat, nec determinat genus, cum non detur à parte rei distincti inter genus, & differentiam essentialem: alius dicitur actus Metaphysicus perfectus, qui eon muni nomine appellatur existentia, quæ nihil aliud est quam *prima & vltima actualitas alicuius rei per quam res ipsa primo & vltimo existit extra nihil.*

Obseruandum est tertio: quod titulus quæstionis duplicè potest reddere sensum. Primus est: An materia prima ex se, & ratione sui habeat aliquem actum, idest sine ordine, & habitudine ad formam substantialem? Secundus est: An materia prima habeat aliquem actum ex se, & ratione sui, & non participatum à forma, cum ordine tamen, & habitudine ad formam: ista enim sunt inter se distincta, vt constat in Patre, qui habet formaliter esse Patris per ordinem, & habitudinem ad Filium, non tamen habet esse à Filio.

Prima conclusio: Materia prima ex se, & ratione sui, non dicitur actus obiectiuus: Probatur conclusio; non datur actus obiectiuus realis: ergo materia prima non est talis actus: Probatur antecedens; actus realis, & potentia realis relatiue dicuntur; sed non datur potentia obiectiua realis: ergo neque datur actus obiectiuus realis: Probatur minor; omnis potentia realis, vel est actiua, vel passiua; sed potentia obiectiua non est actiua, nec passiua: ergo non est potentia realis. Insuper, vel talis potentia obiectiua realis est producta à Deo, vel non; si secundum: ergo est Deus; nam omnia entia realia à Deo distincta; sunt producta à Deo; & à Deo dependent: ergo si talis potentia est aliquid reale, & non productum à Deo erit ipse Deus. Si autem est producta à Deo, vel talis potentia antequam produceretur erat producibilis, vel non; non secundum, alioquin nunquam fuisset producta, si producibilis non fuisset: si erat producibilis: ergo ante illam potentiam obiectiuam iam dabatur alia potentia obiectiua, de qua idem fieret argumentum, & sic in infinitum, & nunquam deueniemus ad aliquod ens creatum, vel productum, quod prius non fieret creabile, & producibile: ergo si rem esse creabilem, & producibilem est aliqua potentia realis obiectiua distincta à potentia actiua Dei, antequamlibet potentiam obiectiuam realem, dabitur alia, & sic in infinitum, quod est maximum absurdum.

Secundo probabatur conclusio: potest Deus optimus maximus quamlibet creaturam anihilare: si igitur potentia obiectiua, ratione cuius anima rationalis, v.g. dicitur creabilis, est aliquid creatum poterit talis potentia obiectiua anihilari à Deo; sed hoc est falsum; ergo, & illud ex quo sequitur: maior est manifesta: minor autem probatur: potentia obiectiua ex parte ipsius rei producendæ nihil aliud est, quam rem ipsam esse producibilem; sed facta quamuis anichilatione res non producta dicitur producibilis: ergo potentia obiectiua non potest anihilari: probatur minor, Deus potest rem non productam pro-

ducere: ergo talis res est producibilis: solum enim potest produci, quod producibile est.

Concedenda est igitur potentia obiectiua; negandum est tamen, quod talis potentia sit aliquid reale distinctum â potentia actiua ipsius Dei; nam rem esse producibilem; nihil aliud est, quam Deum habere potentiam actiuam, ad talem rem producendam, ex parte verò ipsius rei producendæ non est aliquid reale, sed solum quædam non repugnantia ad produci, quæ solet communiter appellari potentia Logica.

Secunda conclusio: Matetia prima secundum se considerata includit actum Metaphysicum impropriè dictum. Probatur conclusio; actus Metaphysicus impropriè dictus est diffetentia essentialis, seu modus, vltimo constitutiuus alicuius rei; sed materia prima constat ex hoc actu: ergo habet secundum se actum Metaphysicum imperfectum; probatur minor, nam materia prima potest concipi sub communi ratione subiecti, seu potentiæ, & hoc habet rationem generis, & potest concipi, sub particulari ratione, quatenus videlicet est pura potentia ordinata ad formam substantialem, & hic ordo habet rationem differentiæ contrahentis illam rationem cõmunem materiæ primæ: ergo materia prima constat ex genere, & differentia, vel saltim ex his, quæ habent rationem generis, & differentiæ.

Tertia conclusio: Materia prima ex se, & ratione sui, & quatenus consideratur sine forma substantiali, non includit aliquem actum existentiæ, sed est pura potentia omnem actum existentiæ excludens. Conclusionem istam habet Arist. multis in locis, præcipue verò cap. 8. huius libri; vbi ait, *materia prima à forma habet quod sit ens actu, à se verò quod sit in potentia*, & 7. *Metaph. cap.* 3. expresse ait *materiam primam non esse quid, nec quantum, neque illud quid piam ens*, quod est intelligendũ actu. Et primo libro de generarione tex. 43. ait, *quod materia efficitur, vt sit in actu per formam*, id ipsum docet, D. Tho. multis in locis, præcipue verô 1. p. q. 7. art. 2. ait, *materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum*, & q. 44. art. 2. ad. 3. inquit: *materiam ex se esse tantum in potentia, & ideo creari non posse, nisi sub forma*; & 1. lib. contragentes cap. 17. ait, *Deus, & materia prima distinguntur; nam vnum est actus purus, aliud potentia pura, in nullo conuenientiam habentes*: ergo ex sententia D. Tho. materia prima, ex se, & ratione sui, nullum actum includit. Si enim aliquem actum includeret in aliquo conueniret cum Deo, qui est actus purus. D. Tho. & Arist. sequntur omnes Thomistæ.

Rationib⁹ probatur. Prima est: quod est actu tale, est formaliter tale; nam actus realis, & forma idem significãt; sed materia prima secundum se non habet aliquam formam: ergo materia prima secundum se nullũ habet actũ: ergo secuudum se est pura potentia.

Se-

Secunda ratio: forma substantialis est, quæ dat esse rei, ideſt actualitatem existentiæ, sed materia prima secundum se nullam habet formam: ergo secundum se nullam habet actualitatem.

Tertia ratio; actus realis, vel est actus in existens, ideſt existens in alio, seu informans, vt forma Physica substantialis, quæ existit in materia prima, vel est actus per se subsistens, qui videlicet, non existit in alio, qua ratione Deus dicitur actus purus, & etiam Angeli dicuntur actus per se subsistentes, similiterque anima rationalis, quatenus existit realiter separata à forma; sed materia prima secundum se considerata non est actus in existens, nec per se subsistens: ergo materia prima, secundum se considerata non est ens actu, sed pura potentia: maior est manifesta; nam omnis actus realis, vel existit in alio, vel non, sed per se: si existit in alio est actus in existens: si non existit in alio, sed per se, est actus per se subsistens: ergo omnis actus realis, vel est in existens, vel per se subsistens: minor autem Probatur, & in primis materia prima non est actus informans, seu in existens; nam quod est actus informans, aliquod subiectum informat; & in aliquo subiecto existit; sed materia prima non potest aliud subiectum informare, vel in alio subiecto existere, cum ipsa sit primum subiectum: ergo non potest esse actus informans, seu in existens. Deinde neque est actus per se subsistens; nam sequeretur inde materiam primam esse perfectiorem, quam forma; nam actus per se subsistens perfectior est, quam actus informans, seu in existens; sed forma substantialis est actus informans: ergo si materia prima est actus per se subsistens, quam actus informans, seu in existens.

Confirmatur hæc ratio: actus dependens imperfectior est, quam actus independens, nam dependentia imperfectionem notat; sed actus inexistens dependet à subiecto in quo existit, actus verò per se subsistens non dependet: ergo perfectior est actus per se subsistens, quam actus inexistens, id ipsum probari potest inductiue, Deus enim, & Angeli, qui sunt actus per se subsistentes sunt longe perfectiores, quam actus inexistens.

Quarto Probatur conclusio: ex duplici ente in actu, vt sepe docet Arist. non fit vnum per se, sed per accidens: ergo si materia prima est ens in actu ex ipsa, & ex forma substantiali, non fiet vnum per se, sed per accides, & per consequens totum Physicum, quod componitur, ex materia, & forma non erit ens per se, sed per accidens, quod est absurdum.

Confirmatur hæc ratio authoritate Arist. qui. 8. Metaph. cap. 6. ex eo probat ex materia, & forma fieri vnum per se; quia materia est potentia, forma verò est actus.

Neque satisfacis huic rationi, si dicas materiam primam esse potentiam subiectiuam respectu formæ substantialis, quæ quidem potentia non excludit omnem actum. Hoc in quam

non soluit rationem adductam, nam etiam totum compositum est potentia subiectiua, & passiua respectu accidentis; & tamen ex toto composito, & ex accidente, non fit vnum per se, sed per accidens, vt si dicas homo albus; quia vtrumque est ens in actu.

Vltima conclusio: Materia prima secundum se considerata non includit actum Physicum: Hæc conclusio certa est apud omnes; nam actus Physicus est forma Physica, siue substantialis, siue accidentalis; sed materia prima secundum se non includit aliquã formam Physicam, imo potius ei condiuiditur: ergo materia prima secundum se non includit actum Physicum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: contra primam; actus obiectiuus dicitur res ipsa prout est iam producta; sed materia prima ex se, & ratione sui habet quod sit producta: ergo ex se, & ratione sui est actus obiectiuus.

Respondetur negando maiorem: supponit enim falsum, videlicet dari actum obiectum realem, cum enim, non detur potentia realis obiectiua, vt ostensum est conclusione prima: pari ratione non datur actus realis obiectiuus.

Respondetur secundo negando minorem; nam materia prima fuit producta, & creata â Deo simul cum forma, neque potuit sine forma produci, vt constabit ex q. 8. sequenti, vnde falsum est dicere, quod materia prima ex se, & ratione sui habet, quod sit producta.

Dices: forma educitur de potentia materiæ primæ: ergo prius fuit materia, quam forma.

Respondetur antecedens esse falsum; si sermo fiat de forma, quam primo habuit materia: hæc enim forma non fuit educta de potentia materiæ primæ, sed simul creata â Deo cum ipsa materia.

Dices: etiam respectu talis formæ quam primo habuit materia prima dicitur causa: ergo etiam respectu talis formæ materia dicitur prior; nã omnis causa prior est suo effectu.

Respondetur, consequens esse verum, non de prioritate temporis, sed de prioritate naturæ, & causalitatis: materia enim dicitur prior, quam forma; quia forma dependet â materia in genere causæ materialis, quemadmodum è conuerso materia dependet à forma in genere causæ formalis. Iam verô prioritas, & posterioritas naturæ possunt esse in simultate temporis, idest in eodem instanti temporis.

Secundum argumentum contra tertiam: In homine inuenitur existentia formaliter corporea; sed hæc existentia non est effectus formæ: ergo erit effectus formaliter materiæ primæ: ergo materia prima aliquam habet existentiam, vt condiuiditur formæ, alioquin non posset existentiam causare: probatur minor; forma hominis est anima rationalis, sed anima rationalis est formaliter spiritua-

tualis, & in corporea: ergo non potest esse causa existentiæ corporeæ: ergo existentia corporea hominis non est effectus formæ, sed materiæ.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus; quod licet anima rationalis sit formaliter spiritualis, & incorporea, est tamen virtualiter seu causaliter materialis, & corporea: ac per consequens potest dare existentiam formaliter corpoream, & materialem homini, quemadmodum, albedo dat parieti esse formaliter album, & tamen ipsa albedo, non est formaliter alba, sed virtualiter, & causaliter.

Tertium argumentum: In hoc distinguntur creatio, & generatio, quod creatio cum sit productio totius entitatis terminatur adesse simpliciter: generatio autem supponit esse simpliciter, & solum est productiua talis esse, v. g. hominis, vel leonis; sed quod præsupponitur generationi est materia prima: ergo materia prima habet esse simpliciter.

Respondetur distinguendo minorem; quod enim præsupponitur generationi, est materia prima, non informis, id est sine forma substantiali, sed potius cum forma substantiali: materia autem cum forma substantiali, est actu, & simpliciter ens; ac per consequens vere dicitur, quod generationi præsupponitur esse simpliciter in quo differt generatio à creatione.

Dices: Materia prima, vt est subiectum generationis substantialis antecedit formam substantialem: ergo in illo priori non existit per formam.

Respondetur distinguendo antecedens, & consequens: si enim intelligantur de forma, quæ introducitur per talem generationem vera sunt; si autem intelligantur de omni forma substantiali sunt falsa; nam materia prima, vt est subiectum generationis antecedit formam introducēdam, existit tamē formaliter per formam, quæ expellitur.

Quartum argumentum: materia prima ex se, & ratione sui habet, quod distinguatur realiter, vt res à re ab ipsa forma: ergo ex se, & ratione sui est aliquid reale extra nihil existens.

Respondetur negando consequentiam; nam quemadmodum partes entitatiuæ substantiæ etiam in ratione partium distinguntur realiter à partibus quantitatis, & tamen partes substantiæ non habent ex se, sed à quantitate, quod sint partes, vt ostensum est supra cap. 2. huius libri; ita similiter materia, & forma distinguntur realiter tanquam duæ res existentes, quamuis materia prima solum existat per formam.

Dices: ex Arist. 7. Metaph. tex. 49. actus est, qui distinguit: ergo si materia prima ex se distinguitur à forma habebit ex se aliquem actum.

Respondetur, consequens esse verum de actu Metaphysico imperfecto, quem quidem habet ex se materia prima, vt in secunda conclusione ostensum est; iam verò hic actus sufficit ad distinguendam vnam rem ab alia.

Quintum argumentum: hæc est vera propositio: materia prima est: ergo,

go, & ista, materia prima est ens actu existens; nam verbum est in propositione secūdi adiacētis significat actualem existentiam: Probatur antecedens; totum Physicum est: ergo etiam partes Physicæ sunt; sed materia prima est pars Physica: ergo materia prima est.

Respondetur concedendo totum; non enim infertur, quod nostris conclusionibus aduersetur, nos enim nō negamus, quod materia prima sit actu existens, existit enim semper, non propria existentia, de quo est quæstio, sed per existentiam formæ.

Dices: Materia prima aliter est ens, modo post quam est creata, quā erat ante sui creationem, sed tunc erat in potentia ad essendum: ergo modo est ens actu.

Respondetur similiter; quod est ens actu, non ratione propriè actualitatis realis, sed per actualitatem formæ substantialis: tum etiam antequā crearetur solum erat in potentia obiectiua, & in potentia actiua ipsius Dei, postquā verò est creata est potentia passiua ad formam substantialem.

Sextum argumentum: si materia prima totum esse habet â forma, sequeretur, quod in corruptione alicuius rei naturalis, v. g. Leonis totum esse corrumperetur; sed hoc est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur. Sequela maioris. Probatur; nam in corruptione alicuius rei naturalis, totum esse formæ definit esse: ergo si materia prima solum habet esse â forma etiam definit esse existentia materiæ primæ; & ex consequenti totum esse corrumpitur: minor autem Probatur; si in corruptione alicuius rei, totum esse corrumperetur, corruptio esset anichilatio, sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur: Probatur maior; nam anichilatio est destructio totius existentiæ, & actualitatis realis: ergo si in corruptione destruitur tota existentia, & actualitas realis corruptio est anihilatio.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus, quod in corruptione alicuius rei naturalis corrumpitur totum esse, & tota existentia compositi, non tamen inde sequitur, quod anihiletur; nam quamuis per anihilationem destruatur tota existentia, nō tamen hoc sufficit ad anihilationem, sed requiritur amplius, videlicet quod non remaneat aliqua essentia, vel aliqua entitas actualis illius rei, quæ anihilatur; iam verò in corruptione leonis, v. g. quamuis tota existentia corrumpatur, nihilominus tamen remanet entitas actualis materiæ primæ, quæ quidem toto tempore præcedenti generationē erat in actu per formam, quæ expellitur, & in instanti generationis immediatè sequēti est in actu per formam, quæ introducitur.

Septimum argumentum: si materia prima solum existeret per formā, sequeretur, quod quotiescumque mutat formam, mutaret etiam existentiam; sed hoc non est admittendum: ergo neque illud ex quo sequitur: probatur minor; si materia prima quotiescumque mutat formam acciperet

nouam existentiam, & aliam existentiam deperderet, sequeretur, quod materia prima sæpius generaretur, & corrumperetur; sed hoc est falsum, vt ostensum est supra q. 3. huius disp. ergo materia prima non mutat existentiam: sequela maioris probatur. nam tunc generatur aliquid quando totam suam existentiam adquirit; nã generatio est adquisitio existentiæ, & similiter tunc aliquid corrumpitur quando amittit existentiam: ergo si materia prima perdit existentiam, & adquirit nouam existentiam, verè generatur, & vere corrumpitur.

Respondetur negando minorem; probationi negamus sequelam; nam vt optime animaduertit Caietanus 3. p. q. 13. art. 2. corruptio non attenditur per se, neque causatur per solam corruptionem, & perditionem vnius existentiæ, & constat hæc Doctrina; nam si separes guttam aquæ amari, vere habet aliam existentiam; nam antea existebat gutta aquæ per existentiam totius, post separationem verò existit per propriam existentiam, & tamen talis gutta corrupta non est, requiritur ergo ad corruptionem alicuius rei, non solum, quod corrumpatur aliqua existentia, verum etiam, quod essentia actualis ipsius rei, non maneat sub alia existentia. Hinc materia prima, quamuis amittat aliquã existentiam, non corrumpitur; nam statim atque amittit existentiam formæ, quæ expellitur, habet existentiã â forma, quæ introducitur: ac per consequens semper manet actualis entitas: similter, vt aliqua res generetur non sufficit, quod adquirat nouam existentiã, sed etiam requiritur, quod antea nullam habuerit existentiam, & quod de nouo incipiat esse actualis entitas; hoc autem non contingit in materia prima.

Octauum argumentum: D. Tho. 1. p. q. 14 art. 11. ad vltimum affirmat, *quod licet materia prima recedat à similitudine Dei secundum suam potentialitatem, tamen in quamũ sic, vel sic esse habet similitudinem quandam habet diuini esse*: tum etiam alijs in locis videtur affirmare materiam primam secundum se, & vt condiuiditur formæ habere esse imperfectum: ergo materia prima secundum se habet aliquem actum.

Respondetur; quod materia prima, secundum suam potentialitatem habet esse, non quod illud habeat ex se, sed à forma; nam eius potentialitas etiam habet esse per formam, & per illam reducitur ens in actu; quando autem D. Tho. affirmat materiam primam secundum se, & vt condiuisam formæ habere esse imperfectum per illam dictionem, esse intelligit essentiam, in quantum, videlicet solum dicit necessariam connexionem attributi cum subiecto, qua ratione materia prima, habet esse independenter à forma; Iam verò esse essentiæ, si vsurpetur quatenus solum dicit necessariam connexionem attributi cum subiecto, non est aliqua entitas realis à parte rei existens; hinc, hæc propositio: materia prima est pura potentia, est æternæ veritatis, & semper fuit, & erit vera.

VI-

Vltimum argumentum : materia prima, vt condiuiditur formæ habet essentiam; sed essentia, & existentia sunt realiter idem: ergo materia prima, vt condiuiditur formæ habet existentiam.

Respondetur negando minorem; nam essentia, & existentia in rebus creatis realiter distinguntur, vt probauimus in quæstione immediate sequenti.

QVAESTIO VII.

Vtrum essentia, & existentia in rebus creatis realiter distinguantur.

OBseruandum est: primo quod essentia rei, potest dupliciter considerari: primo ante sui productionem realem, qua ratione solum dicit necessariam, & essentialem connexionem attributi cum subiecto, quæ quidem non est aliquid reale creatum: secundo, vt est producta à parte rei, & rem ipsam intime constituit. Præsens quæst. non procedit de essentia primo modo; certum est enim, quod essentia sub ista consideratione realiter distinguitur ab existentia, cum existentia sit aliquid reale creatũ: de essentia: ergo primo modo sumpta nequaquam procedit quæstio, sed de essentia secundo modo sumpta.

Obseruandum est secundo: quod existentia sic potest diffiniri: *terminus formalis substantialis, per quem aliquid est extra nihil*: existentia enim vt diximus, quæst. præcedenti est prima, & vltima actualitas constituens rem extra nihil: ex qua diffinitione colligite quod essentia si consideretur sine existentia non est aliquid reale positiuum extra nihil existens; nam quemadmodum, non potest dari album, sine albedine; ita non potest dari existens, sine existentia.

Obseruandum est tertio: dupliciter aliquid esse requisitum ad esse alterius: primo, vt forma intrinseca intime constituës, qua ratione ad esse hominis requiritur anima rationalis: secundo, requiritur aliquid tanquam conditio sine qua non; qua ratione ad relationem requiritur terminus, & ad actualem calefactionem requiritur aproximatio rei, quæ calefit, ad ignem calefactionem, & hac ratione, existentia requiritur ad hoc vt essentia sit aliquid reale actuale extra nihil productum.

Prima conclusio: In rebus creatis realiter distinguntur essentia, & existentia: ita D. Tho. 1. p. q. 3. art. 4. & 2. contra gentes, cap. 52. Scotus in 3. dist. 6. q. 1. & communiter omnes Thomistæ. Ratione probatur, id circo dicitur, quod in Deo existentia est de conceptu essentiali ipsius, & vere dicitur, quod Deus existit per essentiam, quia in ipso Deo essentia, & existentia sunt realiter idem, & solaratione distinguntur: ergo similiter, si in creaturis essentia, & existentia sunt realiter idem, existentia erit de conceptu essentiali creaturarum, & licebit dicere, quod creaturæ existunt per essentiã, quod quidem absurdissimum est.

Se-

Secundo probatur conclusio. Si essẽtia, & existentia in rebus creatis sunt realiter idem, hæc propositio esset æternæ veritatis; essentia creata existit; sed hoc est falsum, & contra fidẽ diuinam, quæ docet nullum ens creatum esse æternum: ergo essentia, & existentia non sunt realiter idem: Maior probatur; nam omnis propositio cuius prædicatum est idem realiter cum subiecto, est æternę veritatis: ergo si existeutia est idem realiter cum essentia creata, hæc propositio erit æternæ veritatis: essentia creata existit. Quod autẽ hoc non sit concedendum constat; nam quod existit est aliquid extra nihil: ergo si hæc propositio, essentia creata existit, est æternæ veritatis, daretur aliquid creatum extra nihil ab æterno.

Tertio probatur. Compositio ex essentia, & existentia est compositio realis: ergo essentia, & exiltentia sunt extrema realia realiter distincta. Probatur antecedens: Angelus non est omnino simplex, hoc enim est attributum particulare Dei, vt probat D. Tho. 1. p. q. 3. art. 7. ergo Angelus est realiter compositus: sed non est cõpositus ex materia, & forma, cum sit omnino immaterialis; neque ex partibus quantitatiuis, cum sit spiritualis: ergo componitur realiter, ex essentia, & existentia; non enim datur alia cõpositio realis: ergo cõpositio ex essentia, & existentia realis erit.

Secunda conclusio. Actualitas essentiæ non est aliquid reale positiuum existens extra nihil, nisi sit coniuncta cum existentia: Probatur, nam existentia est prima, & vltima actualitas constituens rem extra nihil: ergo essentia nisi sit coniuncta cum existentia, nõ est aliquid extra nihil. Præterea existentia est conditio sine qua non respectu actualitatis essentiæ: ergo sine existẽtia nõ potest dari actualitas essentiæ, quæ sit aliquid extra nihil. Præterea existentia est conditio sine qua non respectu actualitatis essentiæ: ergo sine existentia non potest dari actualitas essentiæ, quæ sit aliquid extra nihil. Confirmatur hęc ratio: si essentia sine existentia esset aliquid positiuum extra nihil existẽs, sequeretur, quod simul existeret, & non existeret; sed hoc implicat contradictionem: ergo, & illud ex quo sequitur: sequela maioris probatur; talis essentia esset extra nihil: ergo existeret. Insuper esset sine existentia: ergo non existeret.

Tertia conclusio: Materia prima ex se, & ratione sui, & sine forma substantiali, non habet actum entitatiuum essentiæ, seu essentiam extra nihil productam. Hanc conclusionem habet Arist. 1. de Gener. tex. 17. vbi habet hæc verba: *Materia prima in potentia solum, est hoc, & ens, simpliciter autem neque est hoc, neque ens*: ergo iuxta Arist. materia prima ex se, & ratione sui non habet actum entitatiuum, alioquin ex se esset ens.

Ratione probatur; non potest dari actualis entitas essẽtiæ, sine existẽtia, vt cõstat ex præcedẽti cõclusione; sed materia prima, ex se, & ratione sui, nullam habet existentiam, vt ostensum est quæstione præcedenti: ergo

ex se nullum habet actum entitatiuum essentiæ.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam: essentia creata non potest esse sine existētia; alioquin simul existeret, & non existeret: ergo essentia, & existentia non distinguntur realiter.

Respondetur negando consequentiam; nam etiam actus videndi non potest esse sine potentia visiua; neque materia prima sine forma; neque vnū relatum sine altero; neque figura sine quantitate; neque actio transiens sine passione propter mutuam dependentiam vnius ab altero, & tamen omnia ista realiter distinguntur interse.

Secundum argumentum, contra tertiam conclusionem: materia prima, secundum se considerata, non est nihil: ergo est ens actu: ergo habet actum entitatiuum.

Respondetur negando vtrāque cōsequentiam; nam inter nihil, & ens actu datur medium, videlicet ens in potentia, Arist. enim 9. Met hp. diuidit ens reale in ens actu, & ens in potentia.

Dices: quod non est actu album, est non album, ergo similiter, quod non est actu ens, est non ens: ergo si materia prima non est actu ens, erit non ens, seu nihil.

Respondetur negando consequentiam, nam inter album, & non albū non datur medium, cum sint termini contradictorij, at verò inter ens actu, & nihil datur medium; videlicet ens in potentia, quod absolute est ens.

Dices: inter ens actu, & non ens actu non datur medium: ergo si materia prima non est ens actu, erit non ens actu: ergo erit nihil.

Respondetur negando hanc vltimam consequentiam; nam etiam inter non ens actu, & nihil datur medium, videlicet ens in potentia: concedimus itaque, quod materia est nō ens actu si secundum se consideretur; hoc enim etiam concedit Arist. dum ait, *quod materia prima secundum se non est simpliciter ens*, negamus tamen, quod sit nihil, nam est ens in potentia.

Dices: non ens actu est nihil actu: ergo si materia prima secundum se est non ens actu, erit nihil actu.

Respondetur concedendo totum: materia enim prima secundum se considerata est nihil actu, est tamen absolute ens, cum sit ens in potentia.

Dices: ergo ens naturale Physicū componitur ex forma, & ex nihilo cum componatur ex materia, & forma.

Respondetur negando consequentiam; nam materia prima non componit ens naturale, nisi in quantum est vnita formæ; materia autem vnita formæ est aliquid reale actu existens, & à forma distinctum: vnde ens naturale Physicum componitur ex duplici ente reali actu existente.

Dices vltimo: ergo ens Physicū est ens per accidens: probatur consequentia; nam ex duplici ente in actu,

non

non efficitur ens per se, sed vnum per accidens.

Respondetur negando consequentiam; probationi dicimus: ex duplici ente in actu non fieri vnum ens per se, si vtrumque sit ens in actu ex se, & ratione sui; Iam verò materia prima ex se, & ratione sui est ens in potentia, per formam autem efficitur ens in actu.

QVAESTIO VIII.

Vtrum per potentiam Dei absolutam possit existere materia prima sine forma.

SIt conclusio: Materia prima non potest existere realiter sine forma, etiam per potentiam Dei absolutã: ita docet D. Tho. quodlibet 3. art. 1. D. Bonauentura, Magister sententiarum, & quam plures alij, quos sequitur, & refert Magister Masius q. 19. de materia prima. Ratione probatur; quod implicat contradictionem, non potest fieri à Deo, non quidem ex defectu diuinæ potentiæ, sed quia res ipsa in se infactibilis est; sed materiam primam existere realiter sine forma implicat contradictionẽ: ergo non potest fieri à Deo: probatur minor; implicat contradictionem, quod duæ contradictoriæ sint verè; sed si materia prima existeret sine forma duæ contradictoriæ simul essent verę: ergo implicat contradictionem, quod materia sit sine forma: probatur minor; esse actu, & non esse actu sunt contradictoriæ; sed si materia prima existeret sine forma simul esset actu, & non esset actu: ergo darentur duæ contradictoriæ verę: probatur minor; in primis esset actu, supponimus enim, quod existeret, quod autem existit, actu est. Deinde non esset actu; nam materia prima habet, quod sit actu, per formam, qua actu informatur, vt ostensum est in duabus quæstionibus præcedentibus: ergo materia prima separata à forma non esset actus

Secundo probatur conclusio. Quod existit, vel est actus, vel habet actũ; sed materia prima secundum se considerata, & separata à forma, neque est actus, neque habet actum, cum ex se sit pura potentia, vt probauimus: ergo materia prima non potest existere realiter sine forma; duæ istæ rationes sunt D. Tho. loco citato.

Tertio probatur conclusio: Impossibile est quod aliquid existat, quin sit determinatum, & singulare; nam existentia est actus rei singularis; sed materia prima realiter separata à forma, non esset determinata, nec singularis: ergo impossibile est, quod sine forma existat: probatur minor; nam, quod est determinatum, & singulare spectat ad aliquam determinatam speciem; sed materia prima ex se, & ratione sui non spectat ad aliquam determinatam speciem, ratione autem formæ spectat ad speciem ipsius formæ: v. g. Materia hominis spectat ad speciem hominis: ergo materia prima separata à forma, non esset determinata, & singularis.

Vltimo probatur conclusio: Ma-

teria prima, non est capax existentiæ, nisi sit informata per formam: ergo impossibile est, quod sine forma existat: Probatur antecedens; nã effectus primarius formæ est informare materiam, & reddere ipsam capacem existentiæ; sed effectus primarius formalis nulla ratione potest suppleri à Deo, vt docent omnes Philosophi: ergo materia prima non est capax existentiæ, nisi sit informata per formam. Quemadmodum itaque non potest dari album sine albedine, etiam expectata Dei potentia, quia facere album est effectus formalis albedinis, ita in materia prima non potest dari capacitas ad existendum sine forma substantiali, quia talis capacitas est effectus primarius formalis ipsius formæ substantialis, vt probabimus libro sequenti.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Doctores Sancti, & interpretes Scripturæ Sacræ explicantes illa verba, quæ habentur Genesis, 1. *terra autem erat inanis, & vacua*; dicunt, quod per ista verba designatur informitas materiæ primæ: ergo materia prima de facto existit in formis, ideſt sine forma.

Respondetur cum D. Tho. 1. p. q. 66. art. 1. Quod materia prima pro vt erat initio mundi appellatur à Sanctis Patribus in formis, non quia esset sine forma substantiali, sed quia carebat formositate, & pulchritudine exteriori; nam Cœlum carebat lumine, aëra in fluentijs, terra arboribus, plantis, & animalibus, aer denique illuminatione, & volueribus.

Secundum argumentum: Magis dependent accidentia à subiecto, quã materia prima à forma; sed virtute diuina existunt accidentia sine subiecto, in Sacramento Altaris: ergo etiam materia prima poterit existere sine forma.

Respondetur cum D. Tho. negando maiorem; nam cum accidentia secundum se sint entia in actu, quamuis imperfecta, sunt enim actus, & formæ accidentales, minus dependent à subiecto, quam materia prima a forma, si quidem materia prima secundum se nullum habet actum, cum potius omnem actualitatem a forma participet.

Tertium argumentum: quod potest Deus facere media causa secunda potest facere se solo; sed mediante forma substantiali, quæ est causa secunda facit existere materiam primam: ergo etiam sine forma poterit facere, quod materia prima existat.

Respondetur negando absolute maiorem, multa enim facit Deus media causa secunda, quæ non potest facere se solo, non propter defectum potentiæ diuinæ, sed propter imperfectionem effectus producti: hinc est quod non potest facere album, sine albedine, neque producere actionem videndi nisi media potentia visiua creata: similiterque non poterit fieri,

quod

quod existat materia prima nisi habeat formam substantialem.

Dices: existentia non est effectus formalis primarius ipsius formæ: ergo potest suppleri à Deo: ergo poterit fieri virtute Diuina, quod existat materia prima sine forma substantiali.

Respondetur negãdo vtrãque consequentiam; nam etiam extensio partiuum substantiæ non est effectus primarius, sed secundarius quantitatis, & tamen non potest suppleri à Deo, impossibile enim est quod substantia habeat partes extẽsas, vel etiam quod sit extensa in ordine ad locum, & non per quantitatem; potest tamen Deus facere, quod existat materia prima, & non per existentiam communicatam â forma substãtiali, sicut de facto existit materia prima Christi Domini per existentiam increatam Verbi Diuini, non tamen potest existere materia prima, nisi sit informata forma substantiali, quia per talem informationem efficitur capax existentiæ: forma enim substantialis duplicem effectum formalem habet in ordine ad materiam: primus est constituere ipsam materiam primam sub certa, & determinata specie, & simul facere eam capacem ad recipiendam existentiam: Secundus est, tribuere ipsi materiæ primæ existentiam, secundus effectus potest suppleri a Deo, & de facto suppletur in materia prima Christi Domini, primus autem effectus non potest a Deo suppleri; ac per consequens, absolute erit impossibile, quod materia existat sine forma; nam impossibile est, quod existat, quin sit capax existentiæ; sed non est capax nisi per formam: ergo impossibile est, quod existat sine forma.

Quartum argumentum: prius non dependet à posteriori; sed materia prima est prior, quam forma, cum sit subiectum ipsius: ergo materia in suo existere non dependet à forma.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera si intelligatur de prioritate temporis, non autem si intelligatur de prioritate naturæ, & causalitatis, qua ratione materia prima est prior, quam forma: constat hæc Doctrina in materia prima Cœli, quæ quidem in omnium opinione verè, & propriè est causa materialis formæ, & tamen in nullo instanti temporis fuit sine forma, cum simul fuerit à Deo creata materia prima, & forma Cœli.

QVAESTIO IX.

Vtrum materia prima appetat omnes formas.

OBseruandum est primo: quod appetitus est inclinatio rei ad bonum sibi conueniens; nihil enim appetitur nisi sub ratione boni. Est autem appetitus duplex. Alius naturalis, qui prouenit ex natura rei, nulla præcedente cognitione, qua ratione lapis appetit centrum, & ignis locum superiorem. Alius est appetitus elicitus, qui semper prouenit ex aliqua cognitione præcedenti, siue sensitiua, siue intellectiua, qua ratione auarus appetit pecuniam. Appetitus materiæ pri-

primę est naturalis, nam materia prima nullius cognitionis est capax.

Obseruandum est secundo: quod appetitus, tam naturalis, quam elicitus, subdiuiditur in appetitum complacentiæ, quo aliquis sibi quodammodo congratulatur, congaudet, & delectatur de alicuius rei possessione, in quo sensu dicuntur beati, Deum appetere: & in appetitum desiderii, qui quidem fertur in rem absentem, & quæ non habetur, de quo appetitu intelligitur commune prouerbium: *priuatio est causa appetitus*. Hæc Doctrina est D. Tho. 1. p. q. 19. art. 1. vbi docet, quod actus appetitus est, non habita appetere; ideſt desiderare, & habita amare, & delectare in eis; ideſt habere complacentiam de re habita.

Prima conclusio: Materia prima, quæuis illa sit, naturaliter appetit formam: ita Arist. cap. 9. Ratione probatur; appetitus est inclinatio rei ad bonum sibi conueniens, & ad suam perfectionem; sed forma respectu materiæ primæ est maximum bonum â quo materia prima recipit omnem suam actualitatem, & perfectionem: ergo materia prima naturaliter appetit formam.

Secunda conclusio: Materia prima sublunaris, ideſt rerum corruptibiliū, naturaliter appetit omnes formas substantiales sublunares. Probatur appetitus materiæ primæ est quasi proprietas ipsius profluens ex eius essentia, quę est esse potentiam ad formam substantialem; sed materia prima sublunaris est in potentia ad omnes formas substantiales sublunares, vt diximus q. 5. & 6. ergo naturaliter appetit omnes illas: maior est D. Tho. 1. p. q. 54. art. 3. ad. 3. Dixi quasi proprietas, quia talis appetitus identificatur realiter cum materia prima: ac per consequens non est propriè proprietas, quamuis habeat modum proprietatis.

Tertia conclusio: Materia corporum Cœlestium naturaliter appetit formam, qua actu informatur; non autem appetit alias formas. Probatur vtraque pars conclusionis; nam appetitus materiæ primæ sequitur potentiam naturalem ipsius: ergo illas appetit materia prima, respectu quarum est potentia passiua; sed materia prima corporum Cœlestium, solum est in potentia ad formam, qua actu informatur, non autem ad alias formas: ergo solum appetit formam, qua actu informatur, non autem alias: Probatur minor; materia prima non potest recipere aliam formam, quin amittat formam, quam actu habet; sed materia prima corporum Cœlestium non potest amittere formam, quam habet: ergo neque recipere aliam formam: Probatur minor; nam corpora Cœlestia sunt omnino incorruptibilia: si autem materia prima corporum Cœlestium posset amittere formam, quā habet huiusmodi corpora possent sine dubio corrumpi.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Nihil appetit naturaliter, quod naturaliter habe-

mi entes.

habere non potest; sed materia prima non potest naturaliter habere formā amissam: ergo naturaliter non appetit talem formam.

Respondetur negādo absolute maiorem: cœcus enim naturaliter appetit visum, quem tamen naturaliter habere non potest: & anima rationalis separata a corpore naturaliter appetit reuniri corpori, & tamen non potest fieri talis reunitio nisi supernaturali virtute: & homo naturaliter desiderat habere omnes scientias, & tamen non potest homo naturaliter omnes scientias collectiue habere; ad hoc itaque, quod aliquis appetitus dicatur naturalis sufficit, quod feratur ad perfectionem naturalem, quamuis naturaliter habere non possit.

Secundum argumentū: quod actu possidetur non appetitur; sed materia prima possidet formam, qua actu informatur: ergo naturaliter non appetit ipsam.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera de appetitu desyderij, non autem de appetitu complacentiæ, qui est delectatio seu, qui est in bono possesso; itaque materia prima sublunaris appetitu complacentiæ appetit formam, qua actu informatur alias verò formas appetitu desiderij: at verò in materia cœlesti solum reperitur appetitus complacentiæ, cum solum appetat formam, quam habet.

Tertium argumentum: nihil appetit naturaliter sui corruptionem, & destructionem, cum sit malum quoddam, appetitus autem solum fertur in bonum: ergo materia prima non appetit formas, quas non habet: Probatur consequentia; nam nō potest illas adquirere nisi corrūpatur, & expellatur forma, qua actu informatur; sed ad expulsionem talis formæ corrumpitur quoddammodo, & per accidens materia prima, vt ostensum est supra q. 3. ergo materia prima non potest adquirere alias formas, quin quoddāmodo corrumpatur: ergo non appetit illas: alioquin suam destructionem appeteret.

Respondetur distinguendo antecedens: quamuis enim nihil appetat suam corruptionem primo, & per se potest tamen illam appetere, secundario, & per accidens. Itaque materia prima primo, & per se appetit formas, quas non habet; quia verō non potest eas adquirere nisi amittat formā, quā actu habet, neque potest talem formam amittere, quin quoddammodo corrumpatur, inde prouenit, quod materia prima quoddammodo, & per accidens desiderat sui corruptionem.

Dices: materia prima nō habet perfectius esse cum vna forma, quam cū alia: ergo quando est coniuncta, cum vna forma non est cur appetat alias.

Respondetur negando consequentiam; nam materia prima naturaliter appetit perseuerantiam, & durationem in suo esse, & quia non potest semper perseuerare cum vna forma substantiali sublunari, eo quod quælibet forma sublunaris est naturaliter separabilis a materia, inde prouenit, quod desiderat alias formas, vt sic eius esse continuetur, & duret.

QVAES-

QVAESTIO X.

Vtrum materia prima sit vna.

OBseruandum est primo: quod sæpius obserbauimus, triplicem dari vnitatem; videlicet genericam, specificam, & numericam: quærimus igitur: Vtrum materia sit vna, aliqua ex his vnitatibus?

Obseruandum est secundo: dupliciter aliquid dici vnum numero: primo, positiue, quod videlicet habet in se aliquod principium positiuum suę indiuiduationis, ratione cuius principij res ipsa est indiuisa in se, & diuisa a qualibet alia, & hac ratione Petrus dicitur vnus numero. Secũdo dicitur aliquid vnum numero negatiue; quia quamuis non habeat principium positiuum suæ indiuiduationis, caret tamen principio distinctionis numericæ.

Prima conclusio: Materia prima corporum cœlestium, & materia prima corporum sublunarium, & corruptibilium non sunt eiusdem speciei: ita D. Tho. 1. p. q. 66. art. 3. & ibidem Magister Balnes, & alij Thomistæ: Eandem conclusionem habet Arist. 12. Metaphis. vbi ait: *Cœlestia habent materiam plane diuersam ab ea, quæ res dissolubiles constant*; in hoc etiam sensu dixit Arist. *quod corruptibile, & incorruptibile differunt genere*, vt explicuimus in Logica cap. de accidente communi.

Ratione probatur: Materia prima essentialiter est pura potentia passiua ad formas substãtiales, vt supra ostensum est: ergo illę materiæ primæ conueniũt specie, quę habent potentiã ad easdẽ formas, & illę distinguntur speciæ, quæ nõ dicunt potentiam ad easdẽ formas; sed materia prima corporum cœlestiũ solum dicit potentiã ad formam, qua actu informatur, vt constat ex quæstione præcedenti: ergo distinguitur specie â materia prima sublunari, quæ dicit potentiam naturalem ad omnes formas sublunares.

Ex hac Doctrina collige: Materiã primam vnius Cœli non esse eiusdem speciei cum materia prima alterius Cœli; nam habent distinctam potentiam in ordine ad formam, materia enim Cœli Lunæ, v. g. Non dicit potentiam ad formam Cœli Solis; neque é contra, alioquin Cœli essent corruptibiles; nam si materia prima Cœli Lunæ posset recipere aliam formam; posset etiam consequenter amittere formã, quam modo habet, & per consequens posset corrumpi, quod est contra naturam Cœlorum, vt dicemus Deo dante in libris de Cœlo.

Secunda conclusio: Omnes materiæ primæ sublunares sunt eiusdem speciei. Probatur ex dictis; nam omnes dicunt potentiam ad easdem formas, videlicet ad omnes formas sublunares â quibus difolubiliter, & separabiliter informantur: ergo sunt eiusdem speciei.

Tertia conclusio. Materia prima rerum corruptibilium Considerata secundum se, & sine forma substantiali

tiali est vna numero negatiue: ita D. Tho. Op q. 31 de natura principiorum, & communiter omnes Thomistæ. Ratione probatur: materia prima secundum se nullam habet formam, cum secundum se sit pura potentia: ergo secundum se caret principio vnitatis numericę, & etiam principio distinctionis numericæ; nam forma substantialis est principium vnitatis, & distinctionis numericæ respectu materiæ primæ: ergo materia prima secundum se, & sine forma, est vna numero negatiue. Conflat hæc vltima consequentia, ex obseruatione secunda. Eadem ratione potest probari, quod materia prima cuiuslibet corporis cælestis secundum se considerata, & sine forma, est vna numero negatiue.

Quarta conclusio: Materiæ primę, quæ eodem tempore sub diuersis formis reperiuntur distinguntur numero: quæ verò vnam tantum habet formam est vna numero positiue, v. g. Materia prima, quæ modo est in Petro, est vna numero positiue, & distinguitur numero à materia prima, quæ modo de facto est in cadauere. Probatur conclusio; nam forma substantialis est principium positiuum vnitatis, & dstinctionis numericæ respectu materiæ primæ: ergo materia prima, quæ est sub vna forma est vna numero positiue, & materiæ primæ, quæ eodem tempore sunt sub diuersis formis distinguntur numero. Dixi: eodem tempore; nam successiue, & in diuersis temporibus, vna numero materia prima informatur diuersis formis: v. g. Eadem numero materia prima hominis fuit sub forma embrionis, & est sub forma hominis, & erit postea sub forma cadauersis.

Ex dictis in hac quæstione collige: materiam primam in communi, quatenus videlicet communis est ad omnes materias primas, non esse vnam vnitate specifica, vel generica, sed vnitate analoga, analogia proportionalitatis, conueniunt enim proportione quadam omnes materiæ primæ in ratione potentiæ passiuæ; ita docet D. Tho. 1. p. p. 65, art. 2. In fine corporis articuli.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam: In genere causæ efficientis datur vna tantum causa efficiens prima: Tum etiã vnus primus finis, seu vltimus, quod idem est: Tum etiam datur tantum vnus purus actus, videlicet Deus. Op. Max. qui est prima causa efficiens, vltimus finis est purus actus: ergo similiter in genere causæ materialis, dabitur tantum vna materia prima.

Respondetur negando consequentiam; est enim dispar ratio; nam causa efficiens, & finalis sunt causæ extrinsicæ, quæ non multiplicantur propter multiplicationem effectus: at verò materia prima est causa intrinseca, & pars componens, & multiplicatur realiter iuxta distinctionem rerum, & specierum, quas componit. Tum etiam quamui purus actus per

se subsistens sit vnus tantum: at tamē actus inexistens, seu informans non est vnus, sed multiplex, non enim datur vna tantum prima forma Physica realis; Iam verò actus correspondens materiæ, est actus informans.

Secundum argumentum: Arist. 7. Metaph cap. 17. docet, *quod omnis distinctio fit per aliquem actum*; sed materia Cœli, & materia sublunaris, cum sint puræ potentiæ, nullum actum includunt: ergo non distinguntur interse.

Respondetur distinguendo maiorem; quamuis enim istę materię non includant secundum se aliquem actū realem propriū, includūt tamen actū Metaphysicum improprium; videlicet diuersas differentias, quę sunt potentię, vel habitudines diuersę ad formas substantiales.

Tertium argumentum: potest Deus disponere materiam Cœli ad recipiendam formam sublunarem, & tunc temporis ex materia corporum cœlestium, & ex forma sublunari fieret vnum ens Physicum, cum vnū sit potentia, & aliud actus: ergo materia cœlestis potest recipere eandē formam, quam recipit materia sublunaris; & per consequens omnes materię sunt eiusdem speciei.

Respondetur negando absolute antecedens, ex forma enim sublunari, & ex materia cœlesti non potest fieri vnum compositū, quamuis sint potentia, & actus; nā hic actus, videlicet forma sublunaris, non est capax perficere, & actuare illam potentiam, videlicet materiam cœlestem, neque interse mutuā habitudinem dicunt.

Quartum argumentum, contra secundam: formæ substantiales sublunares specie distinguntur; v. g. forma hominis, & forma leonis: ergo similiter materiæ sublunares distinguntur interse.

Respondetur negando consequentiam; nam distinctio materię primę non desumitur ex ordine ad formam substantialem præcisse, & absolute cōsideratam, sed consideratam secundum modum informandi, quem habet: Iam verò, quamuis formæ sublunares, v. g. forma hominis, & leonis, absolute consideratę, sint diuersę speciei, attamen modus informandi est eiusdem speciei; nam omnes informant materiam primam separabiliter; nam omnes possunt, realiter, & naturaliter separari â materia.

Dices: omnes formę substantiales corporum cœlestium conueniunt in modo informandi; nam omnes informant materiam primam inseparabiliter, & indissolubiliter; & tamen materię primę corporum cœlestium non sunt eiusdem speciei: ergo pari ratione, quamuis omnes formę sublunares conueniant in hoc, quod est informare separabiliter materiam sublunarē, non inde sequitur, quod omnes materię sublunares sunt eiusdem speciei.

Respondetur negando consequentiam: est enim dispar ratio; nam quāuis omnes formę substantiales corporum cœlestium conueniant in hoc, quod est esse naturaliter inseparabiles

les à materia : attamen hęc ratio inseparabilitatis non reperitur eodem modo in omnibus illis ; nam forma solis; v. g. solum est inseparabilis respectu materię Solis, & similiter forma Lunę est inseparabilis â materia Lunæ, non autem est inseparabilis â materia Solis, & sic de alijs dicendum est, ac per consequens ratio inseparabilitatis diuerso modo reperitur in formis corporum cœlestium : at verò quælibet forma sublunaris est naturaliter separabilis à qualibet materia sublunari.

Quintum argumentum contra tertiam: vnitas sequitur rationem entis; nam ens, & vnum conuertuntur; sed materia prima, secundum se considerata, est ens positiuum: ergo secundū se est vna numero positiue.

Respondetur negando consequentiam : solum enim infertur; quod materia prima secundum se est vna vnitate positiua transcendentali, non autem vna vnitate numerica, de qua loquitur conclusio.

Sextum argumentum : si materia prima secundum se esset vna numero, sequeretur, quod tanta vnitas esset inter materiam primam Petri, & materiam primam Ioannis, sicut inter materiam Petri viui, & eius cadaueris; sed hoc est falsum : ergo & illud ex quo sequitur.

Respondetur negando sequelam maioris; nam materia Petri, & materia, quæ eodē tempore est in Ioanne; si secundum se considerentur sunt vna numero materia negatiue, quia si secundum se, & sine forma considerentur, non habent principium positiuum distinctionis numericæ, videlicet formam substantialem : at verò materia prima Petri viui, & materia cadaueris eiusdem Petri sunt vna numero materia, non solum vnitate numerica negatiua, sed etiam vnitate numerica positiua, quæ summitur ex vnitate numerica formæ.

QVAESTIO XI.

In qua aliquæ difficultates breuiter explicantur.

PRima difficultas est : vtrum materia prima secundum se sit cognoscibilis?

Respondetur; quod illa dictio *secundum se* duplicem potest reddere sensum: primus est secundum se, idest sine ordine ad formam sibi intime vnitam, & hac ratione materia prima non est cognoscibilis secundum se; nam vt docet Arist. q. Metaph. cap. 6. *quidquid cognoscitur sub ratione alicuius actus cognosci debet*; sed materia prima sine forma nullum actum realem dicit, sed est pura potentia : ergo materia prima sine forma non est cognoscibilis. Iuxta hanc Doctrinam D. Tho. 1. p. q. 15. art. 3. ad 3. Sic loquitur : *habet quidem materia ideam in Deo, non tamen alia ab idea compositi; nam materia secundum se non habet esse, neque cognoscibilis est.* Hæc D. Tho.

Secundus sensus est, *secundum se* idest secundum sua attributa essentialia, & hac ratione materia prima est

cognoscibilis secundum se, de facto enim cognoscimus materiam primã esse puram potentiam, habere appetitum ad formas, recipere actualitatem ab ipsis, & alia attributa ipsius materiæ primæ: ista tamen attributa cognoscuntur à nobis per analogiam, & similitudinem, quam habet materia prima, cum materia rei artefactæ, vt docet Arist. cap. 7. huius libri; nã proportione quadam, sicut se habet figura rei artefactæ respectu materiæ cui inhæret: ita forma substantialis respectu materiæ primæ, quam informat. Hinc dicebat Plato, quod materia prima cognoscitur â nobis adulterina quadam cognitione, idest per similitudinem alterius rei.

Secunda difficultas est: Vtrum materia prima sit bona?

Respondetur; quod bonitas est proprietas entis, vnde ea ratione aliquid est bonum, qua est ens: cum igitur materia prima, quatenus est vnita formę sit ens actu, etiam sub illa ratione erit actu bona: cum verò secundum se solum sit ens in potentia, etiam secundum se erit bona in potentia. Vtramque partem huius dicti inuenio, apud D. Tho. qui 3. contragentes cap. 2. inquit *materiam primam esse bonam actu*, & 1. p. q 5 art. 2. ad 3. affirmat *esse bonam, solum potestate*, absolute tamen, & simpliciter dicendum est quod materia prima est bona; nam semper exiliit actu, quamuis mediante forma.

Tertia difficultas est: Vtrum materia prima sit imperfectior omnibus entibus?

Dico primo: Materia prima defacto est imperfectior omnibus substantijs. Probatur ex D. August. qui 12. lib. suarum Confes. cap. 7. Deum aloquens sic dicit: *Duo fecisti Domine, vnũ prope te, videlicet Angelum, & aliud prope nihil, videlicet materiam primam.* Ratione probatur; nam actus substantialis perfectior est, quam potentia; sed omnis substantia, præter materiam primam, est actus substantialis, vel habet actum substantialem: ipsa verò materia prima secundum se, neque est actus, neque habet actum: ergo est imperfectior omnibus substantijs. Dixi, defacto; nam si de possibili fiat sermo, certum est, quod quemmadmodũ materia prima sublunaris est imperfectior, quam materia prima cœlestis, ita potest Deus facere aliam materiam primam, quæ sit imperfectior hac materia prima sublunari, quæ modo est.

Dico secundo: Materia prima est simpliciter perfectior accidentibus: Probatur; nam substantia est simpliciter perfectior, quã accidentia; sed materia prima substantia est, vt ostensum est supra: ergo est simpliciter perfectior accidentibus, sunt tamen accidentia perfectiora secundũ quid, quã materia prima; quia sunt quidã actus, quamuis imperfecti, materia verò est pura potentia, & quamuis actus sit simpliciter perfectior, quam potentia quando sunt eiusdem generis, tamen si sint diuersi generis non ita contingit; nam perfectius est simpliciter, esse potentiam in genere substantiæ, quam esse actum in genere accidentis:

tis. Aliæ quæstiones circa naturam materiæ primæ, ad libros de ortu, & interitu pertinent. Igitur de materia prima hæc in præsenti dixisse sufficiat.

DISPVTATIO DE PRIVATIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM PRIVATIO SIT PRINcipium rei naturalis.

OBseruandum est primo: quod principia rei naturalis infieri, seu generationis rei, dupliciter considerari possunt, videlicet ordine perfectionis, & ordine generationis, seu originis: si primo modo considerentur, primus locus debetur formæ substantiali, secundus materiæ primæ & tertius priuationi; nam forma perfectior est, quam materia, cum sit actus, & materia sit potentia: materia etiam est perfectior, quam priuatio; quia materia est ens in potentia, & est propriè substantia, priuatio autem est purum nihil. Si verò considerentur secundo modo, videlicet ordine generationis, & originis primus locus debetur materiæ primæ, secundus priuationi, tertius autem formæ; nam generatio rei naturalis est quædam mutatio, sed in qualibet autē mutatione prius intelligitur subiectum, deinde terminus â quo, & tandē terminus ad quem: ergo secundum ordinē generationis, & originis primus locus debetur materiæ primæ, quę est subiectum generationis substantialis, secundus priuationi quę est terminus â quo, & vltimus formę, quę est terminus ad quem. Procedentes igitur via originis postquam

in

in præcedētibus disputauimus de materia prima, agimus in præsenti de priuatione, disputaturi postea de forma substantiali.

Obseruandum est secundo: priuationem propriè dictam, & secundum propriam rationem sic diffinitiri: *carentia formæ in subiecto apto ad habendam talem formam*: quæ diffinitio colligitur ex Arist. 5 Metaph. cap. 22. Prima particula diffinitionis habet locum generis, per ipsam enim conuenit priuatio cum negatione; nam vtraque est carentia formæ: Per aliam verò particulam, *videlicet in subiecto apto ad habendam illam* excluduntur negationes, quæ quamuis sint carentiæ formę, non tamen dicunt subiectum aptum ad recipiendam talem formam; verè enim dicimus homo est non lapis, chimera est non homo.

Obseruandum est tertio: Quod priuatio in materia prima existens duplex est: alia dicitur remota, & indeterminata, per quam respicit omnes formas, quas de facto non habet, potest tamen habere: alia est priuatio proxima, & determinata, per quam materia prima respicit formam, quā de facto non habet, est tamen actu disposita ad talem formam recipiendam: v. g. quando materia prima hominis est disposita ad recipiendam formam cadaueris habet priuationē proximam formæ cadaueris.

Sit conclusio: Priuatio proxima formæ generandæ, seu introducendę: *est primum principium per se, rei naturalis in fieri, seu generationis rei*: v. g. priuatio proxima formæ hominis est principium per se generationis hominis. Communis est conclusio: Et ex his quæ diximus supra cap. 7. quæst. 3. explicata, & probata manet.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: generatio naturalis, cum sit ens reale, nō pendet ab operatione intellectus; sed priuatio non est ante operationem intellectus, cum sit ens rationis: ergo generatio potest esse, & intelligi sine priuatione, ac per consequens priuatio, non erit principium rei naturalis.

Respondetur iuxta Doctrinam adductam in Logica disp. de ente rationis q. 2 In solutione quarti argumēti distinguendo minorem; priuationes enim dupliciter considerari possunt: Primo formaliter, & secundum propriam rationem, & hac ratione solum dicunt carentiam formæ in subiecto apto: Secundo, considerantur in ratione entis: Si primo modo vsurpentur ante omnem operationem intellectus datur priuatio, & hac ratione priuatio non est ens, sed carentia entis: Si verò secundo modo considerentur priuationes sunt entia rationis, Iam verò priuatio formaliter cōsiderata, & secundum propriam rationem est principium rei naturalis.

Dices: Priuatio formaliter sumpta est non ens, sed non ens non potest esse principium entis: ergo priuatio formaliter sumpta non est principiū generationis rei.

Res-

Respondetur distinguendo minorem ; quamuis enim non ens , non possit esse principium alicuius rei cõponens, potest tamen esse principium tanquam terminus à quo , & hac ratione priuatio est principium generationis ; cum enim generatio sit mutatio de non esse, ad esse, idest de priuatione, ad formam, impossibile est, quod detur, vel intelligatur generatio, quin etiam detur , vel intelligatur priuatio.

Secundum argumentum: priuatio est carentia formę in subiecto apto; sed materia prima non est apta ad recipiendam formã, nisi sit vltimo dispositа ad talem formam recipiendã: ergo non habet priuationem antequam sit vltimo dispositа; sed quando est vltimo dispositа non habet priuationẽ formę introducendę: ergo nunquam datur talis priuatio : Probatur secunda minor, nam vltima dispositio ad formam introducendam identificatur realiter cum ipsa forma : ergo quando materia est vltimo dispositа ad formam iam habet formam: ergo non habet priuationem ipsius.

Respondetur negando minorem: toto enim tempore præcedenti vltimam dispositionem dicitur materia prima apta ad recipiendam formam introducendam, cum dicat naturalem potentiam , & appetitum ad ipsam: per dispositiones verò, quæ præcedunt vltimam dispositionẽ dicitur proxime , & dicitur habere potentiam proximam, & tunc materia prima habet priuationem proximam ad formam introducendam , quæ quidem priuatio est principium rei naturalis.

Dices: ante vltimam dispositionem non datur generatio : ergo si priuatio non est quando est vltima dispositio, sed solum ante vltimam dispositionem , proculdubio priuatio non erit principium generationis : Probatur consequentia ; nam principium debet dari quãdo datur res principiata: ergo si in instanti in quo datur generatio, non datur priuatio, non erit priuatio principium generationis.

Respondetur admittendo libenter, quod in instanti generationis, non datur priuatio; nam in illo instanti, iam est forma genita , cum generatio sit mutatio instantanea in qua simul est fieri, & factum esse: impossibile est autem, quod forma generata, & eius priuatio in eodem instanti reperiantur in materia, non tamen inde sequitur, quod priuatio non sit principium, siue terminus à quo generationis, nõ enim est necesse , quod terminus à quo sit in eodem instanti temporis, in quo datur mutatio, sed sufficit , quod fuerit tempore immediatè præcedenti ipsam mutationẽ. Priuatio itaque non est in instanti generationis, fuit tamẽ tempore immediate præcedenti ipsam generationem , & hoc sufficit, vt dicamus quod priuatio , & generatio sunt simul.

Tertium argumentum : priuatio formæ expulsę, seu corruptę, non est principium rei naturalis : ergo neque priuatio formę generandę , seu introducendę: Probatur consequentia; impossibile est quod forma introducatur

tur

tur in materia, nisi detur in ipsa materia priuatio formę corruptę; v. g. impossibile est, quod introducatur forma hominis, quin reperiatur in ipsa materia priuatio formę embrionis: ergo non minus requiritur ad generationem formæ priuatio formæ corruptę, quam priuatio formæ generandæ: ergo quemadmodum illa non est primum principium generationis, ita similiter illa non erit primum principium.

Respondetur negando consequentiam: Probationi dicimus; quod priuatio formæ generandę, seu introducendæ requiritur per se, ad generationem tanquam terminus à quo ipsius generationis, priuatio verò formæ corruptæ solum requiritur per accidens, seu per aliud in quantum, videlicet forma generanda stare non potest sine tali priuatione. Itaque agens naturale solum intendit primo, & per se producere, seu introducere formam substantialem, quia verò hæc forma non potest esse absque priuatione formæ corruptæ: Proinde secundario, & per accidens, intendit etiam agens naturale hāc priuationē introducere. Solum igitur ex argumento colligi potest talem priuationem esse principium per accidens generationis.

Quartum argumentum: Forma substantialis, quæ expellitur, vel corrumpitur: v. g. Forma embrionis, quæ in generatione hominis expellitur à materia est terminus à quo generationis, verè enim dicimus, quod ex embrione fit homo, & tamen talis forma non dicitur principium rei naturalis: ergo similiter quamuis priuatio formæ generandæ sit terminus à quo generationis, non inde sequitur, quod sit principium rei naturalis.

Pro solutione huius argumenti, sciendū est: quod illud est per se terminus à quo alicui⁹ mutationis, quod habet determinatam oppositionem cū termino ad quem; nā vt ait Arist. in hoc libro vnumquodque fit ex suo contrario; ac per consequens terminus à quo debet habere determinatam contrarietatem, & oppositionem cum termino ad quem. In generatione igitur substantiali, illud erit per se terminus à quo, quod quidē habet determinatam oppositionē cum forma substantiali generanda, vel introducenda, quę quidem est terminus ad quem: hoc posito.

Ad argumentum respondetur distinguendo maiorem; forma enim substantialis, quæ expellitur à materia non est terminus à quo generationis per se, sed solum per accidens. Priuatio autem formæ, generandæ, seu introducēdæ est per se terminus à quo; nam terminus à quo, qui quidem per se est terminus, debet habere determinatam oppositionem cum termino ad quem; vna autem forma substantialis non habet determinatam oppositionem cum alia; v. g. forma embrionis non habet determinatam oppositionem cum forma hominis, sed æqualiter pugnat cum ipsa, atque cum alijs formis substantialibus, at verò priuatio formę generandę habet determi-

natam

natam oppositionem cum ipsa forma generanda; nam solum opponitur ipsi, non autem opponitur aliis formis substantialibus.

Quintum argumentum: Arist. cap. 7. huius libri asserit *priuationem esse principium per accidens*: ergo non est principium per se.

Respondetur cum D. Tho. Arist. locutum fuisse, non de priuatione proxima formæ generandæ, de qua nos loquimur in conclusione, sed de priuatione formæ corruptæ, quæ cũ sit coniuncta principio per se, videlicet materiæ primæ dicitur quodd ã modo, & per accidens principium rei genitæ, vt diximus in solutione tertij argumenti.

QVAESTIO II

In qua aliquæ difficultates de priuatione breuiter dissoluuntur.

PRima difficultas est: Vtrum priuatio distinguatur realiter â materia prima?

Sciendum est: Quod distinctio realis est duplex: alia propria, quæ cũ sit relatio realis propria, debet reperiri inter extrema realia, qua ratione distinguntur Petrus, & Paulus, & relatio realis, quæ reperitur inter ipsos pertinet ad aliquod prædicamentum: Alia est distinctio realis impropria, quæ reperitur inter ea, quorum vnum non est aliud, & hac ratione distinguntur ens, & non ens; tum etiam ens reale, & rationis, & appellatur realis, quia non pendet ab intellectu, sed reperitur nullo intellectu considerante: Hoc posito.

Dico: priuationem non distingui realiter â materia, distinctione propria, distingui tamen distinctione impropria, sicut ens, & nihil, vel sicut ens reale, & rationis.

Ex hac Doctrina poterit conciliari Arist. qui. cap. 9. huius libri probat contra Platonem, priuationem distingui â materia, cum tamen cap. 7. dixitlet priuationem esse vnum numero, cum materia prima: Dicitur enim priuatio vnam numero cũ materia prima negatiue, quatenus videlicet priuatio non habet aliquam entitatem realem per quam posset propriè realiter distingui â materia prima. Aliqui dicunt Arist. cap. 7. locutum fuisse de vnitate numerica late sumpto vocabulo, qua ratione idem Arist. 1. top. cap. 6. dixit: *Omnia quæ sunt in eodem subiecto, vnum numero volunt significare*: Cum ergo priuatio quasi subiectetur in materia prima, hinc fit, quod priuatio, & materia prima sunt vnũ numero. Cæterum hæc Doctrina in præsenti non est ad propositum; nam etiam materia prima, & forma sunt vnum vnitate subiecti, & tamen idem Arist. sub finem capitis septimi expresse dixit: *Materiam, & formam realiter distingui*: ergo signum est, quod dum dixit materiam, & priuationẽ esse vnum numero, non est locutus Aristoteles de hac vnitate impropria.

Secunda difficultas est: Vtrum priuatio formaliter sumpta, & secun-

dum propriam rationem sit ens reale, vel ens rationis.

Sciendum est: Quod priuatio dupliciter considerari potest: Primo, formaliter, & secundum propriam rationem, & in hoc sensu solum dicit absentiam, carentiam, seu remotionem alicuius formę: Secundo, potest vsurpari fundamentaliter, pro subiecto videlicet priuationis, qua ratione est aliquid reale, semper enim priuatio dicit subiectum includens potentiam naturalem, ad aliquam formam recipiendam, in hoc enim distinguitur priuatio à negatione. Hoc posito.

Dico primo: priuatio formaliter sumpta est in rebus à parte rei secluſa operatione intellectus. Ita habet Aristoteles 6. Metaph. cap. 2. vbi ait: *verum, & falsum sunt in intellectu, bonum autem, & malum sunt in rebus;* sed malum est priuatio boni: ergo in rebus datur priuatio à parte rei; id ipsum docet D. Tho. q. 1. de malo art. 2. & Caiet. 1. p. q. 8. art. 2. & opus. de ente, & essentia cap. 4. & est communis sententia inter Philosophos, potestque probari, nam à parte rei, & secluſa operatione intellectus datur cœcitas in homine, & datur tenebrę in aere, & idem de aliis priuationibus dicendum est.

Dico secundo: Priuatio formaliter considerata, & secundum propriam rationem, non est ens rationis, neque ens reale. Probatur in primis testimonio Arist. qui in hoc lib. vocat, ipsam priuationem *per se non ens*, vt vitium est cap. 8. Probatur etiam ratione; nam in primis non est ens rationis; nam ens rationis solum habet esse per operationē intellectus; sed priuatio reperitur in rebus, secluſa operatione intellectus, vt dictum est: ergo priuatio formaliter sumpta, & secundum propriam rationem, non est ens rationis. Deinde, quod non sit ens reale constat; nam, vel esset substantia, vel accidens, priuatio autem, neutrum horum est, sed solum remotio substantiæ, vel accidentis: ergo priuatio formaliter sumpta non est formaliter ens reale.

Obiicies; non ens, seu nihil, non potest suscipere magis, & minus; sed priuatio suscipit magis, & minus: ergo priuatio est aliquid: Probatur minor: nam obscuritas est priuatio lucis; sed obscuritas suscipit magis, & minus; verè enim dicimus, quod aer aliquando est magis obscurus, & aliquando minus: ergo priuatio suscipit magis, & minus.

Respondetur distinguendo minorem; si enim intelligatur de priuatione formaliter sumpta falsa est: Priuatio enim non potest suscipere magis, & minus, cum hoc sit proprium formę positiuę: potest tamen priuatio ratione formæ, quam priuat suscipere magis, & minus, & sic aer dicitur magis, vel minus obscurus, prout est in eo plus, vel minus luminis, hoc autem est suscipere magis, & minus per accidens, seu per aliud.

Aliæ difficultates, ad naturam priuationis pertinentes, explicatæ sunt in Logica, videlicet quod priuatio, non collocetur directe in aliquo Categoria, ita diximus in prædictamen-

tis

tis cap. 9 q. vlt. in 2. difficultate: reducitur tamen priuatio ad Cathegoriam formę cuius est priuatio, vt priuatio, quæ est principium rei naturalis, reducitur ad Cathegoriam substantiæ, cum sit priuatio formæ substantialis, & ad illam speciē sub qua collocatur forma, v. g. priuatio formæ hominis reducitur ad speciem hominis. Priuatio non cognoscitur directe, & per propriam speciem intelligibilem impressam, sed reflexe per speciem impressam ipsius formæ, quam priuat: ita diximus disp. de ente rationis, q. 5. De priuatione igitur hæc sint satis.

DISPVTATIO DE FORMA SVBSTANTIALI.

QVESTIO PRIMA.

VTRVM FORMÆ SVBSTANTIALES educantur de potentia materiæ prima.

OBseruandum est primo: quod forma prima sui diuisione diuiditur; in naturalem, quæ habet principium in natura; & in artifitialem, quæ per artem producitur, vt forma, seu figura Cathedræ. Præterea forma naturalis est duplex; alia essentialis, quæ dat esse essentiale, & alia accidentaria, quę dat esse accidentarium; v. g. albedo. Rursus essentialis, vel est per se subsistens complete, cui repugnat esse in subiecto, siue inhærendo, siue informando, & huiusmodi sunt Deus, & Angeli: alia est forma informans,

mans, seu inexistens, quæ existit in materia prima eam informando. Denique forma informans est quadruplex: prima, quæ solum dat esse, vt forma lapidis: secunda, dat esse, & viuere, vt forma plantæ: tertia, dat esse, viuere, & sentire, vt formæ brutorum: quarta denique, dat esse, viuere, & intelligere, & huiusmodi est anima rationalis, forma essentialis informans est principium intrinsecum rei naturalis, & poterit sic diffiniri: *forma est, actus substantialis informans*, per primam particulam excluditur materia prima, quæ est pura potentia; per secundam accidentia, quæ sunt actus accidentales, per tertiam tandem excluduntur Deus, & Angeli, qui sunt actus substantiales per se subsistentes.

Obseruandum est secundo; communem esse sententiam omnium Philosophorum, omnes formas substantiales, vna excepta anima rationali, educi de potentia materiæ primæ. Ita docet D. Tho. 1. p. q. 45. art. 8. & q. 65. art. 4 & multis alijs in locis, qui referuntur in tabula aurea D. Tho. verbo, materia prima, num. 103. Idem etiam sentiunt communiter omnes Philosophi, & Theologi, non tamen omnes eodem modo explicant hanc veritatem, & quid sit formas educi de potentia materiæ primæ.

Reiectis igitur alijs modis dicēdi, D. Tho. 1. p. q. 910. art. 2. ad 2. sic ait: *Actū, ideſt formā educi de potētia materiæ nihil aliud est, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia*, ea autem forma dicitur propriè esse in potentia materiæ primæ, quæ quidem potest produci per transmutationem naturalē mediis dispositionibus ab agente naturali inductis, concurrente ipsa materia prima in genere causæ materialis, & quando actu producitur talis forma, dicitur educi de potentia materiæ primæ; v. g. quando moritur homo, & generatur cadauer, forma cadaueris educitur de potentia materiæ primæ; quia cum antea esset talis forma in potentia ipsius materiæ primæ, reducitur ad actum per transmutationem naturalem, qua transmutatur materia prima amittendo formam hominis, & recipiendo formam cadaueris.

Ex hac Doctrina colligitur tria præcipuè requiri ad hoc vt aliqua forma dicatur educi de potentia materiæ primæ. Primum est, quod eadem productione, qua producitur, & generatur totum compositum, producatur etiā, & generetur forma. Secundum est, quod forma dependet in fieri, & conseruari à materia prima, ita vt sine ipsa materia nec posset produci, nec conseruari. Tertium est, quod materia prima concurrat in genere causæ materialis ad productionem talis formæ, ita vt ex vi transmutationis, qua transmutatur materia prima producatur talis forma.

Prima conclusio: Omnes formæ substantiales corruptibiles, quæ non creantur à Deo, educuntur de potentia materiæ primæ. Probatur conclusio, ex dictis; nam omnes formæ corruptibiles substantiales producuntur eadem productione, qua producitur totum compositum. Insuper dependent à materia prima in fieri, & con-

& conseruari. Et denique producũtur ab agente naturali per transmutationem, qua materia prima, medijs dispositionibus transmutatur: ergo omnes formæ substantiales corruptibiles educuntur de potentia materiæ primæ: Consequentia constat ex secunda obseruatione: Antecedens verò probatur inductiue; forma enim cadaueris v. g. Producitur eadem productione, qua generatur cadauer; tum etiam talis forma dependet â materia prima infieri, & conseruari, non enim potest extra materiam fieri, vel extra materiam naturaliter cõseruari; & tandem producitur per transmutationem naturalem factam per dispositiones præcedentes: Idem que dicendum est de aliis formis substantialibus corruptibilibus: ergo verum est antecedens. Dixi; corruptibiles; nam formæ substantiales incorruptibiles, huiusmodi sunt formæ corporum cœlestium, non sunt eductæ de potentia materiæ primæ, sed vna cum ipsa materia fuerunt creatæ â Deo in initio mundi, & idem est dicendum de forma elementorum; nam etiam elementa secundum se tota incorruptibilia sunt: Dixi etiam, quæ non creantur â Deo; nam si forma corruptibilis, v. g. Forma leonis; crearetur â Deo, non educeretur de potentia materiæ primæ.

Secunda conclusio: Anima rationalis, non educitur de potentia materiæ primæ, sed creatur immediate â Deo. Ita D. Hieronimus Epistola ad Pasmachium de erroribus Ioannis episcopi Hierosolimitani. D. Aug. Epistola de origine animæ ad Hieronimum. D. Leo Papa. D. Tho. Et quam plures alij Doctores. Arist. etiam 3. de anima cap. 3. Expresse ait, *animam rationalem nullatenus dependere à materia in sui productione, sed de foris venire.*

Ratione probatur anima rationalis, nõ producitur eadẽ productione, qua producitur totum compositũ, videlicet, homo; nã homo generatur ab homine, anima autẽ rationalis solũ modo creatur à Deo: Insuper anima rationalis non dependet infieri â materia, cum prius intelligatur creata â Deo, quam informans materiam; Neque dependet ab ipsa in conseruari; nam mortuo homine, conseruatur realiter separata â materia anima rationalis. Et denique non producitur anima rationalis per transmutationem agentis naturalis in aliquo genere causę; nã anima rationalis creatur à Deo, & nulla creatura potest concurrere ad creationẽ alicuius rei, vt docent Theologi: ergo anima rationalis non educitur de potentia materię primę: consequentia constat ex secunda obseruatione.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra secundam obseruationem. Anima rationalis est in potentia materię primę; & tamen non potest educi ex ipsa: ergo falso diximus, quod illud educitur de potentia materię, quod prius erat in potentia ipsius: Probatur maior; nam materia prima est potentia

passi-

passiua ad omnes formas: ergo etiam ad animam rationalem: ergo anima rationalis est in potentia materiæ primæ.

Respondetur negando maiorem; probationi negamus secundam consequentiam; nam aliud est materiam primum esse in potentia ad formam, & aliud formam contineri in potentia materia materiæ primæ; nam ad primum sufficit, quod materia prima habeat potentiam ad recipiẽ dam talem formam; ad secundum vero, requiritur, quod talis forma possit fieri, & produci, ex vi transmutationis materiæ primæ concurrente ipsa materia in genere causæ materialis: hoc autem non cõuenit animæ rationali, vt ostensum est conclusione secunda.

Secundum argumentum, contra primam conclusionem. Id educitur ex aliquo, quod antea existebat in ipso, ex quo educitur; sed ante generationem, forma generanda, non est in materia: ergo nulla forma educitur de potentia materiæ.

Respondetur distinguendo minorem; quamuis enim ante generationẽ non existat actu in materia prima ipsa forma generanda: Existit tamen in potentia ipsius materiæ primæ, modo explicato in secunda obseruatione, & hoc sufficit ad hoc vt dicamus, quod talis forma educitur de potentia materiæ primæ.

Dices: forma cadaueris, v. g. Non fit ex nihilo, alioquin crearetur; nam sola creatio est productio entis ex nihilo: ergo fit ex aliquo: ergo aliqua realitas, & entitas actualis ipsius formæ præexistebat in materia prima, ante generationem.

Respondetur negando secundam consequentiam; nam ante generationem cadaueris nihil formæ cadaueris existebat in materia prima, alioquin simul fuisset materia prima sub forma hominis, & sub forma cadaueris, quod est absurdum: Non tamen inde sequitur, quod forma cadaueris fiat ex nihilo; nam ad hoc vt aliquid dicatur fieri ex aliquo non est necesse, quod aliqua entitas ipsius præexistat, sed sufficit, quod fiat, & producatur ex vi alicuius transmutationis alicuius subiecti concurrente tali subiecto in genere causæ materialis. Constat hæc doctrina; nam quando generatur homo, producitur de nouo quantitas, & qualitas hominis, & talis productio accidentium non dicitur fieri ex nihilo, neque vocatur creatio, quia talia accidentia producuntur ex vi transmutationis substãtialis materiæ primæ: idem etiam de productione formæ substantialis dicendum est.

Tertium argumentum: generatio est propria compositorum, totũ enim compositum est, quod generatur; sed formæ non sunt tota composita, sed actus simplices: ergo formæ non generantur: ergo creantur: ergo fiunt ex nihilo: ergo non educuntur de potentia materiæ primæ.

Respondetur distinguendo maiorem: duplex est enim terminus generationis: alius est per se, & primarius, qui per se intenditur a generante, & hic est totum compositum de hoc termino

mino loquebatur Arist. quando tex. 64. huius libri dixit *manifestum est, quod omne, quod fit semper compositum est*, & idem docet D. Tho. multis in locis, præcipuè verò 1. p. q. 45. art. 8. & q. 90. art. 2. Alius verò est terminus generationis quasi per accidens, seu per aliud, qui quidem non intenditur per se à generante, sed per aliud, videlicet ratione cõpositi, & hic terminus non dicitur propriè generari, & produci, sed congenerari, & comproduci, idest generari ad generationem totius compositi, & hac ratione est terminus generationis, forma substantialis; v. g. in generatione leonis, terminus per se, est leo genitus, forma autem leonis geniti, erit quasi terminus secundarius, & per accidens, idest, secundario intentus, leo enim generans primo, & per se intendit generare leonem; quia verò non potest generari leo nisi per formam, quasi secundario, & per accidens intendit formam. Dixi, quasi secundario, & per accidens, nam in rei veritate forma ipsa est primo, & per se terminus generationis: si autem comparetur ad totum genitum est quasi terminus secundarius, & per accidens intentus: quamuis itaque forma substantialis non generetur, congeneratur tamen, & comproducitur.

Dices: in productione hominis verè dicimus, quod anima producitur, & falso diceret aliquis, quod anima rationalis comproducitur: ergo idem de alijs formis substantialibus dicendum est.

Respondetur cum D. Tho. Locis citatis negando consequentiam: est enim valde dispar ratio de anima rationali, & de alijs formis substantialibus; nam anima rationalis per se solam potest existere, & subsistere, vt quod, & de facto exitit mortuo homine; ac per consequens ipsa per se solam potest terminare aliquam actionem: Cæterum aliæ formæ non possunt per se existere, vt quod, saltim naturaliter, sed exiftunt ad existentiam totius, vnde totum producuntur ad productionem totius, quod quidem est comproduci.

Respondetur secundo, negando similiter consequentiam; nam anima rationalis creatur à Deo, homo verò generatur ab homine: Ac per consequens actio productiua hominis non est productiua animæ rationalis, & sic anima rationalis non dicitur comproduci, vel congenerari: At verò aliæ formæ producuntur per eandem actionem productiuam per quam producitur totum; ac per consequens potius dicuntur comproduci, quam produci.

Quartum argumentum: formæ accidentales non educuntur de potentia materiæ secundæ, quæ est totum compositum: ergo neque formæ substantiales educuntur de potentia materiæ primæ.

Respondetur negando antecedens: Quamuis enim accidentia educuntur de potentia materiæ secundæ, quæ est totum compositum per transmutationem accidentalem eiusdem compositi, eo modo quo diximus formas substantiales corruptibiles educi de poten-

potentia materiæ primæ; v. g. quando Petrus de calido efficitur frigidus, educitur frigiditas de potentia ipsius Petri.

Vltimum argumentum, contra secundam conclusionem: homo hominem generans producit vltimam dispositionem animæ rationalis: ergo producit animam rationalem: ergo anima rationalis generatur, & per consequens educitur de potentia materiæ primæ: Probatur prima consequentia; nam qui producit vltimam dispositionem alicuius formæ, etiam producit formam.

Respondetur distinguendo antecedens: Vltima enim dispositio alicuius formæ duplex est, alia est necessaria ad productionẽ talis formæ, & adesse, & conseruationem ipsius: alia est necessaria, ad vnionem formæ, cum materia, qui primam dispositionem producit, formam producit; v. g. qui producit vltimam dispositionem necessariam, ad productionem formæ ignis, etiam producit formam ignis, non autem, qui tantum producit vltimam dispositionem necessariam ad vnionem formæ cum materia; iam verò homo generans hominem, solum producit vltimam dispositionem necessariam ad vnionem animæ rationalis cum materia prima, non autem producit vltimam dispositionem necessariam ad productionem talis formæ; nam hæc vltima dispositio solum producitur â Deo qui solus creat animam.

QVAESTIO II.

In qua aliquæ difficultates breuiter expicantur.

PRima difficultas est: Vtrum forma substantialis sit actus simplex?

Respondetur; quod Physice loquendo est quid simplex; nam est primum principium Physicum; prima autem principia cum non componantur ex alijs sunt simplicia. Præterea si forma esset Physice cõposita, vel ex materia, & forma, vel ex duplici forma; sed neutrum est dicendum: ergo forma non est Physice composita, sed simplex, Probatur minor; nam quod componitur ex materia, & forma est ens completum, & integrum, forma autem est ens partiale. Item si componeretur ex materia, & forma, de illa forma componente idem fieret argumentum, daturque processus in infinitum: ergo forma non componitur ex materia, & forma. Deinde neque ex duplici forma; nam vt ait Arist. 7. Metaph. cap. 3. *Plures actus coniungi non possunt, vt vnum per se efficiant*, quælibet autem forma est actus: ergo ex duplici forma non fiet vnum per se. Dixi: Physice loquendo; nam loquendo de compositione Metaphysica forma est quid compositum constans ex genere, & differentia, vel ex his quæ habent locum generis, & differentiæ, vt constat ex eius diffinitione adducta in obseruatione prima quæstionis præcedentis.

Secun-

Secunda difficultas est : Vtrum formæ substantiales corruptibiles possint existere realiter separatę à materia?

Respondetur, quod naturaliter loquendo est impossibile. Ita docet Arist. cap. 2. lib. sequentis, & Probatur ex dictis quæst. præcedenti; nam formæ corruptibiles ex natura sua educuntur de potentia materiæ primæ : ergo pendent à materia prima in fieri, & conseruari: ergo non possunt conseruari, seu existere naturaliter sine materia : Supernaturali autem virtute potest existere forma corruptibilis, v. g. anima leonis, realiter separata â materia prima, quemadmodum existunt virtute diuina formæ accidentariæ realiter separatæ à materia secunda in Sacramento Altaris, ibi enim, vt docet fides, existūt accidentia sine subiecto: Et Probatur breuiter hæc Doctrina; nam forma substantialis non habet existentiam â materia prima, sed in materia prima: ergo ratione proprię existentiæ, quam habet poterit supernaturali virtute existere sine materia.

Tertia difficultas est : Qrare forma substantialis corporum cœlestiū plene, & perfecte satiat appetitum materiæ primæ, ita vt materia prima Cœli informata nullatenus appettat aliam formam ; & tamen nulla forma sublunaris quamtumuis perfecta, & nobilissima satiat plene, & perfecte appetitum suæ materiæ?

Respondetur ; hoc prouenire ex ipsa materia prima, quæ naturaliter appetit conseruari, & semper esse, & quia materia prima corporum cœlestiū semper habet esse cum forma, qua actu informatur, cùm talis forma sit naturaliter inseparabilis â materia, inde prouenit, quod talis forma perfecte satiat appetitum materiæ primæ: At verò nulla forma sublunaris, quantumuis perfectissima, potest esse semper cum materia prima : Imo quælibet forma corruptibilis est naturaliter separabilis à materia, ac per consequens materia prima sublunaris appetit plures formas; quia sub vna tantum semper perseuerare non potest.

Dices : Vnde prouenit: quod formæ Cœlorum sunt inseparabiles à materia?

Respondetur ; hoc prouenire ex incorruptibilitate Cœlorum, & quia Cœli non possunt recipere dispositiones contrarias ipsi Cœlo, vt videbimus Deo volente in libris de Cælo. Aliæ difficultates de forma substantiali ad libros de anima spectant.

Vltima difficultas : Vtrum ratio principij dicatur vniuocé, vel analogicé de materia, forma, & priuatione?

Sciendum est ; quod principium potest dupliciter vsurpari; videlicet, pro relatione principij ad principiatum, & pro eo quod ab ista relatione denominatur. Hoc posito.

Dico; sub quauis ratione istarum consideretur principium, dicitur analogicè, & non vniuocé de materia, forma, & priuatione. Probatur; nam

relatio principij, quam dicunt materia, & forma, ad rem naturalem est relatio realis; relatio autem, quam dicit priuatio, non est realis, sed rationis, nam cum priuatio non sit ens reale, non potest esse subiectum alicuius entis realis. Præterea materia, & forma, quę denominantur à relatione principij sunt entia realia; Priuatio autem, vel est non ens, vel est ens rationis: ergo quoquismodo vsurpetur principium rei naturalis in communi, est quid commune ad ens reale, & ens rationis, seu ad ens, & non ens; sed ad ens reale, & ens rationis non datur aliquid commune vniuocum, sed analogum: ergo principium analogicè dicitur de materia, forma, & priuatione: ita vt prius dicatur de forma, quæ est actus; secundo, de materia prima, quæ est in potentia; & tandem de priuatione, quæ est formaliter non ens.

Dices: Tenebræ sunt priuatio lucis; sed tenebræ sunt aliquid: ergo priuatio est aliquid: ergo ens: Probatur minor; nam in cantico trium Puerorum dicitur: *Benedicite Lux, & tenebræ Domino*; sed non ens, seu nihil non potest Benedicere Dominum: ergo priuatio non est non ens: ergo est aliquid.

Respondetur negando minorem; probationi dicitur: quod lux, & tenebræ dicuntur Benedicere Dominum; quia ad bonitatis diuinæ laudem contemplantium mentem inuitant: quemadmodum prata virentia ridere dicuntur, quia risum, & lætitiam aspicientibus causant. Hoc autem reis quibusdam verbis explicuit D. Augustinus lib. De natura boni aduersus Manicheos sic dicens: *Priuationes rerum sic à Deo ordinatur, vt non indecenter vires suas habeant, quemadmodum in cantu interpositiones silentiorum, certis, moderatisque interuallis, licet vocum priuationes sint suauitati cantilenæ aliquid conferunt: Quemadmodum item vmbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non speciæ, sed ordine placent:* Vnde, & in hymno trium puerorum etiam lux, & tenebræ laudant Deū, idest eius laudem in bene considerantium cordibus pariunt. Laudemus nos etiam ipsum, qui huic primo libro finem dare concessit.

LIBER.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

DIsputationem entis mobilis, & naturalis, quam libro præcedenti aggressus fuerat Arist. prosequitur in præsenti, explicans radicem proprietatum entis mobilis, quę est natura, & causas ipsius entis mobilis; tam causas per se, videlicet, materiam, formam, efficiens, & finem, quam etiam causas per accidens, huiusmodi sunt casus, & fortuna. Hęc est materia huius libri, cui sunt cap. 9.

CAP. I.

Quid sit natura?

INtendit Arist. in hoc capite exponere rationem, & quidditatem entis naturalis, & distribuitur caput in tres partes. In prima, præmissa, quadam diuisione, naturam diffinit. In secunda, inter ens naturale, & ens secundum naturam discrimen agnoscit. In tertia tandem, forma esse magis naturam, quam materia triplici ratione confirmat.

Ens igitur, vt ad præsens attinet institutum, diuiditur in ens naturale,

quod ab ipsa natura habet esse, vt animalia, & eorum partes, plantę, arbores, & corpora simplicia, quę sunt corpora cœlestia, & quatuor elementa, & in ens, quod habet principium in alijs causis. Has causas connumerat Aristoteles 7. Metaph. cap. 7. vel enim res habent principium in violentia, & coactione, vt motus, quo lapis fertur sursum: Vel in casu, & fortuna, vt inuentio Thesauri à fodiente terram: vel in electione, & libertate operantis, vt virtutes, & vitia: vel denique in arte, vt domus, vel scamnum. Distinguntur autem ens naturale, & ens arte factum, quod habet principium in arte; quia ens naturale in se, & ex se habet principium motus; vel motus localis, vt Cœli; vel augmenti, & decrementi, vt viuentia; vel denique motus alterationis, qui omnibus rebus Physicis communis est: Ens verò artefactum non habet ex se principium motus. Ex hoc discrimine infert Aristoteles diffinitionem naturę hoc modo: Si entia naturalia sunt, quę habent in se principium motus, sic erit diffinienda natura. *Principium, & causa motus, & quietis eius in quo est, primo, & per se, & non secundum accidens.*

In secunda parte capitis ponit Philosophus discrimen inter ens naturale, & ens secundum naturam; quia ens naturale dicitur, quod habet in se principium motus, & quietis, videlicet materiam, & formam, quę sunt naturę, vnde ens naturale, nihil aliud erit, quam ens compositum ex materia, & forma; ens autem secundum naturam dicuntur omnes affectiones, & proprietates, & omnia accidentia, quę conueniunt enti naturali. Docet prętera Philosophus se ideo non egisse de existentia naturę, neque explicasse de ipsa quęstionem an sit; quia notissimum est dari naturam, & est in Physica principium indemonstrabile. Vocat autem Aristoteles prędictam propositionem, videlicet *natura datur*, principium indemonstrabile, non quia in rei veritate demonstrari non possit, (potest enim demõstrari vsurpando tanquam medium verbum diffinitionem naturę, vel etiam motum Physicum, qui est effectus naturę,) sed dicitur principium indemonstrabile, quia est propositio per se nota respectu nostri, est enim sensibus manifestum dari naturam, cum videamus motum, ac per consequens ineptum esset in re tam manifesta demonstranda immorari.

Denique in tertia parte capitis hanc proponit conclusionem: Forma pręstantiori modo est natura, quam materia. Probatur primo, quemadmodum se habet figura in artificialibus, ita in naturalibus forma: ergo sicut figura est pręstantior pars in rebus artificialibus, formaliter consideratis: ita forma erit pręstantior pars entis naturalis.

Probatur secundo: Ens naturale per formã, est in actu, per materiam verò solum est in potentia: ergo prę-

stãtior natura est forma, quã materia.

Pro

Probatur tertio: quia forma est terminus rei naturalis, & eius complementum, materia autem est primum subiectum: ergo vera est conclusio. Concludit Arist hoc cap. Dicens: *ex formis quasdam esse proprias, & perfectas, quasdam verò imperfectas, quæ respectu perfectiorum priuationes quoddam modo appellantur*, qua ratione idem Aristoteles 10. Metaph. Nigredinem, vocat priuationem.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM OPTIME DIFFINIATUR natura ab Aristotele?

OBserua primo: quod hoc nomen, *natura*, multiplicem habet significationem, quemadmodum, & ens naturale, vt ostensum est supra q. 4. Procemiali): Relictis autem alijs significationibus, in presenti solum agimus cum Arist. de natura in quantum est ratio constitutiua entis mobilis, & radix omnium proprietatum Physicarū, maximè verò motus, & quietis, quę sunt precipuè proprietates Physicę.

Obserua secundo: Duplex est principium motus aliud actiuum, quod est causa productiua motus, & aliud passiuum ratione cuius aliquid est aptum moueri, seu potens ad recipiēdum motum. Preterea principium diuiditur alia diuisione, in intrinsecum, quod existit in re, quę mouetur: v. g. Natura lapidis est principium intrinsecum, quo lapis mouetur deorsum; & in principium motus extrinsecum, quod quidem non existit in re, quę mouetur, qua ratione natura ignis est principium extrinsecum calefactionis passiuę ipsius aquę. Denique principium motus potest tertio diuidi: In radicale, seu remotum, & in principium proximum, seu immediatum: Principium radicale motus Physici, sunt materia, & forma; principium verò proximum sunt accidentia, vt grauitas in lapide, & leuitas in igne.

Obserua tertio: Motum diuidi. In naturalem, & violentum; motus naturalis est ad quem ipsum mobile naturaliter inclinatur, & confert vim ad hoc, vt fiat talis motus: v. g. Motus lapidis deorsum. Motus violentus est, ad quem mobile non dicit naturalem inclinationem, neque confert vim, vt fiat talis motus, imo potius naturaliter resistit, vt motus lapidis sursum. Quies etiam diuiditur in quietem positiuam, & in quietem priuatiuam: quies positiua nihil aliud est, quam permanentia entis mobilis in suo loco naturali. Quies

vero

verò priuatiua nihil aliud est, quam carentia, seu cessatio motus in subiecto apto ad motum. Præterea, tam motus, quam quies possunt vsurpari, vel pro potentia proxima, & aptitudine, ad motum, & quietem, & hac ratione sunt proprietates entis mobilis, vel pro actuali motu, & quiete, qua ratione sunt accidentia communia entis mobilis.

Prima conclusio: Apte diffinitur natura; *principium, & causa motus, & quietis eius in quo est primo, & per se, & non secundum accidens.* Probatur conclusio: ex communi consensu omnium Philosophorum vnanimiter cum Arist. Hanc diffinitionem admittentium, & etiam inductiue, discurrendo per omnes regulas bonæ diffinitionis quas omnes seruat prædicta diffinitio, ex dictis autem in obseruatione explicari debet.

Prima igitur particula diffinitionis est, *principiū*, quæ intelligenda est, tā de principio actiuo mot⁹, quā de passiuo; in rebus enim naturalibus viuētibus forma est principium actiuum motus: materia verò est principium passiuum; in rebus autem inanimatis, tam materia, quam forma sunt principium passiuum, non enim habent principium, vt se moueant, sed solum vt moueantur ab alio.

Secunda particula est, *causa*, quæ addit supra rationem principij influxum realem in effectum, & per hanc particulam excluditur á ratione naturæ priuatio formæ, quæ licet sit principium rei naturalis, non tamen est causa, cum sit ens rationis, vel nō ens.

Tertia particula est, *motus* quę intelligenda est de motu Physico naturali, & de qualibet specie ipsius motus, non autem de motu violento; nā motus violentus non procedit á principio intrinseco, sed ab extrinseco.

Quarta particula est, *&*, quę intelligenda est coniunctiuè, & copulatiue, vt optimè animaduertit Magister Soto, contra Auicenam, non autem disiunctiue, vt volant Auicena, & alij, qui dicunt prædictam dictionem equiualere huic; *vel*, ita vt sit sensus, natura, est principiū motus, vel quietis, &c. Falsitas autem huius Doctrinę constabit ex dicendis, maximè verò ex solutione secundi augumenti.

Quinta particula est, *quietis*, quę est intelligenda de quiete positiua, non autem priuatiua.

Sexta particula est, *eius in quo est*, quę quidem, non est referenda, ad motum, vel quietem, ita vt velimus dicere: Natura est principium motus, & quietis eius in quo est motus, vel quies Sed potius est referenda ad ipsam naturam, & reddit hunc sensum; natura, est principium, & causa motus, & quietis, quo mouetur, & quiescit res, in qua est natura: Per hanc particulam designatur, quod natura, est principium intrinsecum motus, & quietis, excluduntur que omnes causę extrinsecæ, siue efficientes, siue finales.

Septima particula est, *primo*, quę designat naturam esse principium primum, & radicale motus, & quietis, excluduntur que accidentia, quę sunt principia secundaria, & immediata

diata ipsius motus, vt leuitas, respectu motus sursum: excluduntur etiam res arte factę, quę licet habeant in se principium, & causam motus: Attamen tale principium non primo conuenit rei artefactæ, vt arte facta est, sed rei naturali, ex qua res arte facta fit.

Octaua praticula est, *per se*, quę non idemtificatur cum precedenti; nam esse album v. g. Primo conuenit superficiei, nihil enim prius est album, quam superficies, cum superficies sit subiectum immediatum albedinis, non tamen conuenit per se, sed per accidens, videlicet ratione quātitatis: Et ē conuerso homini per se conuenit esse sentientem, non tamen conuenit primo, prius enim conuenit animali, quam homini. Ad rationem igitur naturę requiritur vtrumque, videlicet, quod sit principium primum, & per se motus: Per hanc particulam excluduntur, casus, & fortunę, & alię causę per accidens: v. g. Asis Medicinę in ęgroto residēs per accidens est causa sanitatis, cius in quo est; nam sanari conuenit homini, eo quod infirmus est, qui per se sanatur, non autem hoc ei conuenit per se, quia Medicus, accidit enim illi Medicum esse: Exemplum hoc est Arist. In hoc capite.

Nona denique particula, videlicet, *& non secundum accidens* est explicatio precedentis, & solum ponitur claritatis gratia.

Secunda conclusio: Predicta diffinitio est accidentaria. Ita Beatus Albertus Magnus, & alij. Ratione probatur, nam predicta diffinitio traditur per extrinseca, videlicet per motum, & quietem, quę siue vsurpentur pro potentia proxima, siue pro actu, accidentia sunt; diffinitum autem huius diffinitionis est substantia: ergo predicta diffinitio est accidentaria.

Secundo probatur: Esse principium proprietatum supponit essentiam: ergo est aliquid extra essentiam: ergo esse principium motus & quietis est extra essentiam naturę: ergo predicta diffinitio non est essentialis, sed accidentaria.

CONTRA SVPERIORA

¶ Primum argumentum: quando in aliqua diffinitione ponitur inferius prius quam superius, committitur nugatio, quia superius, iam includitur in inferiori, vt si quis diffiniendo hominem diceret, rationale animal sed principium, est inferius ad causam: ergo in diffinitione naturę committitur nugatio dum dicitur principium, & causa. Probatur minor; latius patet causa, quam principium; nam efficiens, & finis sunt causę, & tamen non sunt principia intrinseca: ergo principium est inferius ad causam, vel saltim minus late patet, quam causa.

Respondetur negando absolute minorem; nam principium absolute sumptum, vt libro precedenti ostensum est, latius patet, quam causa, & est superius ad ipsam; omnis enim

causa,

causa est principium, non tamen omne principium est causa.

Dices: Principium intrinsecum non latius patet, quam causa, neque omnis causa est principium intrinsecum, vt constat de efficiente, & fine; sed principium in prædicta diffinitione naturę stat pro principio intrinseco: ergo principium, prout ponitur in prædicta diffinitione, non latius patet, quam causa.

Respondetur negando minorem: Principium enim in prædicta diffinitione ponitur absolute abstrahendo â principio intrinseco, & extrinseco. Alioquin frustra adhiberetur in prędicta diffinitione illa particula, *eius in quo est*, per quam designatur, quod natura debet esse principium intrinsecum.

Secundum argumentum. Idem non potest esse causa contrariorum; sed quies conttariatur motui, cum sit priuatio motus: ergo natura non potest esse causa motus, & quietis.

Respondetur distinguendo minorem: Est enim vera de quiete priuatiua, non autem de quiete positiua. Hęc enim quies non contrariatur motui, imo est finis, & perfectio ipsius motus, res enim naturaliter mouentur, vt ad quirant suum finem, & permaneant in sua perfectione naturali; hoc autem est quiescere quiete positiua, dequa est intelligenda diffinitio naturę. Ex hac Doctrina, collige: Omnem naturam, quę est principiũ motus Physici naturalis, esse etiã principium quietis positiue; nã motus ex natura sua ad talẽ quietẽ ordinatur.

Tertium argumentum. Natura terrę non est principium motus, cum terra sit omnino immobilis: ergo falso dicitur, quod natura est principiũ motus.

Respondetur negando antecedens: nam quamuis terra non moueatur actu motu locali, est tamen mobilis, idest potest moueri motu locali, vt q. 3. Proœmialiũ ostensum est; Iam verò mot⁹ in diffinitione naturę magis significat aptitudinem, & potentiam proximam ad motum, quam motum actualem. His adde, quod licet terra non moueatur actu motu locali, mouetur tamen actu motu alterationis, recipiendo varias qualitates, si quidem rarefit, & condensatur, & siccatur, & fit humida, frigefit, & calefit, & quamuis non moueatur actu motu locali secundum se totam, mouetur tamen interdum localiter secundum partes.

Quartum argumentum. Cœli non possunt naturaliter quiescere: ergo saltim natura Cœli non est principiũ quietis.

Respondetur negando antecedens; Cœli enim post diem iuditij naturaliter quiescent; nam modo mouentur propter generationem rerum naturalium, & propter perfectionem horum inferiorum, quę quidem in suis motibus dependent â motu Cœlorum. Post diem autem iuditij cessabunt generationes, & motus rerum sublunarium: Ac per consequẽns naturaliter cessabit motus Cœli; nam cessante fine, naturaliter cessant media ad talem finem ordinata. Hęc

Doctri-

Doctrina colligitur ex D. Tho. lib. 4. Contragentes cap. vlt.

Respondetur secundo distinguendo antecedens: Si enim intelligatur de quiete priuatiua vera est, est tamen falsa de quiete positiua; Iam verò Cœli modo de facto quiescunt quiete positiua; quia licet moueantur localiter, non tamen extra suum locum naturalem. Quies autem positiua nihil aliud est, *quam permanentia, & perseuerantia rei in suo loco, & perfectione naturali.*

Dices: Omnis motus naturalis semper ordinatur ad aliquam perfectionem ipsius rei, quæ mouetur, sed motus Cœli est naturalis: ergo ordinatur ad aliquam perfectionem adquirendam: ergo Cœli non habent de facto totam suam perfectionem naturalem, & ex consequenti non quiescunt positiue.

Respondetur maiorem esse veram de motu locali recto, quo aliqua res mouetur extra suum locum naturalem; iam verò Cœli mouentur motu circulari, & intra suam naturalem spheram.

Quintum argumentum. Grauia, & leuia mouentur motu naturali à generante. Tum etiam Cœli mouentur naturaliter ab Angelo: ergo non mouentur â principio intrinseco: ergo falso dicitur, quod natura est principium motus eius in quo est.

Respondetur distinguendo primũ consequens: quamuis enim grauia, & leuia, & Cœli moueantur à principio extrinseco actiuo tanquam â causa efficiente; simul tamen mouentur â principio intrinseco passiuo, videlicet, â propria forma, & materia ex quibus cõponuntur; vnde talis motus non erit violentus, sed naturalis; nam motus violentus est, *qui procedit à principio extrinseco, passo non conferente vim, sed potius resistente tali motui*; motus autem, quo lapis v. g. mouetur deorsum, quamuis proueniat â principio extrinseco, videlicet à generante, attamen simul prouenit â principio intrinseco ipsius lapidis, & natura lapidis confert vim ad talem motum.

Sextum argumentum. Natura, nõ est principium per se, sed per accidẽs priuationis, sed quies est priuatio motus: ergo natura non per se, sed per accidens erit principium quietis: ergo falsa est vltima particula diffinitionis.

Respondetur distinguendo minorem: est enim vera de quiete priuatiua, non autem de positiua; iam verò in diffinitione naturę de sola quiete positiua fit sermo.

QVAESTIO II

Vtrum materia, & forma sint natura?

OBserua, quod præter diuisiones principij adductas quæstione precedenti, potest diuidi principium motus, in principium, quod, & principium quo: principium quod est totum compositum, seu ens mobile; nã ens mobile, est quod mouetur motu

Physico, & quod mouet, absolute enim dicimus, quod ignis est, qui calefacit, & aqua est id quod calefit: Materia autem, & forma sunt principiũ, *quo* radicale; nam materia, & forma sunt id *quo* ens naturale potest mouere, vel moueri. In diffinitione naturę, iam designatur, quod natura debet esse principium *quo*, nam dicitur, quod natura est principium motus eius in quo est natura: principium autem *quod* non est in alio, cum sit totum compositum, materia autem, & forma, dicuntur esse quodammodo in alio, videlicet in toto, quod cõponunt.

Sit conclusio. Materia, & forma vere, & propriè sunt naturę. Ita Arist. in hoc capite. Ratione probatur; nam tota diffinitio naturę conuenit materię primę, & similiter conuenit formę, vt patet discurrendo per singulas particulas ipsius diffinitionis: ergo vera est conclusio.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primùm argumentum: natura est determinata ad vnum, vt sape docet Arist; sed neque materia, neque forma sunt determinatæ ad vnũ: ergo nec materia, & forma sunt naturæ. Probatur minor; materia ex natura sua est indeterminata ad omnes formas; similiter forma, v. g. anima leonis, est indifferens ad motum sursum, & deorsum: ergo nec materia, nec forma sunt determinatæ ad vnũ.

Respondetur interpretando Arist. illa enim proprositio: *natura est determinata ad vnum*; facit hunc sensum: natura non est principium naturale saltim per se effectiuum, motuum contrariorum; v. g. natura rei grauis, qualis est lapis, non potest esse principium motus sursum, & deorsum, sed ex natura sua est determinata ad motum deorsum. Prædicta autem propositio sic intellecta, solum est intelligenda, de natura, quæ est forma rei inanimatæ, qualis est forma ignis, vel lapidis, vt optime animaduertit Ferrariensis, q. 1. huius libri, materia autem, vel forma rerum viuentiũ nõ est determinata ad vnũ, vt optime probat argumentum, hinc est, quod animal naturaliter mouetur sursum, & deorsum.

Dices: animal est res grauis; sed grauia solum mouentur naturaliter deorsum: ergo animal solum mouetur naturaliter deorsum, non verò sursum.

Respondetur negando consequentiam; nam quamuis animal, vt res grauis est præcisse, solum moueatur naturaliter deorsum: attamen, vt est formaliter res viuens, etiam naturaliter mouetur sursum.

Secundum argumentum: Si materia esset natura, sieret consequẽs calefactionem passiuam aquæ, esse motum naturalem ipsius aquæ; sed hoc est falsum: ergo materia, non est natura; minor est cuidens, nam aqua ex natura sua est summe frigida: ergo contra naturam ipsius est calefieri: Sequela verò probatur: ille motus est naturalis, ad quem natura ipsius rei, quæ mouetur, dicit naturalem in cli-

clinationem; sed materia prima aquę dicit naturalem inclinationem ad motum calefactionis: ergo si materia prima est natura, talis motus erit naturalis aquæ: Probatur minor; nam materia prima aquæ dicit naturalē appetitum ad formam ignis: ergo etiam naturaliter appetit calefactionē, quæ est dispositio per se tendens ad productionem formæ ignis.

Respondetur distinguendo maiorem: Dupliciter enim dicitur aliquis motus naturalis: Primo, simpliciter, & absolute, & est ille ad quem materia, & forma ipsius rei naturaliter inclinantur, vt motus deorsum respectu lapidis. Secundo, dicitur naturalis, secundum quid, & est ille ad quem materia ipsius rei dicit naturalem inclinationem, est tamen contra naturam formę substantialis, & hic motus simpliciter, & absolute est violentus; nam cum forma sit præstantior, & nobilior pars constitutiua entis mobilis, hinc fit, quod id quod conuenit, vel repugnat formę, simpliciter dicitur conuenire, vel repugnare enti mobili: calefactio passiua aquę est motus naturalis secundum quid; quia est conformis materię primę ipsius aquę, vt optime probat argumentum: Dicitur autem simpliciter, & absolute violentus respectu aquę; quia talis motus est dispositio corruptiua formę ipsius aquę.

Tertium argumentum: Natura est ratio constitutiua entis naturalis; sed anima, quę est vera, & propria forma, non constituit; sed supponit ens naturale, seu corpus mobile; ergo non omnis forma est natura: Minor probatur; nam Arist 2. De anima sic animam diffinit: *Actus corporis Physici* &c. ergo ipsa anima non constituit, sed supponit corpus Physicum.

Respondetur negando minorem: Probationi dico, quod anima dicitur actus corporis Physici, non quia corpus Physicum supponit (anima enim, sicut omnes alię formæ substantiales, immediate vnitur materię primę) sed dicitur actus corporis; quia corpus Physicum constituit in ratione corporis Physici, quemadmodum rationale dicitur actus hominis non quia hominem, iam constitutum supponat, sed potius, quia ipsum vltimo constituit.

Dices: Anima rationalis realiter separata à corpore non est principiū intrinsecum motus Physici; nam in nullo est, sed per se subsistit: ergo saltim hęc anima non erit natura.

Respondetur negando consequentiam; nam vt sit natura non requiritur, quod actu sit principium motus, sed, quod ex sua natura possit esse principium motus, hoc autem proprie conuenit animę separatę; ac per consequens verè est natura, quemadmodum etiam, vt est separata verè est forma, & substantia partialis; quia licet vt sic, non actu informet, nec actu componat, ex natura tamen sua potest in formare, & componere.

QVAESTIO III.

Vtrum natura dicatur vniuocè de materia, & forma?

SIt conclusio: Natura dicitur de materia, & forma analogicé, & non vniuocé. Ita Beatus Albertus Magnus, Masius, & quam plures alij. Ratione probatur: natura est principium intrinsecum, vt diximus q. 1. Sed principium intrinsecum nō dicitur vniuocè, sed analogicè de materia, & forma, vt diximus sub fine libri precedentis: ergo etiam natura dicitur analogicé de materia, & forma.

Secundo probatur conclusio. Quando aliqua ratio superior essentialiter includitur in vltimis conceptibus suorsum inferiorum non dicitur vniuocé, sed analogicè de illis; sed ratio naturę essentialiter includitur in vltimis conceptibus materię, & formę: ergo non dicitur vniuocè, sed analogicè de illis. Maiorem explicuimus in proœmialibus Logicę q. 5. Minor autem probatur: materia, vt distinguitur à forma est natura; sed distinguitur â forma per rationem vltimo constitutiuam sui: ergo ratio naturę includitur essentialiter in vltima ratione materię primę: maior constat in viuentibus, materia enim rei viuentis, vt distinguitur à forma, est principium passiuum motus, & forma, vt distinguitur à materia, est principium actiuum; sed esse principium actiuum; vel passiuum motus est esse naturam: ergo materia secundum vltimam rationem, & vt distinguitur â forma est natura. Et idem argumentum fieri poterit de forma respectu materię.

Tertio probatur conclusio. Ratio naturę prius dicitur de forma, quam de materia, & de materia dicitur per ordinem, & dependentiam â forma: ergo natura analogicè dicitur de materia, & forma: Antecedens est Arist. qui in hoc capite probat, quod forma est magis natura, quam materia, & 5. Metaph. cap. 4. affirmat *naturam primo dici de forma, & secundo de materia prima, in quantum videlicet est receptiua formæ.* Et probatur ratione: Natura est principiū motus, & quietis, &c. sed materia non est principiū alicuius motus, nisi prout est vnita alicui formę; v. g. materia prima rei grauis est principiū motus deorsum, quia est vnita cum forma, quę est principium talis motus; & similiter materia prima ignis est principium motus sursum, quia forma ignis est principium talis motus: ergo ratio naturę conuenit materię primę per dependentiam â forma.

Dices: quæ analogia est ista, quam dicit natura ad materiam, & formam?

Respondetur; quod natura dicitur de materia, & forma; vtroque genere Analogię, vt scilicet proportionalitatis, vt probat secunda ratio, & attributionis, vt probat tertia, quemadmodum diximus in ante prædicamentis cap. 4. q. 6. ens vtraque analogia

gia dici de substantia, & accidente, de Deo, & creaturis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Comparatio fit inter ea, quę sunt eiusdem generis, seu eiusdem speciei infimę, vt docet Arist. 7. Physic. cap. 4; sed materia, & forma comparantur inter se in ratione naturæ; probat si quidē Arist. Formam esse magis naturam, quam materiam: ergo materia, & forma in ratione naturæ sunt eiusdem generis, seu eiusdem speciei: ergo conueniunt vniuocé in ratione nature.

Respondetur maiorem esse veram de comparatione propriè dicta, vt explicabimus. 7. lib. Pphysic. Non autem de comparatione absolute sumpta; nam ad comparationem absolute sumptam sufficit conuenientia analogica: veté enim dicimus, quod substantia est perfectius ens, quam accidens; & tamen accidens, & substantia solùm conueniunt analogicé in ratione entis.

Secundum argumentū: Ratio substantiæ vniuocé dicitur de materia, & forma: ergo etiam ratio naturæ.

Respondetur primo, negando consequentiam; nam ea, quæ secundum vnam rationem sunt vniuoca; possunt esse analoga, seu equiuoca secundum aliam; v. g. canis terrestris, & marinus vniuocé conueniunt in ratione animalis, cum tamen in ratione canis sunt equiuoca.

Respondetur secundo, negando antecedens; nam licet substantia completa, & integra prædicetur vniuocé de substantijs sibi inferioribus; substantia tamen partialis, seu incompleta dicitur de illis analogicé; quia includitur in vltimis differentijs, seu conceptibus suorum inferiorum. Iam verò substantia communis ad materiam, & formam est substantia incompleta.

QVAESTIO IV.

Vtrum assignauerit Aristoteles discrimen inter ens naturale, & artisitiale?

OBserua; quod relictis alijs acceptionibus entis naturalis in præsenti solum vsurpatur pro ente Physico, quod componitur ex materia, & forma, quæ sunt naturæ. Similiter nomine entis artifitialis, intelligitur ens, quod habet principium in arte, & ab ipsa arte efficitur, vt Cathedra, vel scamnum.

Sit conclusio: Entia naturalia distinguntur ab artifitialibus; quia naturalia formaliter, vt naturalia sunt, habent in se principium intrinsecum motus, & quietis, siue passiuum tantum, vt res inanimatæ, siue passiuū, & actiuum simul, vt res viuentes: at verò entia artifitialia, vt artifitialia sunt formaliter, & duplicando, non habent in se tale principium: non enim scamnum v. g. mouetur deorsum; quia scamnum est; sed quia ex natura sua est graue. Hanc conclusionem habet Arist. in hoc cap. & est com-

communis inter omnes interpretes ipsius. Venitque intelligenda de motu Physico naturali, nam ars bene potest esse principium motus violenti, vt constat in rotis ferreis horologii, quę mouentur circulariter, talis autem motus est violentus; nam ferrum, cum sit res grauis inanimata, solum tendit naturaliter deorsum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Quemadmodum ens naturale constituitur per naturam, ita ens artificiale per formam artificialem; sed forma artificialis est principium motus, & quietis entis artefacti, seu arte constantis; quemadmodum natura est principium motus, & quietis entis naturalis: ergo discrimen assignatum ab Aristotele inter ens naturale, & artificiale nullum est: Probatur minor; nam ars saltandi, tum etiam ars citharizandi sunt principium motus, & quietis, eius in quo sunt: ergo forma artificialis est principium motus, & quietis.

Respondetur negando minorem; Probationi dicimus, quod in saltatione, & citharizatione duo reperiuntur, videlicet subsantia, seu entitas ipsius motus, & quietis, & modus artificiosus, quo talis motus, & quies exercentur. Primum, habet principium in natura: Secundum verò, in arte: Non itaque ars saltandi docet moueri, sed taliter moueri, ideſt docet modum artificiosum talis motus.

Secundum argumentum: Corpus sphericum, seu rotundum à loco alto cadens citius perueniet ad centrum, quam corpus planum, vel quadratum eiusdem ponderis, & magnitudinis; sed figurâ spherica, & rotunda habet principium in arte: ergo etiam ars, sicut, & natura, est principium motus naturalis.

Respondetur negando consequentiam: in descensu enim corporis rotundi, duo reperiuntur, videlicet entitas motus, & hæc habet principium in natura ipsius corporis, & reperitur etiam modus, quo fit talis motus, videlicet, maior celeritas, & hoc secundum habet principium in arte.

Tertium argumentum: Ars perfectior est, quam natura; sed natura est principium motus naturalis: ergo etiam ars.

Respondetur distinguendo maiorem: si enim intelligatur de perfectione secundum quid, vera est maior; ars enim quodammodo perficit naturam, quemadmodum accidentia ornant, & perficiunt substantiam: si verò intelligatur de perfectione simpliciter, falsa est maior: Certũ enim est, quod natura est simpliciter perfectior, quam ars; nam natura est substantia, ars verò est accidens: tum etiam eatenus est perfecta ars, quatenus magis imitatur naturam, hinc est quod opera naturæ non possunt fieri tam quam à causa per se, & propria virtute ab ipsa arte, vt docet expresse D. Tho. 22. q. 77. art. 2. ad pri-

primum adducens pro hac sententia D. August.

Sed Dices : Magi, & sapientes Egyptiorum per artem Magicam fecerunt serpentes, vt dicitur in libro exodi, qui quidem serpentes fuerunt vera animalia, vt docet D. August. 3. de trinitat. cap. 7. & D. Tho. quæst. 6. de potentia art. 5. ad 8. Caietanus, & alij: ergo opera naturæ possunt fieri per artem. Confirmatur, nam per artem chimicam verum conficitur aurum: ergo ars potest attingere opera naturæ.

Respondetur negando consequentiam : illi enim serpentes producti fuerunt à causis naturalibus, quæ ministerio dæmonum, qui Magis assistebant breui spatio temporis applicatę sunt; nam vt docet D. August. 10. de Ciuitate Dei cap. 1. dæmonum industria actiua passiuis applicantiũ, quam plures effectus naturales fieri possunt, vnde ars Magorum solum concurrebat ad productionẽ serpentium tanquam conditio sine qua non.

Ad confirmationem. Respondetur negando antecedens ; aurum enim, quod per artem chimicam efficitur, non est verum aurum, sed apparens, seu fucatum : Ita docet D. Tho. In 2. dist. 7. q. 5. art. 1. ad 5. & ratio D. Tho. est ; quia forma substantialis auri non efficitur per calorem ignis, quo vtuntur alchimistæ, sed per calorem Solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis: hinc est; quod vsus huius artis damnatus est ab Ecclesia in extrauganti quadam, vbi dicitur alchimistæ spondent, quas non habent diuitias, & ibi damnatur venditio talis auri pro verò, & declaratur, quod venditores tenentur ad restitutionem.

Respondetur secundo, negando cõsequentiam, licet enim alchimia verum aurum efficeret, id non faceret propria virtute, vel tanquam causa per se, sed tanquam conditio sine qua non, applicando videlicet actiua naturalia passiuis.

CAPVT SECVNDVM.

QVOD PHYSICA DIFFERAT à Mathemmaticis.

IN duas præcipuas partes diuiditur hoc caput; In prima, probat Philosophus Physicam distingui à Mathematicis ; nam quamuis conueniant in hoc, quod est disputare de quantitate, distinguuntur tamen, quia non disputant de illa eodem modo, sed rationibus longe diuersis; nam Physica agit de quantitate, vt est coniuncta cum ente mo-

mobili, & sensibili: Mathematicæ verò disputant de quantitate abstrahendo â materia sensibili, in qua quidem abstractione non reperitur falsitas, nam abstrahentium non est mendatium. Probat insuper Arist. Physicam, à Mathematicis distingui, hac alia ratione. Perspectiua, Musica, & Astrologia, quę sunt scientiæ mediæ inter Mathemmaticas, & Physicam, distinguũtur à Mathemmaticis, videlicet ab Arismetica, & Geometria: ergo â fortiori ipsa Physica distinguitur â Mathemmaticis, magis enim distant interse duo extrema, quam distet medium ab vnoquoque extremorum.

In secunda parte capitis probat Arist. Physici esse, non solum de forma, sed etiam de materia disputare. Primo: quia ad Physicum spectat agere de natura; & tam materia, quam forma sunt naturæ. Secundo, quia Physicus in hoc differt â Mathemmatico, quod Mathematicus agit de formis accidentalibus abstractis à materia; Physicus verò de formis substantialibus, vt sunt in materia: ergo Physicus non solum formam, sed etiam materiam considerat. Tertio, ars imitatur naturam; sed artifex nõ modo considerat materiam rei arte factæ, sed etiam formam: ergo similiter Philosophus naturalis, qui agit de ente naturali formam, & materiam considerare debet. Quarto, eiusdem facultatis, & scientiæ est considerare finem, & considerate, quæ ad talem finem referuntur; sed forma est finis generationis naturalis: Materia verò ad hunc finem ordinatur: ergo eadem scientia Physica disputat de forma, & materia. Denique materia, & forma quoddammodo sunt relata, cum sint actus, & potentia, relatorum autem eadem scientia est.

Concludit Arist. Hoc caput dicens: quemadmodum Medicus, vt Medicus est non cõsiderat neruum, vt compositum ex tali materia, & forma, sed vt est subiectum sanitatis, ita Physicus non considerat formas substantiales in ratione entis, hoc enim spectat ad Metaphysicam, sed quatenus sunt actus materiæ primæ, & partes Physicæ entis mobilis.

Quid, & quotuplex sit abstractio â materia, & qua ratione scientiæ naturales per varias abstractiones destinguantur? explicuimus 1. lib. de demõstratione cap. 23. In quo perfectã etiam intelligentiam illius axiomatis abstrahentium non est mendatium, adduximus, in Logica, disp. de vniuersalibus, q. 7. obs. 1.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum scientiæ mediæ sint magis Physicæ, quam Mathemmaticæ?

ANimaduertendum est; quod scientiæ pure Matemmaticæ, sunt Arismetica, & Geometria, quarum prima agit de quantitate discreta, videlicet de numero: Secunda verò, scilicet Geometria, agit de quãtitate continua. Scientia pure Physica est Philosophia naturalis, quam nos modo interpretamur, quę quidem

dem

dem agit de ente mobili, & sensibili, scientię autem mediæ sunt perspectiua, musica, & Astrologia, quę proinde appellantur mediæ; quia in aliquo conueniunt cum Physica, & Mathemmatieis: quemadmodum tepidum, quod est medium inter frigidum, & calidum, aliquid habet de vtroque. Istę igitur scientię, cum Mathemmaticis habent hoc, quod est disputare de quantitate: Cum Physica verò conueniunt in hoc, quod est agere de quantitate coniuncta cum materia sensibili; nam perspectiua agit de linea visuali, musica de numero sonoro, Astrologia de quantitate corporum cœlestium, quę est coniuncta cum motu Cœlorum.

Sit conclusio: Scientię mediæ magis sunt Mathemmaticę, quam Physicę: Ita D. Tho. opus. Super Boetium de Trinitate q. 5. art. 3. ad 5, & 2. 2. q. 9. art. 2. ad 3. Ferrariensis, & alij. Ratione probatur; nam de istis scientijs tanquam de partibus subiectiuis disputant Mathemmatici. Insuper in communi diuisione scientiarum Mathemmaticarum istæ scientiæ connumerari solent: Eas etiam non Philosophię naturali, sed Mathemmaticis subalternari concedunt Authores: ergo magis sunt Mathemmaticę, quam Physicę.

Secundo probatur conclusio: Obiectum istarum scientiarum est cognoscibile per principia Mathemmatica, & per talia principia concluduntur eius proprietates, vt communiter omnes concedunt: ergo obiectum illarum magis est Mathemmaticum, quam Physicum: ergo etiam prędictę scientię magis erunt Mathemmaticę, quam Physicę, nam scientię ab obiectis specificantur, & constituuntur.

Tertio probatur conclusio; nam quamuis istę scientię considerent materiam sensibilem, eam tamen considerant abstractione quadam Mathematica, & secundum quasdam generales rationes, quę in suo conceptu, non includunt materiam sensibilem, sicut Metaphysica agit de materia sensibili abstractione quadam Metaphysica, videlicet secundum rationes ab omni materia separatas: ergo prędictę scientię magis sunt Mathematicę, quam Physicę: Consequentia est euidens; nam scientię constituuntur ab obiecto in esse scibilis considerato, constituitur autem obiectum in esse scibilis per abstractionem à materia.

Verum itaque est: Astrologiam disputare de Cœlo, quod quidem est materia sensibilis; cœterum non considerat eius qualitates sensibiles, sed solam quantitatem, & figuram secundum rationes Mathemmaticas, vt diximus supra q. 3. procemialiũ, & idem cum proportione, de perspectiua, & musica dicendum est. Conueniunt igitur scientię mediæ, cum Physica in obiecto materiali, cum scientijs verò Mathemmaticis in obiecto formali, & in ratione sub qua: Ac per consequens magis erunt Mathemmaticę, quam Physicę: Ex hac Doctrina facile erit omnia argumenta aduersaria dissoluere.

CAPVT TERTIVM.

DE CAVSIS.

CVm Philosophia naturalis per fecta scientia sit, & per omnes causas procedens, perfecta autē scientia nō potest adesse, nisi per causas aggrediatur, at proinde Atist. disp. de causis in hoc capite. In cuius prima parte omnes causas ad quatuor genera reducit. In secunda verō, quasdam causarum diuisiones annectit.

Sunt ergo quatuor causarum genera, videlicet materia, forma, efficiens, & finis, de quibus late disputabimus, in quæstionibus. Proponit deinde Arist. tres conclusiones. Prima est: Eiusdem effectus possunt esse plures causæ per se; v. g. ferrum est causa materialis statuæ, figura est causa formalis, statuarius est causa efficiens, & representatio est causa finalis.

Secunda conclusio: Causæ sunt sibi inuicem, causę in diuerso genere causę; v. g. de ambulatio est causa efficiens valetudinis, & valetūdo est causa talis de ambulationis.

Tertia conclusio. Idem potest esse causa effectuum contrariorum, idem enim gubernator nauis sua, præsentia causat nauigij incolumnitatem, sua verò absentia, seu ignauia eiusdem subersionem, & ruinam. Hoc posito probat Arist. omnes causas ad quatuor genera reduci, quam probationem adducemus quæst. 2. disput. sequentis.

Diuiditur causa prima, sui diuisione in causam per se, *à qua effectus per se dependet*, qua ratione dicitur statuarius causa statuæ: & in causam per accidens, *à qua effectus per accidens dependet*, qua ratione Musicus, est causa ædificationis.

Secundo, diuiditur causa in vniuersalem, seu priorem, quæ plures causat effectus, vt Sol, & in particularem, seu posteriorem, quæ non causat tot effectus, vt homo.

Tertio, diuiditur in causam actu, quæ actu operatur, & producit effectum, vt ignis actu calefaciens, & in causam in potentia, quæ eam causari posit, non tamen de facto causat, vt lapides acerui dicuntur causa materialis in potentia ipsius domus.

Quarto, diuiditur in causam simplicem, quæ est sola causa per se, vel sola causa per accidens, & in causam complexam, seu compositam, quæ vtramque complectitur, vt statuarius musicus est causa complexa statuæ.

Tot etiam modis diuidi potest effectus, nam causa, & effectus sunt relata, quando autem alicuius rei perfectam habere volumus cognitionē, causam proximam, & causam per se, de-

debemus inuestigare, imperfecte enim agnosceret aliquis statuam, si solum cognosceret artifitium, & musicum; nã artifex est causa vniuersalis, & remota ipsius statuæ: causa enim proxima, & particularis est statuarius, & similiter Musicus est causa per accidens statuæ.

CAPVT QVARTVM.

DE CASSV, ET FORTVNA.

EGit capite præcedenti Arist. de causis per se, in hoc autem, & duobus sequentibus disputat de casſu, & fortuna, quæ sunt causæ per accidens. In præsenti autem antiquorum Philosophorum opinionibus reiectis duas istas conclusiones proponit.

Prima est: Dantur de facto casſus, & fortuna. Probatur; nam quæ eueniunt præter intentionẽ agentis casſu, & fortuna accidere dicuntur, sed de facto, quamplura eueniunt præter intentionem operantis, vt experientia comprobatur: ergo dantur de facto casſus, & fortuna.

Secunda cõclusio. Non omnia casſu, & fortuna fiunt. Probatur; nam experientia constat, quam plura fieri certa ratione, & quam plures effectus produci secundum intentionem operantis: ergo non fiunt omnia casſu, & fortuna.

CAPVT QVINTVM.

QVID SIT FORTVNA?

EXplicata quæstione an sit de casſu, & fortuna, explicat Arist. in hoc cap. quæst. quid sit. In prima igitur parte quasdam diuisiones præmittit: In secunda verò fortunę diffinitionem adducit.

Prima igitur diuisio est: Eorum, quæ fiunt; quædam fiunt semper, vt solem oriri post auroram; quædam fere semper, vt hieme pluere; quædam raro, vt inuenire thesaurum.

Secunda diuisio est. Quædam fiunt propter finẽ, vt deambulatio propter sanitatem: quædam verò non fiunt propter aliquem finem, vt tricatio barbæ, vel leuatio festucæ â terra.

Tertia diuisio: ex his quæ fiunt propter finem: quædam fiunt per ele-

electionē, vt actiones humanæ; v. g. actus virtutis, quædam autem fiunt sine electione, vt operationes brutorum animantium.

Quarta diuisio est. Causæ in causam per se, & per accidens.

Hoc posito sic diffinitur fortuna: *Causa per accidens in his, quæ fiunt propter finem cum electione, & raro eueniunt.* Docet præterea Arist. fortunam dici *in certam, & indefinitam*, cum sit causa per accidens ad nullum particularem effectum determinata. Dicitur etiam, *ignota hominibus, & cæca*, quia agens non intendebat talem effectum producere. Dicitur; *volubilis, & variabilis*, propter eius inconstantiā. Dicitur denique, bona, vel mala, prospera, vel aduersa, secundum diuersitatem effectuum.

CAPVT SEXTVM.

CASSVM, ET FORTVNAM *distingui.*

DOcet in hoc capite Arist. casum, & fortunam habere se sicut superius; & inferius, omnis enim fortuna est casus, non tamen è contra. Cassus enim, sic diffinitur: *Causa per accidens in his, quæ fiunt propter finem, & raro eueniunt*, addit enim fortuna super casum, hoc, quod est esse in his, quæ fiunt cum electione, vnde in brutis animantibus, & in rebus non viuentibus, nec sentientibus, quę quidem carent electione, cassus reperiri potest; non tamen fortuna, neque enim propriè loquendo fortunata, vel infortunata dici possunt. Concludit hoc caput Arist. dicens *fortunam, & cassum ad causam efficientem reduci.*

CAPVT SEPTIMVM.

PHYSICAM PER OMNES *causas demonstrare.*

PRobat iterum Arist. initio huius capitis, quod probauerat cap. 3. videlicet quatuor esse causarum genera, cuius rationem adducemus infra. Hoc autem supposito, probat Physicam per omnes causas, demonstrare:

strare; nam Physici est considerare res naturales, & quantum adesse, & quantum ad fieri ipsarum; sed res naturales quantum adesse pendent à materia, & forma, quæ sunt partes componentes, at verò quantum ad fieri dependent à causa efficiente, & finali; nam res naturalis fit ab agente naturali propter aliquem finẽ. ergo Physicus quatuor causarum genera considerat, & per omnia illa demonstrat.

In reliquo cap. duo docet. Primũ est, interdum eidem rei cõuenire esse causam finalem, formalem, & efficientem; v. g. eadem forma rei genitę est finis respectu generantis, cum sit terminus ad quem generationis, & est causa formalis respectu materiæ, quam informat, & est causa efficiens cum sit principium operandi, est enim eiusdem speciei, cum causa efficiente aqua fuit producta, videlicet cum forma generantis.

Docet secundo. Ad Physicum pertinere agere de causis efficientibus, quæ mouent, vel mouẽtur motu Physico, vnde non spectat ad Physicum disputare tanquam de partibus subiectiuis de Deo, vel de Angelis; quia nec Deus, nec Angeli habent in se principium motus Physici.

CAPVT OCTAVVM.

NATVRAM AGERE PROPter finem.

IN hoc cap. hanc conclusionem proponit Arist. Natura operatur propter aliquem finem: Probatur primo; quæ fiunt â natura, non fiunt temere, & casu: ergo fiunt propter aliquem finem: Probatur antecedens; nam, quæ fiunt â natura semper, vel saltim, vt in plurimum, ita eueniunt; quæ verò fiunt fortuitu, & casu raro contingunt: ergo, quæ fiunt â natura non fiunt casu, & fortuito.

Secundo probatur. Ars, vel perficit, vel imitatur naturam; sed ars semper agit propter finem: ergo etiam natura.

Tertio probatur: Bruta animantia, & plantæ, quæ quidem sola natura duce operantur agunt propter finem: ergo natura operatur propter finem. Antecedens constat inductiue, araneę enim texunt telas ad venandum muscas, quibus vescantur; formicæ congregant escas, vt comedant hieme, aues nidos construunt, vt pullos nutriant; plantæ etiam radices emittunt, vt â terra alimentum trahant; tum etiam ramos, & folia producunt, vt fructus conseruentur: ergo bruta, & plantæ agunt propter finem.

Quarto probatur: Materia prima, quæ

quæ vere est natura disponitur, & præparatur ab agente naturali ad recipiendam formam, quæ est finis generationis: ergo natura agit propter finem.

Quinto probatur: Quando fiunt, & producuntur monstra, errat natura, & recedit à fine, quem intendebat: ergo signum est, quod natura propter finem operatur.

Sexto probatur: Natura in suis operationibus, certo quoddam, & determinato ordine procedit: ergo agit propter finem; Probatur antecedens; nam in generatione hominis v. g. certus ordo seruatur, & natura ab imperfecto ad perfectum procedit, nam ex corpore inanimato fit corpus animatum, postea efficitur embrio, & tandem homo.

Septimo probatur: Si natura ageret incerte, & non determinando sibi aliquem finem, quodlibet posset fieri, ex quolibet; v. g. ex semine hominis, leo, vel, è conuerso, quod est absurdum.

Dices: Non omnis natura deliberat, vt constat de natura brutorum, & etiam in rebus inanimatis, quæ sine deliberatione operantur: ergo non omnis natura agit propter finem.

Negat Arist. consequentiã, nã etiam in artibus, non reperitur deliberatio, sutor enim v. g. non deliberat ex qua materia sunt conficienda calceamenta, & tamen omnes artes agunt propter finem.

CAPVT NONVM.

QVALIS SIT NECESSITAS IN *rebus naturalibus.*

EX hoc, quod natura semper agit propter finem videtur fieri consequens, omnia fieri ex necessitate finis, & ob hanc causam explicat Arist. in hoc capite, qua necessitate fiant ea, quæ in natura contingunt, videlicet vnde proueniat, quod ignis, aqua, & alia agentia naturalia semper eodem modo operentur.

Duplex igitur est necessitas: Alia est absoluta, quæ prouenit à principijs intrinsecis alicuius rei, & non ab aliquo extrinseco, qua ratione, est absolute necessarium, quod homo sit corruptibilis, & risibilis; nam vtrumque prouenit ab intrinseco: Primum ratione materiæ: Secundum verò ratione formæ: alia est necessitas conditionalis, seu ex suppositione, quæ attenditur per ordinem ad aliquem finem, & hac ratione dicitur necessarius equs, suppositio, quod aliquis equitare velit. Antiqui igitur Philosophi solam necessitatem absolutam, quæ à materia desumitur in rebus naturalibus concedebant,

con-

contra quos hanc conclusionem statuit Philosophus.

Prima conclusio : Tam in naturalibus, quam in arte factis necessitas principaliter desumitur â fine. Probatur ; nam quamuis materia sit necessaria, hæc tamen necessitas ad finis necessitatem ordinatut : Si enim quæras quare necesse est, quod serra sit ferrea ? Rationem reddes ex parte materiæ dicens : Proinde serram esse ferream ; quia dentes duros habere debet : Si autem, & eius rei causam quæsieris, ex parte finis erit occurrendum : Proinde enim serra dentes duros habere debet; quia ad ligna scindenda, tanquam ad proprium finem ordinatur : ergo de primo, ad vltimum principalis causa alicuius rei necessitatis desumenda erit â fine.

Secunda conclusio : Physica magis considerat finem, quam materiã. Probatur; nam præstantissimum principium rerum naturalium, quod â Physico consideratur est forma; sed forma est finis generationis : ergo Physicus maxime considerat finem.

DISPV-

DISPVTATIO DE CAVSIS IN COMMVNI.

Disputatio de causis maxime pertinet ad Physicum, vt docet Arist. cap. 5. huius libri: Physicus enim per quatuor genera causarum procedit, & demonstrat, vt cap. 7. ostensum est: Duæ igitur erunt disputationes de causis: Prima, de causis in communi: Secunda verò de caasis in particulari; videlicet de vnoquoque genere causarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit causa in communi?

Non quærimus in hac disputatione, an dentur causæ, experientia enim, & communi modo loquendi comprobatur, quam plures dari causa. Relicta igitur quæstione an sit; inuestigamus in præsenti; quid sit causa. Pro cuius explicatione.

Obseruandum est: Causam dupliciter vsurpari; primo impropriè, pro omni eo à quo aliquid quomodocumque procedit, & sic conuertitur cum principio, vt dicitur 4. Metaph. cap. 2 principium enim, vt docet D. Tho. 1. p. q. 33. art. 1. diffinitur, id à quo aliquid quomodocumque procedit. Secundo vsurpatur causa propriè, & in rigore, qua ratione, vt docet D. Tho. loco citato, causa addit supra rationem principij diuersitatem substantiæ, idest essentiæ, causa enim, & effectus essen-

essentialiter distinguuntur, & addit etiam dependentiam realem effectus à causa, de causa impropriè sumpta loquebatur Arist. quando 21. Metaph. cap. 2. *priuationem vocauit causam*, & D. August. 33. q. q. 16. vbi dicit, *quod Pater Diuinus est causa suæ sapientiæ*, nos autem in hac, & sequentibus quæstionibus solum loquimur de causa propriè sumpta.

Sit conclusio: Causa in communi sic potest diffiniri, *id ad quod aliquid sequitur*; seu, *id ad cuius esse aliud sequitur*: Ita D. Tho. 2. Physicorum, lect. 10. & D. Bonauentura in 1. dist. 20. art. 2. q. 2. & alij Doctores: In prima particula, *id*, subintelligitur principium, quod est genus in prædicta diffinitione. Secunda particula, videlicet *ad cuius esse* denotat, causam semper habere aliquod esse, vel reale, vt materia, forma, & efficiens, vel saltim aprehensum ab intellectu, vt finis: Tertia particula nempe, *aliud*, diuersitatem essentiæ inter effectum designat, vt optime explicat D. Bonauentura; nam ille terminus *aliud* distinctionem essentialem importat. Hinc dixit Porfirius capite de differentia: *Solam differentiam maxime propriam facere aliud, quia sola ipsa facit differre essentialiter* hinc etiam D. Tho. 1. p. q. 31. art. 2. concedit cum D. August. Pater Diuinus est alius à Filio, quia dictio, *alicuius* solum dicit distinctionem personarum, aliud verò dicit distinctionem essentiæ, quæ in diuinis non [illegible] cum omnes tres personæ sint vnius essentiæ, & naturæ.

Vltima tandem particula est, *sequitur*, circa quam obseruandum est duplicem esse sequelam: Alia est Physica, & alia Logica. Sequela Physica est, quando vnum sequitur ad esse alterius, & hæc sequela subdiuiditur, vel enim aliquid sequitur ad esse alterius, ita, vt ab ipso ad quod sequitur recipiat influxum, ab eoque dependeat, qua ratione risibilitas sequitur ad rationalitatem: Vel sequitur ad esse alterius: Ita tamen, vt non recipiat influxum ab ipso, neque ab eo dependeat, qua ratione ad esse instantis primi, sequitur hora. Sequela Logica est, qua vnum ex alio infertur per bonam argumentationem, vt si dicas, Petrus est homo: ergo est animal. Animal sequitur ad hominem, sequela Logica: In diffinitione causæ, de sequela Physica, quæ in fluxum, & dependentiam dicit fit termo.

Integer: ergo sensus diffinitionis hic erit: Causa *est principium ad cuius esse, siue reale, siue apprehensum aliud, id est effectus essentialiter distinctus, sequitur sequela Physica dependentia.* Hæc diffinitio sic ex posita de omnibus causis verificatur: Omnesque leges diffinitionis obseruat: Potest etiam causa sic aliter diffiniri: *principium influens in effectum.*

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ad esse vnius relati, sequitur correlatum, v. g.

adesse filij sequitur Pater; sed vnum relatum non semper est causa correlati, non enim filius est causa Patris, nec seruus est causa Domini: ergo prædicta diffinitio conuenit alijs à diffinito.

Respondetur distinguendo maiorem: Si enim intelligatur de sequela Logica, vera est, bene enim valet; datur Filius: ergo datur Pater; non autem est vera, de sequela Physica, quę dependentiam dicit, non enim Pater à Filio dependet, vel Dominus à seruo.

Secundum argumentum: Ad esse principij sequitur aliud, videlicet principiatum, & tamen non omne principium est causa, vt lib. præcedenti ostensum est: ergo male diffinitur causa.

Respondetur negãdo absolute maiorem; nam Pater in diuinis est principium, Spiritus Sancti; & tamen neque Filius est aliud à Patre, & Filius; & similiter, nec Filius, nec Spiritus Sanctus dicuntur principiati, vt docet D. Tho. 1. p. q. 33. ad. 2.

Respondetur secundo, distinguendo maiorem: Quamuis enim vera esse possit de sequela Logica, vel etiam de sequela Physica, quæ dependentiam non dicit, non tamen de sequela Physica, quæ dependentiam importat, de qua solum loquimur in diffinitione causæ.

Tertium argumentum: Causa, & effectus sunt relata; sed vnum relatum non sequitur ad alterum, cũ relata sint simul tẽpore, & natura: ergo ad esse causæ non sequitur effectus.

Respondetur distinguendo consequentiam: Causa enim, & effectus dupliciter considerari possunt: primo, vt relata sunt formaliter, & hac ratione sunt simul natura: secundo vsurpantur formaliter, vt causa, & effectus, & hac ratione non sunt simul, sed semper causa est prior, quam effectus, vel prioritate temporis, vel saltim prioritate naturæ, & dependentiæ, vt dicemus, q. 5.

QVAESTIO II

Vtrum genera causarum sint quatuor tantùm?

Sit conclusio: Quatuor sunt causarum genera; nec plura, nec pauciora, videlicet causa materialis, formalis, efficiens, & finalis. Communis est conclusio inter omnes Philosophos, quam habet expresse Arist. cap. 3 huius libri; vbi omnes alias causas ad illas quatuor reuocat, quod, & nos præstitimus in solutione quarti, & sequentium argumentorum. Idem docet cap. 7. vbi hac ratione probat nostram conclusionem: Interrogatio est, alicuius causæ inquisitio, id circo enim interrogamus, vt sciamus, scire autem, est semper causam cognoscere; sed quatuor solum possunt interrogari de aliqua re: ergo solum dabuntur quatuor genera causarum. Probatur minor; nam de aliqua re inuestigamus ex quo fit, per quid fit, à quo fit, & propter quid fit, & nihil amplius interrogandum remanet: ergo quatuor tantum dantur interrogationes;

nes. Quarum prima, faciens fatis per materiam. Secunda, per formam. Tertia, per causam efficientem; & quarta, per causam finalem; v. g. leo fit ex materia prima, quæ generationi præsupponitur; fit per formam, quæ est anima leonis dans esse intime leoni; fit â leone generante; & propter aliquem finem, videlicet, vt species leonis conseruetur.

Secundo probatur conclusio: Quod generatur reducitur de potentia ad actum ab agente naturali operante propter finem; sed esse in potentia, est à materia, esse in actu est à forma, agens naturale est causa efficiens, & denique finis idem est, quod causa finalis: ergo tantum quatuor sunt causæ entis naturalis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum probat causas esse pauciores, quam quatuor. Illud dicitur causa, quod aliquid efficit, & hinc est, quod id, quod â causa procedit effectus appellatur; sed sola causa efficiens dicitur proprié efficere: ergo sola causa efficiens est proprié causa: ergo solum datur vnum genus causæ.

Respondetur negando minorem; nam, vt sepius docet D. Tho. aliud est â quo nomen imponitur, & aliud quod nomen significat, vt lapis dicitur â lædendo pedē, & tamen non solum significat id quod pedes lædit, vt de se constat: similiter ergo hoc nomen efficere, iuxta primam vocabuli impositionem, solum conuenit causæ efficienti; vsu tamen Philosophorum effectum est, vt efficere, idem significet, quod influere, vnde omnis causa efficere dicitur, cum omnis causa influat in effectum, & in hoc sensu dixit D. Augustinus lib. 83. q. 28. *quod omnis causa, efficiens est.*

Secundum argumentum. Causa adæquate diuiditur in intrinsecam, & extrinsecam: ergo solum dabuntur duo genera causarum.

Respondetur negando consequentiam: Solum enim infertur, diuisionem causæ in quatuor genera, non esse immediatam, cum causa immediatius diuidatur in intrinsecam, & extrinsecam, & post modum, intrinseca subdiuidiatur in materiā, & formam, extrinseca verò, in efficientem, & finalem: Iam verò ad rationem optimę diuisionis, non requiritur, quod sit in membra diuidentia immediata, alioquin male diuideretur ens in decem prædicamenta, cum immediatius diuidatur in ens reale, & rationis, seu in ens finitum, & infinitum.

Tertium argumentum: Causare idem est, quod agere; sed materia prima non potest aliquid agere: ergo materia prima, non potest aliquid causare: Minor constat ex dictis libro præcedenti, vbi probauimus, quod materia prima non est principium agendi.

Confirmatur. Causa est ad cuius esse aliud sequitur; sed materia prima nullum habet esse: ergo non est causa.

Respondetur cum Magistro Soto

negando maiorem, causare enim, prout à Philosophis vsurpatur, est quid superius ad agere, & latius patet; nam agere solum conuenit causæ efficienti, causare verò conuenit materiæ, formæ, & fini.

Ad confirmationem; Respondetur negando consequentiam; nam materia prima secundum se habet esse in potentia, & hoc esse sufficit ad causalitatem materialem; quemadmodum esse apprehensum sufficit ad causalitatem finis.

His adde: quod materia prima non exercet suam causalitatem, quin sit coniuncta cum forma, materia autem cum forma iam est in actu.

Quartum argumentum probat causas esse plures quam quatuor: Exemplar, seu idea existens in mente artificis vere, & propriè est causa; & tamen non est ex quatuor: ergo dantur plures.

Respondetur negando minorem; Idea enim, & exemplar reducuntur ad aliquam ex quatuor causis. Pro cuius intelligentia sciendum est, quod exemplar, seu idea sic diffinitur: *forma obiecta intellectui intra ipsum existens, ad quam artifex respiciens operatur*; v. g. Imago, & similitudo D. Petri in intellectu Pictoris existēs dicitur idea, seu exemplar, ad cuius imitationem Pictor confingit exteriorem D. Petri imaginem. Ideæ igitur, & exemplar considerari possunt, vel in ordine ad intellectum, quem perficiunt, & cui inhærent, vel in ordine ad opus externum, quod ad eius imitationem efficitur: si primo modo concludetur habēt rationem causę formalis, determinant enim mentem artificis, quæ ex natura sua est indifferens ad plura, & quæmadmodum forma rei genitæ assimilatur formæ generantis: ita res artefacta assimilatur ideæ in mente artificis existēti. Hinc Arist. 2. Metaphysi. cap. 2. & etiam in hoc libro, secundum genus causæ vocat formam, seu exemplar. Si verò consideretur idea in ordine ad opus productum habet rationem causæ efficientis, quod insinuauit D. Tho. 1. p. q. 15. art. vlt. dicens, quod *idea, seu exemplar est principium factionis rerum, & ad practicam cognitionem refertur.*

Quintum argumentum: Obiectum respectu potentiæ, vel scientiæ verè, & propriè est causa, eam enim specificat, & constituit: ergo dantur plures causæ, quam quatuor.

Respondetur negando consequentiam: obiectum enim respectu potentiæ, vel scientiæ habet rationem causæ formalis extrinsecæ ipsam potentiam, vel scientiam constituentis. Potest etiam dici causa efficiens in quantum mouet potentiam, vel scientiam ad sui cognitionem. Possumus etiam negare antecedens, nam specificare, & constituere extrinsece potest fieri, quemadmodum vnum relatum specificat, & constituit extrinsece suum correlatum, & tamen certum est vnum relatum formaliter sumptum, non esse causam alterius.

Sextum argumentum: instrumenta propriè causant, v. g. serra, qua vti

tur

tur faber lignarius proprié dicitur causa scamni confecti : ergo causæ plures sunt quam quatuor.

Respondetur negando consequentiam instrumenta enim reducuntur ad causam efficientem, habent enim virtutem productiuam effectus sibi proprium, & etiam à causa præcipua communicatam: v. g. serra habet virtutem ad scindendum, debet autem applicari, & assumi ab artifice.

Septimum argumentum: Absentia gubernatoris nauis est causa, quare subuertatur, & pereat nauis, vt docet Arist. cap. 3 & tamen non est aliqua ex quatuor assignatis : ergo dantur plures.

Respondetur negando minorem: cum enim omnis priuatio reducatur ad genus formæ, quam priuat, & nauta, seu gubernator nauis, sit causa efficiens incolumitatis nauis ; hinc fit, quod absentia eius erit causa efficiens subuersionis nauis : causa in quam nō positiua, & per se, sed negatiua, & per accidens, ad quam non requiritur actualis existentia, vel actualis influxus.

Octauum argumentum: Qui præcipit, vel qui orat, vel qui suadet aliquid alicui, est causa illius rei, quæ propter eius præceptum, orationem, vel suasionem efficitur : ergo dantur plures causæ, præter quatuor assignatas.

Respondetur, negando consequentiam: Duplex enim est causa efficiens: alia Physica, quæ per motum Physicum, & naturalem causat, & attingit effectum: v. g. ignis est causa Physica caloris producti in aqua per calefactionem, quæ est actio Physica: alia est causa efficiens moralis, quæ non producit Physice effectum, inducit tamen ad eum producendum, vel præcipiendo, vel orando, vel suadendo, qui ergo præcipit, &c. dicitur causa efficiens moralis effectus subsecuti, quæ quidē causa, ad causam efficientem Physicam reuocatur.

Nonum argumentum : Prædicta diuisio causæ non est vniuoca, neque analoga: ergo est vitiosa.

Respondetur negando antecedēs: Est enim analoga analogia proportionalitatis; quia ratio causæ includitur essentialiter in vltimis differentijs suorum inferiorū, materia enim, vt distinguitur à forma est causa, & idem de alijs causis dicendum est, quę etiam in ratione causæ essentialiter distinguntur inter se, vt constabit, ex disputatione sequenti.

QVAESTIO III.

Vtrum plures causæ possint simul eundem effectum causare?

OBseruandum est: causam vt ad præsens attinet instituram multipliciter diuidi. Primo, in causam per se, qua ratione statuaries est causa statuæ, & in causam per accidens, qua ratione Musicus potest dici causa domus si ædificator Musicus sit. Secundo diuiditur causa in principalem, quæ propria virtute operatur, vt ignis respectu combustionis, & in instrumentalem, quæ catenus causat,

qua-

quatenus â causa præcipua applicatur, est enim id quo vtitur causa præcipua ad effectum producendũ; v. g. serra est causa istrumentalis conficiendi scamnũ. Tertio diuiduntur causæ in causas eiusdem generis huiusmodi sunt, quæ sub eodem genere continentur; v. g. omnes causæ materiales, & in causas diuersi generis, vt forma, & efficiens. Quarto diuiduntur causæ eiusdem generis in subordinatas, quarum vna in suis operationibus dependet ab altera vt homo â sole, Sol â Cœlo, Cœlum ab Angelo, & Angelus à Deo, & in causas non subordinatas, quarum vna, ab âlia non dependet, vt homo, & leo. Quinto diuiditur causa in totalem, quæ se sola, idest sine alia eiusdem generis, & æqualis subordinationis totum effectum producit, vt ignis calefactionem, & calorem, & in causam partialem, quæ non producit se sola aliquem effectum, sed simul cũ alia, vel aliis causis eiusdem generis, & æqualis subordinationis; v. g. quando plures homines trahunt nauim vnusquisque illorum dicitur causa partialis illius motus nauis.

Prima conclusio. Naturaliter loquendo est impossibile, quod idem numero effectus producatur à duabus, vel pluribus causis per se principalibus eiusdem generis non subordinatis, & totalibus, ita Ferrariensis, Capreolus, Caietanus, Soncinas, Medina, & quam plures alij. Ratione probatur, frustra adduntur plura, vbi pauciora sufficiunt, sed ad producendum vnum numero effectum, sufficit vna causa per se principalis, & totalis: ergo non requiritur altera; iam verò natura quemadmodum dum in rebus necessarijs non defficit, ita nihil superfluum operatur: ergo vera est conclusio.

Secunda conclusio; etiam supernaturaliter loquendo est impossibile, quod idem numero effectus producatur à duabus, vel pluribus causis per se principalibus, eiusdem generis non subordinatis, & totalibus. Hanc conclusionem habent qui præcedentem. Ratione probatur, quod implicat, contradictionem nequit fieri diuina virtute; sed implicat contradictionem eundem numero effectum produci â duabus, vel pluribus causis totalibus, & non subordinatis: ergo neque supernaturaliter hoc fieri potest: Probatur minor; si idem effectus simul produceretur â duabus causis totalibus non subordinatis, ab vnaquaque causarum dependeret, & non dependeret; sed hoc implicat contradictionem, vt constat; ergo vera est minor; sequela maioris probatur; nam vnaqueque illarum causarum secundum se esset causa totalis per se, & principalis illius effectus producti; sed effectus essentialiter dependet â causa totali, & per se: ergo talis effectus essentialiter dependeret ab vnaquaque illarum causarum: Præterea effectus, qui absque aliqua causa producibilis est, non dependet essentialiter ab ea; sed talis effectus posset produci sine vnaquaque ex illis causis: ergo talis effectus non dependet essentialiter ab vnaquaque

causarum. Probatur minor ; nam quælibet ex illis causis est totalis, vt supponimus : ergo quælibet sine alia posset effectum producere.

Confirmatur hæc ratio ; si enim plures causæ totales eiusdem subordinationis eundem effectum producerent, quælibet illarum esset totalis, & non esset totalis ; sed hoc est manifesta implicatio : ergo non est factibile à Deo. Probatur sequela maioris ; nam in primis, quælibet esset totalis, vt supponimus. Deinde non esset totalis, nam causa totalis appellatur, quæ producit effectum sine consortio alterius causæ eiusdem generis, & æqualis subordinationis: Quælibet autem illarum causarum produceret effectum, cum consortio alterius causæ eiusdem generis, & subordinationis: ergo neutra illarum esset totalis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Arist. cap. 3. expresse affirmat, quod eiusdem effectus possunt esse plures causæ per se : ergo nostræ conclusiones Arist. aduersantur.

Respondetur, Arist. locutum fuisse de causis per se diuersi generis, vt constat manifeste in exemplo adducto ab ipso.

Secundum argumentum. Duo corpora luminosa æqualis magnitudinis, & lucis, equaliterque aproximata alicui corpori transparenti : v. g, ampullæ vitreæ plenæ aquæ, producunt eandem numero illuminationem passiuam, existentem in ampulla : ergo plures causæ æqualis subordinationis, & totales possunt simul eundem effectum producere.

Respondetur negando consequentiam, in hoc enim casu, illa duo corpora luminosa sunt duæ causæ partiales facientes vnam causam totalem, cui effectus correspondent : Hinc est quod illa illuminatio passiua, quæ tunc temporis reperitur in ampulla, maior est quam si ab vno solum corpore luminoso causaretur, vt experientia comprobari potest.

Tertium argumentum. Contingit duos homines portare eundem lapidem, quem vterque homo solus deferre poterat : ergo vnus numero effectus producitur à duabus causis totalibus,

Respondetur similiter negando consequentiam, quamuis enim vnusquisque illorum duorum hominum possit absolute esse causa totalis ferens lapidem, cum vnusquisque habeat sufficientem virtutem, quia tamen in casu argumenti non applicat vterque suam virtutem, proinde vnusquisque dicitur causa partialis, ambo tamen faciunt vnam causam totalem : Hinc est, quod vnusquisque illorum hominum portantium lapidem, minus fatigatur, quam si solus lapidem deferret, signum igitur est, quod non applicat tantam virtutem, quantam applicaret si solus deferret.

Quartum argumentum. Plures homines possunt simul eundem infantem baptizare, esetque vnusquisque

que causa totalis illius baptismi, si simul proferrent verba, quæ sunt forma Sacramenti Baptismi: ergo idem numero effectus potest simul produci à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & non subordinatis. Idem argumentum fieri potest de pluribus Sacerdotibus Consecrantibus simul eandem Hostiam in susceptione Sacerdotij.

Respondetur, quod plures Ministri Baptizantes eundem puerum, & plures Sacerdotes Consecrantes eandem Hostiam, sunt causæ instrumentariæ effectus producti; nam causa principalis Sacramentorum est Christus Dominus: Iam verò Doctrina huius quæstionis de causis principalibus intelligenda est.

QVAESTIO IV.

Vtrum idem numero effectus possit indifferenter ab hac, & illa causa produci?

QVæstio ista est longe diuersa à præcedenti, in præsenti enim quæritur, an quilibet effectus possit à qualibet causa produci, an verò vnusquisque effectus ita sibi determinet specialem causam, non solum in specie, sed etiam in individuo, vt non possit, nec potuerit ab alia causa produci? v. g. vtrum hic numero calor productus ab hoc numero igne possit, vel potuerit produci ab alio igne?

Sit conclusio: Vnus numero effectus ita dependet ab hoc numero causa totali à qua producitur, vt non possit, nec potuerit à causa eiusdem generis, & æqualis subordinationis produci: ita D. Tho. 5. Metaph. cap. 2. & col. 6 art. 8. Capreolus, Soto, Soncinas, Ferrariensis, & alij. Ratione probatur, effectui determinato debet correspondere determinata causa, vt docet Arist. tex. 38. huius libri, & 5. Metaph. tex. 2. ergo hic numero calor v. g. ita producitur ab hoc numero igne, vt ab alio igne produci non possit, nec potuerit: Consequentia est euidens; nam determinatio excludit indifferentiam: ergo si effectus determinatus postulat determinatam causam, non poterit produci indifferenter ab hac, vel illa.

Secundo probatur conclusio: Quilibet effectus per se, & essentialiter dependet à sua causa per se, & totali: ergo quilibet effectus habet causam determinatam à qua dependet: consequentia est euidens; nam essentia alicuius rei non potest esse indifferens; quamuis itaque calor in communi consideratus, non postulet hanc causam numero, cum possit produci à Sole, & ab hoc, vel illo igne, & etiam per motum (motus enim est causa caloris) attamen hic numero calor hic, & nunc productus, solum potuit ab hoc numero igne produci.

Dixi in conclusione ab alia causa eiusdem generis, & æqualis subordinationis; nam à causis diuersi generis, & inæqualis subordinationis bene potest causari idem numero effectus,

& cau-

& causatur de facto, vt constat ex quæstione præcedenti.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Si hic numero calor in hac aqua productus non potuit produci, nisi ab hoc numero igne, sequitur, quod inter indiuidua alicuius speciei, v. g. inter omnes calores, reperitur essentialis ordo; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Minor constat; nam vt ait Arist. 2. Metaph. tex. 5. *in rebus essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum*; sed indiuidua alicuius speciei possunt in infinitū procedere, cum non sit certus eorum numerus: ergo indiuidua alicuius speciei nō sunt essentialiter ordinata. Sequela verò probatur; nam tunc inter causam, & effectum reperitur essentialis ordo, quando effectus non potest produci, nisi à tali causa.

Respondetur negando absolute maiorem, ad hoc enim, vt inter indiuidua alicuius speciei reperiatur essentialis ordo, non sufficit, quod vnum necessario producatur ab altero, sed requirebatur, quod ipsa indiuidua interse haberent mutuam dependentiam, & subordinationem in suis operationib⁹, qua ratione reperitur essentialis ordo, inter Angelum mouentem Cœlos, & Cœlos ipsos, & inter Solem, & inferiora agentia; nam agentia inferiora, & sublunaria in sui causatione dependent à Sole, à quo recipiunt influxum, Sol â Cœlo, ad cuius motum mouetur, Cœlum ab Angelo à quo mouetur, & tandem Angelus à Deo, à quo habet virtutem operatiuam; hæc autem mutua dependentia, & subordinatio non reperitur inter indiuidua alicuius speciei; nam Filius in suis operationibus non depēdet a Patre, neque Pater ab Auo, vt iam supra ostensum est.

Respondetur secundo, negādo minorem, probationi etiam negatur minor: indiuidua enim cuiuslibet speciei non procedunt in infinitum, sunt enim actu finita secūdum numerum, & implicat contradictionem, quod sint infinita, vt dicemus libro sequenti.

Secundum argumentum. Idem numero effectus potest indifferenter ab hac, vel illa causa corrūpi, & destrui: ergo etiam generari, & produci.

Respondetur negando consequentiam: Et ratio discriminis est; quia per generationem, seu productionem, confertur rei genitę, seu productæ, aliqua determinata entitas, per corruptionē verō, & destructionē, non confertur, sed auferetur potius, manifestū est autem quod non omnia, quę possunt auferre esse, possunt dare esse: homo enim v. g. est corruptibilis, & potest destrui ab igne, ab aqua, a ferro, &c. & tamen non est generabilis ab alia causa sublunari, præter quam ab alio homine.

Tertium argumentum. Maior virtus requiritur ad conseruandum aliquem effectum, quam ad ipsum producendum, homo enim producit hominem, quem tamen conseruare non potest; sed vnus numero effectus po-

test indifferenter ab hac, vel illa causa conseruari: ergo etiam produci. Minor constat; nam calor existens in aqua, & causatus ab hoc numero igne, potest indifferenter ab hoc, vel illo igne indifferenter conseruari.

Respondetur negando maiorem; nam Deus Op. Max. eadem numero virtute creaturas producit, & conseruat; Tum etiam maioris actiuitatis est homo respectu alterius hominis, quam cibus respectu alterius hominis; & tamen homo potest alterum hominem producere, non verò conseruare, cibus autem hominem conseruat.

Respondetur secundo, negando consequentiam; nam in conseruatione, non tribuitur nouum esse, sed esse præexistens conseruatur: *In* productione autem alicuius rei semper nouum esse confertur, & hinc est, quod non sufficiunt ad producendum, quæ ad conseruandum sufficiunt.

QVAESTIO VLTIMA.

In qua aliquæ difficultates breuiter explicantur.

PRima est: Vtrum omnis causa sit nobilior, & præstantior suo effectu?

Respondetur; quod causa principalis formaliter considerata in ratione causæ, & vt est influens, & causans effectum, est nobilior, & præstantior suo effectu in ratione effectus considerato. Ita D. Tho. Caietanus, & Ferrariensis, & alij. Ratione probatur; dependentia imperfectionem dicit, independentia verò perfectionem includit; sed causa in ratione causæ formaliter, & duplicando, à nullo dependet, vel saltim non dependet ab effectu, effectus autem in ratione effectus necessario dependet à causa: ergo omnis causa est absolute nobilior suo effectu.

Dixi, *causa in ratione causæ, & effectus in ratione effectus*; nam si considerētur materialiter, & in ratione entis, videlicet pro re, quæ est causa, & pro re, quæ est effectus, multoties contingit effectum esse præstantiorem, quam causam, Sol enim est causa omnium viuentium sublunarium, & tamen, quodlibet viuens est simpliciter, & essentialiter perfectius, quam Sol; nam Sol solum habet esse, viuens autem habet esse, & viuere. Tum etiam materia prima est causa totius compositi; & tamen certissimum est, quod totum compositum non est quid ignobilius, sed potius nobilius, quam materia prima; cum illa sit omnibus substantijs ignobilios: Dixi etiam *causa præcipua*, nam causa instrumentaria ignobilior est effectu producto, vt docet D. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 1. a. 3. & potest probari industriue, serra enim est ignobilior quam arca, & calor est minus perfectus quam ignis, existimo tamen, quod si instrumentum consideretur formaliter, vt causa instrumētalis est, nobilius est effectu, quia secundum illam rationem est independens ab effectu, effectus verò dependet ab ipso.

Se-

Secunda difficultas est: Vtrum causa, & effectus sint simul?

Non loquimur de causa, & effectu materialiter, & entitatiue sūptis, videlicet pro re, quæ est causa, & pro re, quæ est effectus; certum enim est, quod multoties res, quæ est causa, præcedit tēpore rem, quæ est effectus, vt arbor, fructum: & architectus domū. Nec loquimur de causa, & effectu, vt relata sunt formaliter; nā vt sic sunt simul tempore, & natura. Solum itaque loquimur de causa, vt causa est formaliter, quatenus videlicet per influxum, & causalitatem constituitur in esse causæ, & similiter de effectu, vt effectus est formaliter: Quo posito.

Dico: causa, & effectus non sunt simul, imò potius omnis causa est prior suo effectu, prioritate naturæ, & dependentiæ. Probatur ex diffinitione causæ: causa enim, est id ad quod aliud sequitur sequela Physica; sed quod sequitur ad alterum, est posterius ipso: ergo effectus est posterior, quam causa: ergo causa prior est, quam effectus: ergo non sunt simul. Dixi *prioritate naturæ*; nam si sermo fiat de prioritate temporis, causa non est prior suo effectu, imo potius causa, & effectus sunt simul, in quo sensu, dixit Arist. cap. 3. *quod effectui in actu correspondet causa in actu, & effectui in potentia, causa in potentia.* Hinc etiam ortum habuit commune Philosophorum dictū, *posita causa ponitur effectus.*

Tertia difficultas est: Vtrum causæ sint sibi inuicem causæ.

Respondetur cum Arist. cap. 3. quod causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere causæ; v. g. deambulatio est causa efficiens sanitatis, & sanitas est finis deambulationis, & similiter demonstratio est causa efficiens scientiæ; scientia verò est causa finalis demonstrationis. Pari ratione, artifex est causa efficiens calceamenti, & calceamentum est finis artificis: ergo causa efficiens, & finalis sunt sibi inuicem causæ. Insuper materia prima est causa formæ, quatenus formam sustentat, & forma est causa formalis materiæ, in quantum materiam informat: ergo causæ sunt sibi inuicem causæ, in diuerso genere causæ.

Obijcies: Quod est causa causæ, est causa causati: v. g. quod est causa ignis est etiam causa splendoris, qui causatur ab igne: ergo si causa efficiens v. g. est causa finis, & finis est causa efficientis, idem erit causa sui ipsius, quodquidem absurdissimum est: v. g. si deambulatio est causa valetudinis, etiam erit causa illius rei, quæ causatur â valetudine, & ex consequenti si valetudo est causa deambulationis, & ambulatio erit causa de ambulationis.

Respondetur; quod illud axioma positum in antecedenti intelligendum est, quando causatum procedit â causa eiusdem generis cum priori causa: v. g. generans lapidem est causa efficiens grauitatis lapidis, & quia grauitas lapidis est causa efficiens descensus lapidis: Hinc est, quod generans lapidem dicitur causa descensus lapidis; & similiter quia ignis est cau-

sa efficiens caloris existētis in aqua, & calor existens in aqua est causa efficiens calefactionis manus, dicimus, quod ignis est causa calefactionis, si autem causatum procedat in diuerso genere causæ, non est necesse, quod causa causæ sit causa causati, alioquin idem posset esse causa sui ipsius, vt probat argumentum.

DISPVTATIO DE CAVSIS IN PARTICVLARI.

QVESTIO PRIMA.

VTRVM CAVSALITAS MATERIÆ prima sit sustentare formam?

ANimaduertendum est; quod causalitas alicuius causæ nihil aliud est, quam concursus ille, seu influxus, quo vnaquæque causa in suo genere causat effectum, & quo constituitur causans in actu secundo. Distinguntur autem causalitas, & relatio, quam dicit causa ad effectum; nam relatio causæ supponit ipsam in actu secundo: Causalitas verò non supponit causam, sed potius ipsam formaliter constituit.

Prima conclusio. Propria causalitas materiæ est sustentare formam, ita vt forma quantum ad sui vnionem, & informationem actiuam dependeat a materia. Ita Soncinas, Labellus, Arriaga, Soto, Massius, & alii. Ratione probatur, nam materia, vt probauimus lib. præcedenti, est subie-

biectum formæ, & potentia passiua, ad formam recipiendam: ergo nihil erit magis conforme materiæ, quam recipere, & sustentare formam: ergo hoc erit eius causalitas.

Secundo probatur conclusio: Materia sustentando, & recipiendo formam, influit, & causat suum effectum: ergo hæc sustentatio erit eius causalitas: consequentia constat, ex obseruatione: Antecedens verò Probatur; nam sustentando formam, causat ipsam, & etiam totum compositum, quod ex tali materia, & forma resultat. Hæc conclusio non solum de materia prima, sed etiam de materia secunda, quæ est totum Physicum essentiale respectu formarum accidentalium intelligenda est.

Dixi in conclusione, *quantum ad sui vnionem, & informationem actiuam*, vt sic omnes formas, etiam animam rationalem includeremus: nam licet anima rationalis non dependeat à materia quantum ad suum fieri, & conseruari, dependet tamen, quantum ad actualem vnionem, & informationem; non enim est intelligibilis informatio actiua animæ rationalis, quin etiam intelligamus materiam primam passiue se habere eam sustentando.

Secunda conclusio. Non est admittenda alia causalitas in materia essentialiter distincta à causalitate præcedenti.

Probatur conclusio: causa, à causalitate, & influxu denominatur; sed materia solum est vna causa non solum materialiter, sed etiam formaliter, alioquin plura essent genera causarum, quam quatuor: ergo vnam solummodo causalitatem essentialem habet. Quamquam itaque materia prima suam causalitatem exerceat in ordine ad totum compositum, ipsum componendo: hæc tamen causalitas non est essentialiter diuersa à causalitate, qua sustentat formam, sed vna simplex causalitas, cum duplici habitudine, videlicet ad formam, & ad totum compositum; nam materia formam sustentando componit totum, & totum componendo sustentat formam.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ens in potentia, non potest esse causa entis in actu: ergo materia non est causa formæ.

Respondetur antecedens esse verum de causa efficiente, vel formali; falsum verò de causa materiali, ad hanc enim causalitatem sufficit esse ens in potentia, quemadmodum ad causam finalem sufficit habere esse apprehensum.

Secundum argumentum. In hoc differt materia ab efficiente, & fine, quod istæ sunt causæ extrinsecæ, materia verò est causa intrinseca; sed materia in ordine ad formam nō est causa intrinseca; non enim materia formam componit: ergo materia non exercet suam causalitatem in ordine ad formam.

Respondetur distinguendo minorem: dupliciter enim aliqua causa dicitur

citur ut intrinseca effectum : Primo quia ipsum effectum intime componit, & hac ratione dicitur materia prima causa intrinseca respectu totius Physici : Secundo dicitur causa intrinseca, quia est intime coniuncta, & vnita cum suo effectu, & hac ratione potest dici materia intrinseca respectu formæ, & forma respectu materiæ, propter maximam vnionem, quæ inter ipsas reperitur : His adde quod materia est pars intrinseca respectu totius compositi ergo, quod suam etiam exercet causalitatem, & in hoc distinguitur materia ab efficiente, & fine.

Tertium argumentum. Prius natura est, quod materia sit subiectum generationis, quam quod sustentet formam, cum forma sit generationis terminus : ergo prima causalitas materiæ erit esse subiectum generationis.

Respondetur negando consequentiam: Generatio enim, & forma peraliem generationem producta sunt eiusdem rationis: Ac per consequens eo ipso, quod materia prima exerceat suam causalitatem sustentando formam, etiam censetur subiectum generationis productiuæ talis formæ.

His adde, quod etiam generatio est quædam forma materiam actuãs, & determinans per modum transeuntis.

QVAESTIO II.

Vtrum causalitas causæ formalis sit in formare materiam?

PRima conclusio: Propria causalitas formæ non est dare esse existentiæ ipsi materiæ primæ. Probatur conclusio; nam Anima Christi Domini verè, & propriè est forma, & verè exercet causalitatem causæ formalis; & tamen neque materiæ primæ, neque toto composito tribuit esse existentiæ : ergo vera est conclusio. Minorem docent Theologi cum D. Tho. 3 p. in materia de Incarnatione dicentes *in Christo Domino solum reperiri existentiam increatam, & infinitam*, quę non potest esse effectus animę Christi, quę est finita, & creata.

Secunda conclusio : Propria causalitas formę est informare, & actuare materiã reddendo ipsam capacem existentię. Probatur conclusio : Forma essentialiter est actus; sed propria causalitas actus est informare, & actuare potentiam reuocando ipsam ad actum : ergo propria causalitas actus est informare, & actuare potentiam reuocando ipsam ad actum : ergo propria causalitas formę erit actuare, & informare materiam : Hęc autem causalitas duplicem habitudinem, & respectum dicit, sicut diximus de causalitate materię, videlicet in ordine ad materiam, quam informat, & etiam ad totum compositum, quod vltimo constituit, neque sunt

duę

duę causalitates essentialiter diuersę, sed vna simplex causalitas, cum duplici respectu, forma enim in formando materiam, componit totum, & totum componendo informat materiam.

Ex dictis in hac, & præcedenti quæst. colligo causas intrinsecas, videlicet materiam, & formam, in ratione causæ sic posse diffiniri; *materia est causa sustentans formam, quo ad vnionem, & in formationem*: Forma autem in ratione causæ sic diffinitur, *causa informans, & actuans materiam.*

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primã. Forma sic diffinitur; ab Arist. & ab omnibus Metaphysicis; *id quod dat esse rei*: ergo causalitas formæ erit dare esse; idest existentiam.

Respondetur negando consequentiam: Per illam enim diffinitionem non diffinitur forma, vt causa est, sed quatenus est principium rei naturalis, seu pars componens.

Respondetur secundo: Quod prædicta diffinitio intelligenda est de forma naturaliter loquendo; nam secundum regulas naturæ forma est, quæ dat esse, vel substantiale, si est forma substantialis, vel accidentale, si est forma accidentalis, non autem conuenit illa diffinitio omni formæ absolute loquendo, cum non conueniat animæ Christi Domini.

Respondetur tertio: Quod dupliciter possumus intelligere, quod forma dat esse primo; quia dat actualem existentiam materiæ, vel composito, & hic sensus falsus est; secundo; quia dat capacitatem, ad existendum, & hac ratione omnis forma dat esse; nã forma informando materiam reddit eam capacem existentiæ.

Secundum argumentum: ex informatione materiæ causatur vnio substantialis materiæ cum forma; sed talis vnio est effectus materiæ, vt in quæstione præcedenti ostensum est: ergo non est effectus formæ: ergo causalitas formæ non est informare materiam. Probatur hæc secũda consequentia; nam causalitas alicuius causæ dicitur id quo talis causa producit suum effectum: ergo si per informationem actualitatem, non producitur effectus formæ, talis informatio non erit causalitas formæ.

Respondetur negando consequentiam: Vnio enim substantialis materiæ, & formæ est effectus causæ materialis, & formalis secundum diuersam rationem; nam in tali vnione duo reperiuntur, videlicet sustentatio formæ in materia, & hoc est effectus materiæ primæ, & reperitur etiam informatio passiua ipsius materiæ, & hoc est effectus formæ, non est autem inconueniens; quod idem effectus sit simul â pluribus causis diuersi generis.

Tertium argumentum. Forma substantialis est finis generationis naturalis; sed causalitas finis, non est informare materiam: ergo causalitas formæ non est informare materiam.

Respondetur negando consequentiam:

tiam: Eadem enim forma materialiter, & entitatiue vsurpata est causa formalis, finalis, & efficiens, vt docuit Arist. cap. 7. nam in quantum informat materiam est causa formalis, vt terminat generationem, est causa finalis, & quatenus est agendi principium est causa efficiens; eadem itaque forma materialiter vna, est formaliter multiplex causa, & plures exercet causalitates.

QVAESTIO III.

Vtrum Deus possit supplere vices causæ materialis, & formalis?

DVplicem sensum potest reddere titulus huius quæstionis; Primus est, vtrum possit Deus producere sine causa materiali, & formali effectum causæ materialis, & formalis, quemadmodum se solo potest producere hominem sine alio homine, sicut de facto produxit primum parentem Adamum. Secundus est; vtrum possit Deus exercere causalitatem materiæ, vel formæ, ita vt sit causa materialis, vel formalis, quemadmodum, quando se solo producit hominem, dicitur propriè causa efficiens hominis, & hoc est proprié, & in rigore supplere vices alicuius causæ.

Obseruandum est secundo; quod effectus causę materialis, & formalis sunt in duplici differentia: alij sunt effectus primarij, qui primo, & per se causantur ab ipsis causis; v. g. sustentatio passiua ipsius formę est effectus primarius materię, & informatio passiua ipsius materiæ est effectus primarius ipsius formę, vnio verò substantialis, seu compositio totius est effectus primarius vtriusque, videlicet materię, & formę, vt ostensum est quæst. precedenti ad secundum; Alij sunt effectus secundi, & minus principui, qui quidem consequuntur ad effectũ primarium; v. g. respectu materię primę, sustentatio passiua accidentiũ est effectus secundarius, & respectu formę substantialis est effectus secundarius dare actualiter esse existentię materię primę, & toto composito: quemadmodum respectu quantitatis, quę est forma accidentaria, extensio partium substantię, vel extensio in ordine ad locum est effectus secundarius.

Prima conclusio: Absolute dicendum est. Deum op. Max. non posse supplere vices causę materialis, vel formalis. Probatur; supplere vices alicuius causę, propriè loquendo, est producere effectum ipsius causę eius causalitatem exercendo; sed Deus non potest exercere causalitatem materiæ, vel formæ: ergo non potest exercere vices causę materialis, vel formalis: Probatur minor; nam causalitas materiæ primæ est sustentare formam, quo ad sui vnionem, & causalitas formę est informare materiam; sed vtrumque dicit imperfectionem, quę Deo conuenire non potest: ergo Deus non potest exercere causalitatem materialem, vel formalem.

Secundo probatur conclusio: Mate-

ria

ria prima, & forma exercent suas causalitates componendo totum Physicum, vt in quæstionibus immediatè præcedentibus ostensum est; sed Deus op. Max. nulla ratione potest aliquã rem componere: ergo neque potest causalitatem materiæ, vel formæ exercere: minorem demonstrat D. Tho. 1. p. q. 3. art. 8. Sit probatur ratione; nam Deus est prima causa efficiens omnium rerum; sed causa efficiens alicuius rei, cum sit extrinseca non potest ipsam rem cõponere: ergo Deus non potest aliquam rem componere.

Secunda conclusio: Non potest virtute diuina produci effectus primarius materiæ, vel formæ sine materia, vel forma. Probatur: nam effectus primarius materiæ, & formæ est vnio substantialis materiæ cum forma; sed est manifesta implicatio, quod detur talis vnio sine materia sustentante formam, & sine forma informante materiam: ergo vera est conclusio.

Dixi *effectus primarius*; nã loquẽdo de effectu secundario, certũ est, quod aliquis effectus formæ potest sine forma produci virtute Diuina; nam existẽtia materiæ primæ, & totius Physici, secundum opinionem probabilem, est effectus secundarius formæ, & in Christo Domino existentia materiæ primæ non causatur â forma, cum sit existentia increata, non tamen omnes effectus secundarij causæ formalis possunt produci â Deo sine causa formali; nam esse in loco circunscriptiue est effectus secundarius quantitatis, & tamen certum est, quod neque virtute Diuina potest aliquid existere circunscriptiue sine quantitate.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam. Accidentia dependent à subiecto cui inhærent, & à quo sustentatur in genere causæ materialis; sed potest Deus accidentia sine subiecto sustentare, & sustẽtat de facto in Sanctissimo Sacramento Altaris: ergo Deus potest supplere vices causæ materialis.

Respondetur negando consequentiam: Nam causalitas materiæ non est sustentare formam, quomodocumque; sed sustentare illam; ita vt forma dependeat ab ipsa materia quantum ad actualem vnionem, & informationem; iam verò in Sacramento Altaris formæ accidentariæ non dependent ab aliquo subiecto, quantum ad actualem vnionem, & informationem, nam nullum subiectum informat. Ex quo constat, quod Deus non exercet causalitatem materiæ, & ex consequenti non propriè supplet vices causæ materialis.

Secundum argumentum. Species intelligibilis impressa habet rationem causæ formalis respectu intellectus; sed essentia Diuina, vnita intellectui Beatorum, habet rationem speciei intelligibilis, vt docent Theologi 1. p. in materia de visione Dei: ergo potest Deus supplere vices causæ formalis.

Respondetur distinguendo maiorem: Species enim intelligibilis du-

pliciter considerari potest : Primo, quatenus est accidens quoddam ; & hac ratione exercet causalitatem formalem inhærendo intellectui , & tribuendo ipsi esse accidentarium, quemadmodum, & alia accidentia : Secundo, vt species intelligibilis est formaliter, & duplicando ; qua ratione, neque inhæret intellectui, neque informat ipsum, non enim est de ratione speciei intelligibilis essentialiter consideratę, inhærere intellectui, vt constat in Angelis, qui se ipsos cognoscunt per suam propriam substantiam tamquam per speciem intelligibilem impressam, substantia autem nulli subiecto inhærere potest : species itaque intelligibilis essentialiter considerata solum habet rationem causę efficientis, in quantum videlicet representando obiectum intellectui, est principium intellectionis, cum ergo essentia Diuina intellectui Beatorum vnita, solum exerceat id, quod est formaliter, & essentialiter de ratione speciei intelligibilis: hinc est, quod non supplet vices causę formalis.

QVAESTIO IV.

Quid sit causa efficiens?

POst quam egimus de causis intrinsecis rei naturalis, videlicet de materia, & forma, consequenter disputandum est de causis extrinsecis, videlicet de efficiente, & fine. Prius autem de efficiente, quam de fine disputamus ; quia licet finis sit quid primum in intentione, & apprehensione operantis, est tamen vltimus in executione, & vltimo comparatur, & adquiritur : Solum autem in hac, & sequentibus quæstionibus loquimur de causa efficiente Physica ; nam de causis efficientibus moralibus non est nostri instituti disserere.

Sit conclusio: Causa efficiens Physica optime diffinitur: *Primum principium, vnde procedit mutatio, vel quies* : Hanc diffinitionem adduxit Arist. cap. 3 huius libri, & eam amplectuntur omnes Interpretes ipsius, explicatur autem per singulas particulas.

Prima particula est ; *primum principium*, i. est prima causa, per quam particulam excluduntur aliæ causæ, videlicet materialis, formalis, & finalis, quæ quidem quamuis sint principium motus, non tamen sunt principium primarium ; nam prius intelligimus causam efficientem operari, quam intelligamus materiam esse subiectum mutationis, vel formam esse terminum, & finem mutationis.

Secunda particula est: *Vnde procedit mutatio* ; circa quam sciendum est, quod mutatio latius patet, quam motus propriè dictus : omnis enim motus est mutatio, non tamen omnis mutatio, est motus propriè dictus; nam generatio substantialis, verè, & propriè est mutatio, non tamen propriè loquendo est motus : vt igitur Arist. vtrumque complecteretur vsus est nomine mutationis.

Denique, vltima particula est: *Quietis*, quæ quidem intelligenda est

est de quiete positiua, sicut in diffinitione naturæ dictum est.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Tota hęc diffinitio conuenit naturę, vt constat discurrendo per omnes particulas; & tamen natura non est causa efficiens, sed materialis, vel formalis: ergo hęc diffinitio conuenit aliis à diffinito.

Respondetur negando maiorem; nam natura est principium quo, & intrinsecum motus, & quietis; at verò causa efficiens est principiū, quod, & extrinsecum, & de huiusmodi principio est intelligenda diffinitio adducta ab Arist. ita vt reddat hunc sensum: Causa efficiens est principium primum quod, & extrinsecum à quo procedit mutatio, vel quies.

Secundum argumentū Terminus â quo ipsius mutationis non est causa efficiens ipsius, vt constat in priuatione respectu generationis substantialis; & tamen tota diffinitio adducta conuenit termino â quo: ergo prędicta diffinitio non est optima: Probatur minor; nam verè dicimus, quod terminus â quo est primum principiū vnde procedit mutatio.

Respondetur negando minorem: Probationi dicimus, quod Arist. in diffinitione causę efficientis posuit illam particulam, *primum principium*, loco causę; ita vt faciat hunc sensum, causa efficiens, est causa prima, &c. & hæc diffinitio sic intellecta non conuenit termino â quo, non enim terminus â quo est causa motus, vel quietis.

Tertium argumentum. Solus Deus Op. Max. est primum principium, & prima causa omnis motus: ergo prædicta diffinitio solum conuenit Deo: ergo non conuenit omnibus contentis sub diffinito: Probatur hæc secunda consequentia; nam plures dantur causæ efficientes præter Deum.

Respondetur negando consequentiam; Et ratio est; quia illa particula, *primum principium*, seu prima causa, non est intelligenda de primo principio, & de prima causa simpliciter, quæ â nullo dependet, & nullam supponit priorem causam, sic enim optime probaret argumentum, quod talis diffinitio non conuenit aliis causis efficientibus à Deo distinctis, sed intelligenda est de primo principio inter omnes quatuor causas, quia motus, seu mutatio, vt actio est (qua ratione vsurpatur in prædicta diffinitione) prius incipit â causa efficiente, quam ab aliis tribus causis, non prioritate reali, sed secundum rationem, prior enim est influxus causæ efficientis, quam causæ materialis: vnde hæc est vera propositio, & propria locutio, quia agens agit: materia recipit: ergo prius secundum rationem producitur actio, seu mutatio â causa efficiente, quam à causa materiali.

Dices: Finis est prior in causando, quam causa efficiens; nam efficiens non agit, nisi moueatur â fine: ergo causa efficiens non po-

test dici prima causa respectu finis.

Respondetur; quod licet finis sit prior causa, vnde incipit mutatio metaphorica, per quam mouetur, & excitatur operans ad agendum, non tamen est prima causa, vnde procedit mutatio Physica, de qua intelligenda est adducta diffinitio: Hæc solutio constabit ex his, quæ dicemus infra de causalitate finis.

Vltimum argumentum: Quando Deus creat, aliquid efficit, & dicitur veré, & proprié causa efficiens; sed Deus tunc non est principium mutationis; nam creatio, non est mutatio: ergo prædicta diffinitio non est optime assignata.

Respondetur negando consequentiam; solum enim probat prædictam diffinitionem non conuenire Deo, nō autem sequitur esse vitiosam; nam Arist. solum voluit diffinire causam efficientem Physicam, seu naturalem, quæ per motum, seu mutationem operatur.

QVAESTIO V.

Vtrum causalitas causæ efficientis sit actio?

OBseruandum est: Inter causam efficientem, & causam materialem, & formalem, hoc inter alia reperiri discrimen, quod causa materialis, & formalis, cum sint intrinsicæ, causant communicando se ipsas, & suam entitatem effectibus; efficiens verò non ita: ignis enim producens alium ignem, realiter distinguitur ab igne producto.

Sit conclusio: Causalitas causæ efficientis est actio. Ita D. Tho. 5. Metaphi. cap. 2. vbi sic ait: *Efficiens est causa in quantum agit.* Idem docent Beatus Albertus Mag. & alij quam plures. Ratione probatur: Causalitas est concursus, seu influxus, quo aliqua causa suum effectum primarium producit; sed per actionem producit causa efficiens suos effectus: ergo actio erit causalitas causæ efficientis.

Secundo probatur conclusio: Causalitas alicuius causæ est id â quo aliquid denominatur, & constituitur causa; sed causa efficiens denominatur, & constituitur causa per actionem: ergo actio erit eius causalitas. Probatur minor; nam ante actionem, vel post ipsam actionem non dicitur neque est causa efficiens: ergo signum est, quod per actionem denominatur, & constituitur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Actio, est effectus causæ efficientis: ergo nō est eius causalitas.

Respondetur distinguendo antecedens; si enim intelligatur de actione materialiter sumpta, & entitatiue, verum est, saltim in causis efficientibus, quæ operantur per motum Physicū; nam motus, & terminus entitatiue, & realiter sunt idem, vt probabimus lib. sequenti; si autem loquamur de actione formaliter sumpta, vt actio est duplicando, falsum est antecedens;

nam

nam actio vt sic non est effectus, sed via ad effectum, non enim, quidquid procedit ab agente est effectus; sed solum dicitur effectus id, quod procedit tanquam terminus alicuius operationis. Iam verè in conclusione loquimur de actione formaliter sumpta.

Secundum argumentum; Transacta actione perseuerat causalitas causæ efficientis: ergo actio non est ratio constitutiua, seu causalitas causæ efficientis. Probatur antecedens; nam Sol v. g. vere, & proprié dicitur causa muris, vel ranæ, etiam transacta actione, qua ista animalia fuerunt virtute Solis producta: ergo transacta actione perseuerat causalitas efficientis.

Respondetur negando antecedens, probationi dicimus; transacta actione productiua muris, vel ranæ, Solem appellari causam horum effectuũ, nõ quidem causam producentem, sed causam conseruantem; appellatur autem causa conseruans, quia actione conseruatiua attingit murem, & ranam, & ratione huius actionis dicitur causa.

Tertium argumentum. Causa efficiens, non solum dicitur causa propter fieri, sed etiam propter factum esse ipsius effectus; sed actio solum est necessaria propter fieri: ergo causalitas causæ efficientis non est actio.

Respondetur distinguendo maiorem; si enim sit causa simul producens, & conseruans, vera est maior: Si verò sit causa producens tantum, non autem conseruans, falsa est: Hinc Pater transacta generatione, & productione Filii non dicitur proprié causa actualis ipsius Filij, quia Filius non dependet à Patre, nisi quantum ad suum fieri, & produci.

QVAESTIO VI.

Quæ requirantur ad actionem causæ efficientis?

OBseruandum est: Quod in productione Physica, & naturali alicuius effectus, hæc omnia reperiuntur, & requiruntur; videlicet actio productiua effectus, & constitutiua causæ efficientis; principium, quod producens; principium quo radicale, & remotum; principium quo immediatum, & proximum; existentia causæ efficientis; & denique debita à proximatio agentis ad passum: v. g. in productione caloris in aqua Sex ista reperiuntur: Primo, calefactio, quæ est actio producens calorem in aqua, & constituens ignem in ratione causæ calefacientis: Secundo, ignis, qui est principium, quod, productionis caloris: Tertio, forma substantialis ipsius ignis, quæ quidem est principium quo radicale, & remotum, constituens ignem in potentia remota ad calefaciẽdum: Quarto, reperitur calor ipsius ignis, qui quidem est forma accidentaria, & principium quo immediatum, & proximum constituens ignem in potentia proxima, & in actu primo, ad calefaciendum: Quinto, reperitur existentia ipsius ignis, non enim posset cale-

calefacere, si non existeret: Sexto, & vltimo, reperitur debita â proximatio ignis calefacientis ad aquam, quæ calefit, nō enim ignis existens Burchi nonæ v. g. potest naturaliter calefacere aquam existentē Cæsaraugustæ, propter nimiam distantiam agentis, & patientis.

Prima conclusio: Forma substantialis est principium agendi, non proximum, & immediatum, sed mediatum, & remotum. Hæc conclusio, quoad vtramque partem est D. Tho. 1. p. q. 77. art. 1. & 3. p. q 77. art. 3. D. Tho. sequuntur Cartarus Bañes, & Zumel 1. p. q. 54. art. 3 Capreolus, in 4. dist. 12. q. 1. S to in hoc lib. q. 4. Asludillo q. 5. & quam plures alii. Ratione probatur: Anima *est principium vegetandi, sentiendi, mouendi ad locum, appetendi, & intelligendi*, vt docet Arist. 2. de anima, cap. 2. sed anima veré, & propriè est forma substantialis: ergo forma substantialis est principium agendi.

Secundo probatur conclusio: Forma substantialis in rebus viuentibus est principium actiuum motus, vt diximus cap. 1. huius libri explicantes diffinitionem naturæ; sed actiones Physicæ, & naturales, à quibus causa efficiens Physica denominatur, sunt quidam motus: ergo forma substantialis erit principium agendi.

Quod verò sit principium remotum, & non proximum, insinuauit Arist. libro de sensu, & sensibili sic dicens: *Nihil agit, vel patitur quatenus ignis, vel aqua; sed quatenus contrarijs qualitatibus afficitur.* Ratione probatur; nam potentia proxime elicitiua alicuius actus est eiusdem generis cum ipso actu, vt explicuimus libro præcedenti disp. de materia prima exponentes illud axiomata *actus, & potentia sunt eiusdem generis*; sed actus, seu actiones Physicæ, & naturales productæ â creaturis sunt accidentia: ergo potentia proxima productiua talium actionum, non potest esse forma substantialis.

Secunda conclusio: Forma accidentaria est principium proximū, & immediatum actionis Physicæ. Ita D. Tho. 1. p. q. 45. art 8. ad 2. & communiter omnes Interpretes. Ratione probatur, ad quamlibet actionem requiritur principium immediatum, & proximum productiuum talis actionis; sed huiusmodi principium, non potest esse substantia, vt in conclusione præcedenti ostensum est: ergo debet esse forma accidentaria.

Secundo probatur conclusio inductiue: Calefactio enim, quæ vera actio est, fit immediate â calore ignis calefacientis, nutritio fit â calore natiuo existente in re, quæ nutritur, vt docet Arist. 2. de anima cap. 4. Insuper, Sol tua virtute omnes effectus sublunares causat, quæ quidem virtus est accidens; nam in solo Deo virtus operatiua est substantia: ergo forma accidentaria est principium proximum operandi.

Tertia cōclusio: Ad actionem Physicam necessario requiritur existentia causæ efficientis â qua talis actio producitur. Probatur conclusio: Operatio, seu actio, sequitur ad esse: ergo

go, quod nullo modo est, nullo modo potest agere.

Secundo probatur conclusio: Vnumquodque agit in quantū est ens actu; sed nihil est ens actu, nisi per existentiam: ergo vnumquodque agit secundum, quod est existens. Sed advertendum est, quod existentia causæ efficientis, non est ratio formalis constitutiua ipsius, neque est sola conditio sine qua non; sed est modus quidem intrinsecus ipsius causæ efficientis, qui neque per Diuinā potentiam potest suppleri. Implicat enim, quod aliquid agat si nullatenus existat.

Vltima conclusio, principium quod, cuiuslibet actionis Physicæ, est totum compositum, seu suppositum: v. g. id quod calefacit, neque est forma substantialis ignis, neque calor, sed ipse ignis. Probatur conclusio ex Arist. qui 1. & 2. de Anima cap. 2. inquit: *Animam. Neque flere, neque ridere, neque exercere aliquam aliam actionem, sed hominem mediante anima.*

Secundo probatur, ex communi axiomate ab Arist. accepto; *actiones sunt suppositorum, & non formarum*: ergo suppositum est id, quod agit.

De approximatione agentis, ad passum, quæ est conditio sine qua non actionis Physicæ disputabimus Deo auspice cum Arist. lib. 7. Physicorū. De actione autem, quę est ratio constitutiua causæ efficientis, iam egimus quæst. præcedenti. Constat igitur ex dictis, quot, & quæ concurrant in productione effectus causæ efficientis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Actus, & potētia productiua talis actus, sunt eiusdem generis; sed actiones Physicæ sunt accidentia: ergo forma substantialis non erit potētia, neque principium producendi tales actiones.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera, de potentia immediata, & proxima: non autem de potentia mediata, & remota. Iam verò forma substantialis est potentia remota, & radicalis actionum Physicarum.

Secundum argumentum: D. Tho. 1. p. q. 77. art. 1. docet, *quod proprietates in genere causæ efficientis dimanant immediatæ à substantia*: ergo substantia est immediatum principium operandi.

Respondetur: substantiam non producere proprietates per verā, & Physicam actionem, sed per quandā emanationem, & naturalem resultantiam, nos autem in conclusione loquimur de actione Physica, & reali.

Tertium argumentum, contra secundam: Si calor, ignis v. g. produceret ignem, vel esset calor, qui est in igne producente, vel calor, qui est in igne producto; sed neutrum est dicendum: ergo forma accidentaria rō requiritur ad actionem causæ efficiētis: Probatur minor; calor, qui est in igne producente solum est causa calefactionis: ergo non est causa productionis ignis. Præterea calor qui est in igne producto, non est ante ignem pro-

productum : ergo non est causa efficiens ipsius.

Respondetur negando minorem, probationi dico ; quod calor, qui est in igne producente est causa efficiens ignis producti, ad huius autem impugnationem dico : quod calor respectu calefactionis est causa præcipua, respectu verò productionis ignis est causa instrumentaria, vt dicemus quæst. sequenti.

Quartum argumentum, contra tertiam : Grauia mouentur deorsum in genere causæ efficientis ab ipso generante, idest à eo, qui produxit grauia, vt probabimus infra lib. 8. sed aliquando contingit rem grauem moueri deorsum, nullatenus existente causa, quæ rem grauem produxit : ergo ad actionem, & motum Physicum non requiritur existentia causa efficientis.

Respondetur negando minorem : Dupliciter enim aliquid existere dicitur : Primo, formaliter, quando, videlicet à parte rei existit ; Secundo, virtualiter, qua ratione dicitur aliquid existere, quando eius virtus existit. Ad hoc igitur, vt aliquid agat, & dicatur causa efficiens requiritur, quod existat, vel formaliter, vel saltim virtualiter. Iam verò quando res grauis mouetur deorsum destructo eo *qui* rem grauem produxit, verè dicitur moueri à generante ; nam licet generans non existat formaliter, existit tamen virtualiter, videlicet ratione virtutis, quam communicauit rei graui, à qua quidem virtute res grauis mouetur.

QVAESTIO VII.

Vtrum accidentia possint esse instrumenta ad producendam substantiam?

CElebris est hæc quæstio in hac materia de causis, & opinionum varietate controuersa. Aliqui enim negant accidentia posse aliquo modo causare substantiam. Alij è contrario affirmant, quod accidentia virtute propria, & vt causæ principales possunt attingere productionem substantiæ. Alij denique per mediam viã incedentes docent, accidentia attingere substantiæ productionem, non tamen virtute propria, sed virtute aliena, & vt causæ instrumentariæ, & huic sententiæ tanquam probabiliori adhærebimus. Pro cuius expositione.

Obseruandum est primo, causam efficientem Physicam, vt supra insinuauimus, adæquate diuidi, in principalem, & in instrumentariam : Ita docet Arist. cap. 5. huius libri, & D. Tho. multis in locis, præcipuè verò 3. p. q. 65. art. 5. Causa principalis est *quæ per virtutem sibi propriam, & effectui proportionatam operatur*, vt statuarius, statuam. Causa instrumentaria est, *quæ non agit per virtutem sibi propriam, sed virtute sibi participata à causa efficiente principali*; v. g. serra est instrumentum ad faciendum scamnum, quia non per virtutem suæ formæ, sed per virtutem, quam recipit à fabro lignario à quo eleuatur,

& assu-

& assumitur, concurrit ad faciendum scamnum.

Obseruandum est secundo, quod instrumentum, seu causa instrumentalis, duplex est: Alia coniuncta, & alia separata: Instrumentum coniunctum est, quod est coniunctum agenti principali, vel quia est contiguum illi, vt serra respectu fabri lignarij conficientis scamnū, vel quia est accidens respectu causæ principalis, vt calor naturalis, in animali existēs: est instrumentum ad producendam substantiam: Instrumentum separatū dicitur, quod est separatum â principali agente; v. g. virtus, in semine existens, est instrumentum separatum generantis ad productionem substantiæ, & accidentia vini in Sacramento Altaris existentia sunt instrumenta separata ad producendam substantiam, cum sint realiter separata à substantia cuius sunt instrumenta.

Discrimen reperitur inter huiusmodi instrumenta; nam instrumentum coniunctum semper pendet ab actuali motione causæ principalis, & eius actio simul procedit à causa principali: v. g. serra, vt faciat scamnum debet actualiter moueri à causa principali, & eadem actio scindendi procedit à serra, & â fabro lignario. Instrumentum verò separatum non indiget actuali motione causæ principalis, neque eius actio simul procedit â causa principali; nam potest euenire, quod ipsum instrumentum actu operetur, & effectum producat, non existente in rerum natura causa principali cuius est instrumentum; v. g. potest euenire, quod virtute existente in semine generetur viuens, mortuo generante cuius erat semen.

Obseruandum est tertio cum D. Tho. 3. p. q. 19. art. 1. & 2. & loco citato in prima obseruatione: instrumentum duplicem interdum habere actionem: vnam instrumentalem, quā producit, non virtute propria, sed virtute communicata â principali agente: alteram propriam, quam propria virtute producit; v. g. scissio est actio producta á serra virtute propria, scissio autem cum artificio est actio instrumentalis ipsius serræ; nam procedit ab ipsa in quantum est instrumentum assumptum à causa principali, videlicet à fabro lignario. Similiter calor in igne existens, duplicem habet actionem, videlicet calefactionem, & productionem alterius ignis: Primam actionem elicit propria virtute: Secundam verò instrumentaliter, videlicet, quatenus est instrumentum ignis, cui inhæret. Si instrumentum consideretur præcisse ratione propriæ actionis non est formaliter instrumentum, sed causa præcipua; v. g. serra est causa præcipua scissionis, & calor est causa præcipua calefactionis: Istæ autem duæ actiones aliquando distinguntur tanquam res â re, vt constat in exemplo de calore; nam calefactio, & productio ignis ab eodem calore procedentes, realiter, vt res â re distinguntur; interdum verò solum distinguntur realiter formaliter, vel sicut includens, & incluſſum, vt constat in exemplo de serra; nam scissio absolute sumpta, & scissio arti-

tiosa distinguntur, sicut includens, & inclusum, si quidem scissio artificiosa dicit totam entitatem, quam dicit scissio absolute sumpta, & addit artificium.

Obseruandum est quarto: Quod accidens dicitur esse instrumentum substantiæ, non quia accipiat ab ipsa substantia aliquam nouam virtutem, quando operatur, & producit instrumentaliter effectum, Hoc enim falsum est; Nam quemadmodum actio agentis, vt producatur, non indiget aliqua alia actione, alioquin daretur processus in infinitum; neque etiam concursus causæ primæ, quamuis sit aliquod ens creatum in causis secundis receptum, non indiget alio concursu, vt operetur: pari etiam ratione, accidentia, vt producant instrumentaliter substantiã, non indigent aliqua virtute de nouo superaddita; quia ipsamet accidentia ex natura sua sunt virtutes instrumentarię ipsius substantiæ, accidentia enim sunt principium, quo, immediatum, & proximum operandi, vt in quæstione præcedenti ostensum est. Dicitur ergo, quod accidens virtute substantiæ producit substantiam; quia non producit illam, vt accidens est formaliter, sed quatenus est virtus actiua ipsius substãtiæ. Hęc est expressa Doctrina D. Tho. quæst. vnica de spiritualibus creaturis art. 11. ad 10.

Obseruandum est vltimo: causam principalem adæquate diuidi in causam æquiuocam, & vniuocam: Æquiuoca dicitur, *quæ producit effectum, vel effectus diuersæ speciei ab ipsa causa*, & hac ratione Sol dicitur causa hominis, vel ranæ. Causa vniuoca est *quæ producit effectum eiusdem rationis, & speciei cum ipsa*: Qua ratione homo dicitur causa hominis, & leo leonis.

Inter istas causas Hoc inter alia reperitur discrimen, quod causa æquiuoca, non solum formaliter in ratione causæ, sed etiam entitatiue, & materialiter considerata, semper est nobilior, & præstantior suo effectu. Ita docent D. Dionisius cap. 2. de Diuinis nominibus. D. August. lib. 83. q. 9. & 2. & D. Tho. 1. p. q. 4. art. 2. Et ratio est, quia causa æquiuoca continet eminenter, & præstantiori modo quidquid perfectionis reperitur in effectu à se producto, & hinc est, quod D. op. Max. est causa æquiuoca omnium creaturarum: Causa verò vniuoca entitatiue considerata, quamuis nõ sit ignobilior suo effectu, non tamen est nobilior ipso, sed est æque nobilis, cum sit eiusdem speciei cum effectu. Dixi, *entitatiue, & materialiter*, nam si loquamur, de causa formaliter, vt causa est, omnis causa est præstantior suo effectu, vt explicatum est disputatione præcedenti, quæstione vltima.

Prima conclusio: Accidentia possunt immediate attingere, & de facto attingunt productionem substantiæ. Hanc conclusionem docent D. Tho. 1. p. q. 45. art. 8. ad 2. & 3. p. q. 77. art. 3. & quam plurimis aliis in locis. Capreolus in 4. dist. 12. q. vlt. Paludanus in eadem dist. 4. Cardinalis Zoletus q. 2. Soto, q. 4. Astudillo

dillo. q. 6. & alij. Quam plures ratio nibus probatur.

Prima ratio; nutritio est productio substantiæ partialis; sed nutritio procedit immediate à calore nativo rei viuentis, qui verè est accidens: ergo accidens attingit immediate productionem substantiæ: Minorem docet Aristoteles 2. de anima cap. 4.

Secunda ratio: Leo v. g. generans leonem (& idem dicendum est de quolibet alio animali generante) non producit alterum leonem immediate, & proximè per suam formam substantialem, sed per virtutem seminis impressam; sed talis virtus est accidens: ergo accidens attingit immediate productionem substantiæ: Maior est Arist. 2. lib. de Anima tex. 10. vbi expressè asserit: *semen esse instrumentum, quo vnum animal aliud generat.* Et probatur ratione; nam potest euenire, quod ante instans in quo generatur leo sit iam corruptus leo generans: ergo in tali casu non attinget immediate productionem alterius leonis per suam formam, substantialem: ergo per virtutem in semine existentem.

Tertia ratio: Sol, & Stellæ sua virtute existente in terra producunt plures substantias, videlicet aurum, & argentum in visceribus terræ, & animalia imperfecta, quæ ex putre factione oriuntur, huiusmodi sunt vermes, & ranæ, & alia huiusmodi; sed talis virtus est accidens: ergo accidens attingit immediate productionem substantiæ: Maior constat; nam Sol, & Stellæ non sunt in terra, secundum suam substantiam, imo potius longe distant, vt manifestum est: ergo non operantur in terra immediate per suam substantiam, sed per suam virtutem.

Quarta ratio: Substantia, non est immediatum principium operandi, sed semper agit medijs accidentibus: ergo quando producitur substantia concurrunt immediate accidentia ad talem productionem: Antecedens probatum manet, quæst. præcedenti conclusione, 1. &. 2.

Secunda conclusio: Accidentia non attingunt productionem substantiæ tanquam causæ præcipuè, sed vt causæ instrumentariæ. Hanc habent, qui præcedentem. Ratione probatur; nã causa præcipua, vel est vniuoca, vel æquiuoua; sed accidens non est causa vniuoca, neque æquiuoca substantiæ: ergo non attingit productionem substantiæ; vt causa præcipua. Probatur minor: In primis, non est causa vniuoca, cum non sit eiusdem speciei cum substantia. Præterea causa principalis æquiuoca non solum formaliter in ratione causæ, sed etiam entitatiue, & materialiter considerata, est nobilior, ac præstantior suo effectu: Causa verò vniu[illegible] lis perfectionis; sed acc[illegible] maioris, neque æquali[illegible] cum substantia: ergo [illegible] vniuoca, neque æqu[illegible] sequens non est caus[illegible] stantiæ: Maior con[illegible] seruatione, quod [illegible] strumentaria, ex [illegible]

ne potest probari; nam accidentia sunt causa efficiens substantiæ, vt ostensum est in prima conclusione; sed non sunt causæ præcipuæ: ergo instrumentariæ.

Tertia conclusio: Vnum accidens interdum est causa præcipua alterius accidentis, v. g. calor caloris: Ita Caietanus, 1. p. q. 54. art. 3. Astudillo 2. Physicorum q. 6. & Massius, sect. 3. de causis, q. 6. Ratione probatur: nam causa principalis est, quæ per virtutem sibi propriam, & effectui proportionatam effectum producit; sed calor v. g. habet virtutem sibi propriam, & proportionatam alteri calori: ergo potest esse causa principalis alterius caloris.

Circa istas tres conclusiones sciendum est: non esse intelligendas vniuersaliter de omnibus accidentibus, sed tantum de accidentibus actiuis, non autem omnia accidentia sunt actiua, sed solum qualitates, & inter qualitates non omnes, sed tantum qualitates primæ, secundæ, & tertiæ speciei: & adhuc, ex his non omnes; nam naturalis impotentia non est qualitas actiua, tum etiam inter naturales potentias dantur potentiæ passiuæ, vt duritiei ferri, quæ non sunt princi- [illegible] sed patiendi.

[illegible] SVPERIORA.

[illegible] argumentum, con- [illegible]la causa efficiens po- [illegible]n virtutem operari; [illegible]tra virtutem acci- [illegible]m accidens potest attingere immediate substantiæ productionem.

Respondetur cum D. Tho. 2. contragentes cap. 21. distinguendo maiorem: est enim vera de causa efficiente principali, non autem de causa instrumentalia: vnde solum probat argumentum; quod accidentia nequeũt esse causa principalis productiua substantiæ, quod etiam nos libenter fatemur.

Secundum argumentum: Efficiens dicitur quod agit, nam actio est causalitas causæ efficientis; sed actiones sunt suppositorum, & non formarum: ergo formæ accidentariæ non sunt causę efficientes.

Respondetur: Quod si argumentũ aliquid probaret, contra primam conclusionem, etiam concluderet contra secundam, & tertiam. Nam omnis causa efficiens, etiam instrumentaria, constituitur per actionem: probaret etiã, quod forma substantialis non est principium agendi, seu causa efficiens, cum non sit suppositum: Dicendum est ergo interpretando minorem probationem, quod actiones dicuntur esse suppositorum, vt quod, nam suppositum est, quod verè agit, formę autem, siue substantiales, siue accidentarię, solum agũt, vt quo, modo explicato in quæstione præcedenti.

Tertium argumentum, contra secundam: Arist. lib. de sensu, & sensibili inquit, *quod ignis, non agit, vt ignis est, sed vt calidus est*: ergo calor iuxta sententiam Arist. est causa præcipua operandi.

Respondetur negando consequentiam:

tiam : Solum enim voluit affirmare Arist. in illis verbis, quod immediatum principium operandi in igne, nõ est forma substantialis, sed forma accidentalis, videlicet calor ; quod etiam nos diximus quęstione precedenti.

Quartum argumentum: Causa precipua dicitur, quę per virtutem sibi connaturalem effectum producit; sed calor natiuus v.g. in animali existens, per virtutem sibi connaturalem producit substantiam in nutritione: ergo calor natiuus, qui verè est accidens, est causa precipua substantię : Probatur minor ; calor natiuus habet hoc quod est producere substantiam ; quia dimanat á tali subiecto, videlicet á viuente; sed est ei connaturale dimanare á tali subiecto : ergo virtus productiua substantię est ei connaturalis.

Respondetur negando maiorem; non enim ad rationem causę precipuę sufficit, quod agat per virtutem sibi connaturalem, alioqui euidenter, concluderet argumentum; nam calor ignis v. g. ex natura sua habet, quod sit productiuus ignis, cum ex natura sua habeat, quod sit virtus actiua ipsius ignis cui inheret, & similiter est dicendum de calore natiuo : requiritur ergo amplius ad rationem causę precipuę, videlicet, quod agat per virtutem sibi propriam. Iam verò accidens non habet virtutem sibi propriã ad causandam substantiam, sed causat ipsam, quatenus est virtus alterius, videlicet virtus substantię cuius est accidens.

Quintum argumentum. Id quod producit, vt causa præcipua, vltimam dispositionem ad aliquam formam, producit etiam, vt causa præcipua, talem formam ; sed calor, qui verè est accidens virtute propria, & vt causa præcipua, producit vltimam dispositionem formæ ignis : ergo etiam producit, vt causa principalis formam ignis, & ex consequenti accidens erit causa principalis productiua substantiæ : Probatur minor ; vltima dispositio ad formam ignis est calor, vt octo ; sed calor existens in aliquo igne potest producere in alio subiecto calorem, vt octo : ergo potest producere ultimam dispositionem formæ ignis : Probatur minor; sicut se habet calor, vt duo, ad calorem, vt duo : Ita calor, vt octo, ad calorem vt octo : ergo sicut calor vt duo in igne existens potest producere calorem, vt duo in aqua: v. g. Ita calor vt octo existens in igne poterit producere in aqua calorem vt octo.

Respondetur distinguendo maiorem : Iuxta Doctrinam adductam libro præcedenti, disputatione de forma ; quod vltima dispositio ad aliquam formam duplex est : Alia est vltima dispositio necessaria ad vnionem formæ cum materia, ideſt, vt materia vltimo disponatur ad formam recipiendam : Et alia est vltima dispositio necessaria ad productionem formæ, & ad esse, & conseruationem ipsius : Prima appellari potest vltima dispositio disponens, quæ quidem aduenientе forma corrumpitur ; altera verò est vltima dispositio concomitans ipsam formam productam, id

igi-

igitur; quod producit, vt causa præcipua vltimam dispositionem concomitantem, producit etiam, vt causa præcipua formam, non verò, id quod solum producit, vt causa præcipua, vltimam dispositionem disponentem, & præparantem materiam: Iam verò calor solum producit, vt causa præcipua, vltimam dispositionem necessariam ad vnionem formæ substantialis ignis, cum materia prima; at verò ad productionem vltimæ dispositionis concomitantis, solum concurrit, vt causa instrumentaria ipsius ignis operantis; & licet vnum accidens possit producere, vt causa præcipua aliud accidens, si per se solum producatur, non tamen si producatur simul cum substantia. Iam verò calor vt octo simul producitur cum forma substantiali ignis, ac per consequens, non potest produci, tanquam à causa præcipua, ab alio accidenti, v. g. ab alio calore.

Sextum argumentum. Generatio hominis consistit in vnione animæ rationalis cum materia prima; sed virtus existens in semine hominis generantis, non potest attingere hanc vnionem: ergo talis virtus nullatenus est causa vnionis substantialis. Probatur minor; materiale, non potest producere immateriale; sed virtus seminis est materialis, vnio autem animæ rationalis cum materia, est immaterialis, existit enim in ipsa anima: ergo talis virtus non attingit hanc vnionem.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus; quod licet virtus seminis sit formaliter materialis, est tamen virtualiter immaterialis, & spiritualis; & sic potest causare vnionem immaterialem: Quemadmodum vice versa, anima rationalis, quæ formaliter spiritualis est, causat in homine existentiam formaliter corpoream; quia est virtualiter, seu causaliter materialis, & corporea, vt diximus supra disputatione de materia prima: His adde, quod vnio substantialis animæ rationalis cum materia, quamuis ex parte animæ sit immaterialis, est tamen materialis ex parte materiæ, & talis vnio dependet à materia inferi, & conferuari.

Septimum argumentum, contra tertiam conclusionem: Calor ignis v. g. in calefaciendo, & in productione alterius caloris, dependet à subiecto cui inhæret: ergo non est causa præcipua calefaciendi, neque caloris producti.

Respondetur negando consequentiam: non enim calor, in quantum calefacit, dependet a subiecto cui inest, tanquam instrumentum a causa præcipua, sed dependet ab ipso tanquam forma a supposito, vel sicut vna causa principalis ab alia causa principali superiori, cui subordinatur; qua ratione etiam ignis calefaciens dependet a Cœlo.

Octauum argumentum, contra rationem secundæ conclusionis: Causa æquiuoca non est nobilior suo effectu: ergo illa ratio supponit falsum: Probatur antecedens; Cœlum est causa æquiuoca omnium viuentium sublunarium; & tamen non est nobilius ipsis, imo potius, quodlibet viuens est

ellen-

essentialitet nobilius Cœlo, vt probabimus in libris de Cœlo: ergo causa æquiuoca non est nobilior suo effectu.

Respondetur cum D. Tho. 1. p. q. 70. art. 3. ad 3. quod corpora Cœlestia dupliciter considerari possiunt: primo secundum se, & seorsum, quatenus videlicet non includunt Angelos mouentes Cœlos, & hac ratione non sunt causæ principales viuentiũ sublunarium, sed causę instrumentarię, quę operantur in virtute principalis agentis, videlicet Angeli, qui cum sit substantia viuens potest causare vitam in his inferioribus: alio modo cõsiderantur corpora Cœlestia simul cũ Angelo mouente, & in hoc sensu vsurpantur corpora Cœlestia a Philosophis, dum dicitur quod corpora Cœlestia sunt causę æquiuocę, & vniuersales effectuum sublunarium. Vsurpant enim corpora Cœlestia, & Angelum mouentem, non tanquam duas causas, sed tanquam vnam totalem, & integram causam, quę eminenter, & nobiliori modo continet perfectiones naturales omnium rerum sublunarium.

QVAESTIO VIII.

Vtrum Deus concurrat cum causis secundis ad omnem actionem?

QVamquam omnes causę creatę non solum efficientes, sed etiam materiales formales, & finales subordinentur causę primę, & per essentiam, quę est Deus, op. Max. Hęc tamen subordinatio in causis efficientibus magis elucet: Ac per consequens hęc est propria sedes huius disputationis.

Obseruandum est primo: Quod causa efficiens adęquate diuiditur in primam, & secundam: Causa prima est solus Deus, qui proinde causa prima dicitur; quia a nullo dependet, omnia tamen alia dependent ab ipso, quam ob causam appellatur causa causarum. Causę secundę dicuntur omnes causę efficientes creatę, quę essentialiter dependent a prima causa.

Obseruandum est secundo, quod quatuor modis concurrit aliquid cũ aliqua causa, ad aliquem effectum producendum; Primo, quia dat ei virtutem productiuam talis effectus, & hac ratione, qui produxit lapidem est causa motus lapidis deorsum; quia communicauit lapidi grauitatem, quę est immediatum principium talis motus: Secundo, quia talem virtutem conseruat, qua ratione cibus dicitur causa vitæ: Tertio, quia applicat ipsam causam efficientem, & hac ratione, qui applicat igni combustibilia, vel ignem combustibilibus, dicitur concurrere, ad comburendum: Quarto, quia mouet ipsam causam ad operandum, simulque cum ipsa effectum producit, qua ratione faber lignarius dicitur causa, quare serra conficiat scamnum, quia eam mouet ad operandum, simulque cum ipsa scamnum facit.

Sit conclusio: Deus concurrit cum causis secundis dando eis virtutem, & sa-

facultatem ad agendum, talem virtutem conseruando, eas applicando ad actionem, & simul cum eis effectum producendo. Communis est conclusio inter Philosophos, Theologos, & Sanctos Patres. Probatur ex illis verbis Apostoli Pauli 1. ad Corinthios 12. vbi de Deo loquens sic dicit; *qui operatur omnia, in omnibus*.

Ratione probatur: operari, seu agere sequitur ad esse; sed omnes creaturæ, quo ad suum esse, essentialiter dependent a Deo: ergo etiam quo ad operari, & agere.

Confirmatur hæc ratio. Nam actio creaturę, etiam, vt actio est duplicando, est ens creatum; sed omnia entia creata essentialiter dependent a Deo: ergo etiam omnes actiones creatæ essentialiter dependent ab ipso.

Secundo probatur: Ex eo omnia entia creata essentialiter dependent a Deo, quia solus Deus est ens per essentiam, cœtera verò per participationem ab ipso; sed etiam solus Deus est causa prima, & per essentiam: ergo etiam omnes causę secundę in causando essentialiter dependent ab ipso.

Tertio probatur: Ex eo Deus dicitur esse in omnibus rebus per potentiam; quia omnia in omnibus rebus operatur, vt docent Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 8. art. 3. ergo vera est conclusio.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentũ. Si Deus concurreret cũ causis secundis ad productionem effectus, vel concurreret operando eadem actione, vel diuersa; sed neutrum est dicendum: ergo Deus non concurrit cum causis secundis. Probatur minor; causa prima, & secunda sunt duo agentia inæqualis virtutis, cum causa prima sit agens supernaturale, causa vero secũda agens naturale: ergo non possunt per vnam, & eandem actionẽ operari; Præterea neque per diuersam; nam actio Dei ex se sola est sufficiens ad quemlibet effectum producendum: ergo si Deus concurrit cum causis secundis, per aliquam actionem distinctam ab actione causæ secundæ, superflua erit actio causæ secundæ. Frustra enim fiunt per plura, quæ sufficienter fieri possunt per pauciora.

Respondetur negando minorem, probationi dicimus, quod licet actio Dei, & actio causæ secundę interdum habeant eundem terminum, absolute tamen sunt actiones realiter vt res â re distinctæ; nam causa secunda agit per actionem, quæ est accidens, at verò actio Dei est substantia: Et quamuis actio Dei ex se sit sufficientissima ad quemlibet effectum producendum; quia tamen Deus Op. Max. omnia disponit suauiter, vult, quod causæ secundæ etiam habeant propriam efficientiam, & causalitatem: Ac per consequens non est superflua actio causæ secundæ.

Secundum argumentum. Effectus naturalis, & causa naturalis æquiparantur: ergo causa naturalis, vt effectum naturalem producat, non indiget concurru Dei.

Respondetur negando consequẽtiam.

tiam: Solum enim infertur ex antecedenti; quod causa totalis naturalis, ita est sufficiens ad effectum naturalem producendum, vt non indigeat altera causa eiusdem generis, & æqualis subordinationis, non tamen excluditur subordinatio ad causam primam, quæ quidem est simpliciter necessaria in causis creatis.

QVAESTIO IX.

Vtrum Deum attingat effectum causarum secundarum immediatè immediatione suppositi?

OBseruandum est: Dupliciter vnam rem esse immediatam alteri: Primo, immediatione suppositi. Secundo immediatione virtutis: Illa dicuntur esse immediata immediatione suppositi, quæ se tangunt, ita vt inter ipsa nihil mediet; v. g. amphora, & aqua in amphora existens sunt entia immediata immediatione suppositi. Illud est immediatū alteri immediatione virtutis, quod solum attingit ipsum per suam virtutem, qua ratione ignis á longe stans, & lignum calefaciens dicitur immediatus ligno immediatione virtutis, non autem immediatione suppositi.

Sit conclusio: Deus op. Max. vtraque immediatione suppositi, videlicet, & virtutis attingit omnes effectus causarum secundarum. Communis est conclusio inter Philosophos, & Theologos, & colligitur ex illis verbis D. Pauli, quæ habentur cap. 17. actuum Apostolorum: *Deus non longe est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Ratione probatur; Deus est in omnibus rebus per essentiam, ideſt secundum suam substantiam coniungitur omnibus rebus, vt docent Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 8. art. 3. ergo immediatè, immediatione substantiæ, & suppositi in omnibus rebus operatur. Probatur consequentia; nā Deus, & quælibet natura spiritualis, eatenus dicitur esse in aliquo, quatenus aliquid operatur in ipso.

Secundo probatur conclusio: Deus per suam essentiam vbique est, & omnia replet, cum sit immensus, & infinitus, iuxta illud Hyeremiæ 23. vbi in persona Dei dicitur: *Cœlum, & terram ego impleo;* sed in Deo essentia, & suppositum realiter sunt idem; nam Deus est sua essentia: ergo Deus immediatione suppositi quamlibet rem creatam attingit.

Tertio probatur conclusio: Virtus actiua Dei, est ipse Deus, nam quidquid est in Deo, Deus est; sed Deus secundum suam virtutem, & potentiam immediatè attingit omnē effectum causę secundę: ergo etiam secundum sui essentiam, & suppositum immediatè attingit ipsum.

CONTRA SVPERIORA:

¶ Primum argumentum: Deus medijs causis secundis operatur; v. g. medio homine producit alterum hominem, & medio leone leonem: ergo non attingit effectus causarum secun-

darū immediate immediatione suppositi.

Respondetur negando absolute antecedens: Cum enim Deus sit magis immediatus cuilibet effectui, quam causa secunda à qua producitur, vt constat ex conclusione, absolute loquendo est falsum dicere, Deum media causa secunda operari, nihil enim mediat inter Deum, & quemlibet effectum productum.

Secundum argumentum: Deus operatur imperando, & præcipiendo causis secundis, vt producāt suos effectus ad instar Regis terreni, qui in Regnis suis operatur præcipiendo, quę faciēda sunt: ergo Deus nō attingit immediatē effectus causarum secundarum immediatione suppositi. Quemadmodum Rex Hispaniæ Matriti existens, non attingit immediatē immediatione suppositi, quæ fiunt Ilerdæ propter eius Imperium. Probatur antecedens; nam in principio Geneseos introducitur Deus, sic loquens: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, iuxta genus suum*: Et ibidem etiā dicitur; Deum dixisse animalibus, *crescite, & multiplicamini, & replete terram*: ergo Deus operatur imperando, & præcipiendo causis secundis.

Respondetur negando consequentiam: Nam Dei imperium, & præceptum habet virtutem executiuam, & operatiuam rei, quam præcipit, vel imperat; nam Deum imperare est facere, vt constat ex illo Psalmi: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Vnde Deus imperando simul facit, quod imperat, quod non contingit in Rege terreno.

Vltimum argumentum. Quanto aliquod agens est potentius, tanto potest agere in magis distans: v. g. ignis maior, ex distantiori loco potest calefacere, quam ignis minor; sed Deus est agens infinitæ virtutis, & potentiæ: ergo eius actio poterit attingere ea, quæ maxime distant: ergo Deus non coniungitur cum effectu immediate immediatione suppositi.

Respondetur distinguendo maiorem; si enim intelligatur de agente creato, vera est: Si autem de agente increato, & infinito, quod est Deus, falsa est: Huius autem disparitatis hæc est ratio; nam virtus agentis creati est accidens realiter distinctū à substantia ipsius agentis; ac per consequens potest agens naturale, & creatum agere in rem distantem, si ei coniungatur secundum virtutem: Cœternum virtus actiua Dei realiter identificatur cum supposito diuino: Ac per consequens eo ipso, quod Deus est immediatus alicui, immediatione virtutis, etiam est immediatus immediatione suppositi. His adde, quod cum Deus op. Max. sit immensus omnia replens, & vbique præsens à nulla re creata distat: Ac per consequens, non potest agere in distans.

Alias difficultates, ad subordinationem, & dependentiam pertinentes causarum secundarum: Consulto omitto, ne in messem alienam falcem

cem immitare videar, ad superiorem enim artificem, Theologum videlicet spectant. Igitur de causa efficiente hęc dicta sint satis.

QVAESTIO X.

Vtrum finis sit causa, & in quo consistat eius causalitas?

OBserua primo: Quod finis ab Arist. & interpretibus eius sic diffinitur: *Id cuius gratia aliquid fit*: v. g. Beatitudo dicitur finis Christiani; quia Beatitudinis consequendæ gratia, Christianus virtutes amplectitur, & vitia detestatur: Ex qua diffinitione collige, quod ipsa operatio, seu actio causę efficientis est effectus causę finalis, & tunc temporis finis suam causalitatem exercet, quando agens actu operatur, vt finem adquirat.

Obserua secundo: Finem multipliciter diuidi: Primo, in finem *cuius gratia*, quem quidem agens alterius intendit, & in finē *cui*, & est ille, cui volumus finem cuius gratia; v. g. sanitas est finis cuius gratia Medicus medicamenta applicat, infirmus verò est finis cui; nam Medicus infirmo desiderat sanitatem. Secundo diuiditur finis; in finem qui est operatio: v. g. visio clara Dei, est finis Christiani; & in finem, qui est res operata, vt frenum est finis artis frenifactoriæ. Tertio diuiditur finis, in proximum, & remotum. Proximus est in quem proxime tendit agens: Remotus verò dicitur ille in quem finis proximus ex natura sua ordinatur v. g. calceamentum est finis proximus artis sutoris, & conseruatio pedum est finis remotus. Quarto diuiditur, in finem simpliciter, & in omni genere vltimum, & hic est solus Deus, & in finem vltimū in aliqua arte, & certo genere, vt in medicina sanitas, & in arte militari victoria. Quinto diuiditur finis in eum, qui præcedit operationem agentis, vt Deus, qui est finis Christiani, & diuitiæ, quæ sunt finis auari, & hic finis non appetitur, vt efficiendus, sed vt obtinendus, & fruendus; & in finem, qui non præcedit operationem, sed potius efficitur per ipsam, & hac ratione domus dicitur finis artis domifactoriæ.

Obserua tertio: Quod motio est duplex, alia est realis, & Physica actio, quæ est causalitas causæ efficientis, & alia est motio Methaphorica, & per translationem, quæ consistit in hoc, quod est mouere, & inclinare potentiam operantis ad modum obiecti, & hac motione dicitur communiter, quod obiectum præsens mouet potentiam.

Prima conclusio: Finis est causa per se entis naturalis, & Physici. Communis est conclusio, & ex his, quæ diximus supra disp. precedenti q. 2. probata manet,

Secunda conclusio: Causalitas finis est motio Methaphorica, qua mouetur, & inclinatur causa efficiens ad actualiter operandum. Communis est etiam inter Philosophos conclusio: Et probatur, ex communi

modo loquendi. Dicitur enim communiter, quod finis mouet, & impellit operantem ad operandum ; sed hoc non potest verificari de motione, & impulsu Physico, cum hæc motio sit causalitas causæ efficientis: ergo debet intelligi de motione Methaphorica.

Secundo probatur conclusio: Nam per istam motionem Methaphoricam constituitur finis in esse finis, & distinguitur ab aliis causis, vt constat ex his, quæ diximus de causalitate vniuscuiusque causæ : ergo hæc motio Methaphorica erit causalitas finis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Omnis causa est principium; sed finis nõ est principium, cum potius finis, & principium opponantur : ergo finis non est causa.

Respondetur negando minorem; quamuis enim finis in executione, & assecutione sit quid vltimum, nam finis est id, quod vltimo comparatur, & quo obtento quiescit agens; attamen in intentione, & apprehensione operantis finis est quid primum, & hac ratione habet rationem principij, & causæ. Ex hac Doctrina ortum habuit commune dictum Philosophorum ; *quod est primum in intentione, est vltimum in executione* : v. g. beatitudo est id, quod prius intendit Christianus, & simul est id, quod vltimo assequitur.

Secundum argumentum. Contra secundam, quod non est non potest mouere ; sed finis interdum non est quando causat, vt constat in ægroto, qui sumit potionem amaram, vt ad quirat sanitatem, quam non habet: ergo finis non potest mouere operantem, ac per consequens motio non erit causalitas finis.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera de motione Physica, non autem de motione Methaphorica, qualis est motio finis. His adde, quod licet finis dum mouet, & causat non existat secundum esse reale, existit tamen secundum esse apprehensum, est enim in apprehensione operantis, & hæc existentia sufficit ad rationem causæ formalis.

QVAESTIO XI.

Verum ratio formalis mouendi in fine sit apprehensio ipsius?

OBseruandum est; quod in fine, hæc tria reperiuntur. Primo, entitas ipsius finis, siue actualis, siue futura, siue possibilis, vel saltim imaginata. Secundo, reperitur bonitas, quæ talem entitatem concommittatur, siue sit bonitas vera, siue tantum apparens. Tertio inuenitur apprehensio ipsius finis, & bonitatis ipsius; nam agens apprehendit finem tanquam aliquod bonum sibi conueniens. Certum est, quod entitas finis est, quæ mouet voluntatem, seu inclinationem causæ efficientis ad operandum: Est tamen difficultas, quæ nam sit ratio formalis per quam talis enti-

entitas constituitur in esse finis mouentis, & inclinantis ipsam causam efficientem.

Prima conclusio: Apprehensio finis non est ratio formalis mouendi in fine. Ita Herueus quodlibet 2. q. 2. Ferrariensis 1. contra Gentes cap. 44. Soto q. 3. huius libri, & alij quamplures, quos refert, & sequitur Masius sec. 4. de causis q. 5. Ratione probatur; illa est ratio formalis finis per cuius assecutionem quiescit appetitus operantis; sed assecuta apprehensione finis non cessat appetitus operantis: ergo talis apprehensio non est ratio formalis constitutiua finis. Minor constat inductiue, non enim cessat appetitus Christiani assecuta apprehensione beatitudinis; neque appetitus auari assecuta apprehensione diuitiarum; & sic de alijs: ergo vera est minor.

Secundo probatur conclusio. Finis est obiectum appetitus; sed apprehensio non est obiectum appetitus, non enim infirmus v. g. desiderat sanitatem in esse apprehenso: ergo apprehensio non est finis, nec ratio constitutiua ipsius.

Secunda conclusio: Apprehensio finis est conditio sine qua non mouendi in fine. Probatur conclusio; nam causalitas finis est inclinare, & mouere appetitum operantis ad sui amorem, & assecutionem; sed non potest mouere, & inclinare appetitum operantis, nisi prius apprehendatur, & cognoscatur ab ipso: ergo talis apprehensio erit necessario requisita ad causalitatem finis: ergo cum non sit ratio formalis, vt constat ex conclusione præcedenti, erit conditio sine qua non. Confirmatur hæc ratio ex illo communi Philosophorum dicto, *nihil volitum, quin præcognitum*: ergo vt finis inclinet voluntatem, & appetitum operantis debet prius cognosci, & apprehendi.

Vltima conclusio: Bonitas, siue vera, siue apparens, est ratio formalis constitutiua finis in esse causæ finalis: Ita D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. vbi sic ait: *Obiectum voluntatis est finis, & bonum*, & quæst. 8 art. 1. probat, *quod voluntas tantum est boni*, & art. 2. affirmat, *quod ratio boni, est ratio obiecti voluntatis*. Ratione probatur; finis constituitur in esse finis; per hoc quod est mouere, & inclinare appetitum operantis; sed finis inclinat appetitum operantis, quatenus concipitur formaliter in ratione boni: ergo bonitas est ratio formalis mouendi in fine; minor constat ex illo communi dicto desumpto ex D. Dionisio: *Bonum est quod omnia appetunt, & nullum agens respiciens ad malum operatur*. D. etiam Tho. 3. lib. contra Gentes cap. 2. inquit: *Idem esse operari propter finem, & operari propter bonum*.

Secundo probatur conclusio: Ratio formalis mouendi in fine non est entitas ipsius finis, neque eius apprehensio, vt dictum est: ergo erit bonitas ipsius finis; nam non videtur quid aliud possit assignari.

CON-

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam : Finis non est causa secundum esse reale; nam, vt sic, potius est effectus, vt constat in domo, quæ est finis artis domifactoriæ, & efficitur ab ipsa arte : ergo habet rationem finis secundum esse apprehensum: ergo apprehensio erit ratio formalis mouendi in fine.

Respondetur negando, secundam consequentiam, nam etiam ignis calefacit aquam in quantum est applicatus ipsi, & tamen ista applicatio non est ratio formalis calefaciendi, sed conditio sine qua non: ita in præsenti dicendum est.

Secundum argumentum. Impossibile est, quod finis moueat operantem, nisi apprehendatur ab ipso : ergo apprehensio erit ratio formalis mouendi in fine.

Respondetur negando consequentiam; datur enim in simili forma antecedens verum, & consequens falsum, vt si dicas impossibile est, saltim naturaliter loquendo, quod ignis calefaciat, nisi applicetur calefactibili : ergo talis applicatio erit ratio formalis calefaciendi: Antecedens est verum, & consequens falsum; nam ad veritatem antecedentis sufficit, quod sit conditio sine qua non.

Tertium argumentum contra secundam. Conditio sine qua non, potest suppleri a Deo, sed neque per potentiam Dei absolutam potest fieri, quod finis moueat appetitum operantis, nisi apprehendatur ab ipso: ergo talis apprehensio non est sola conditio, sine qua non.

Respondetur negando absolute maiorem; nam etiam contactus, seu coniunctio agentis ad passum, est sola conditio sine qua non respectu actionis causæ efficientis, & tamen non potest suppleri â Deo : Impossibile enim est, quod ageus agat nisi sit immediate coniunctum cum passo, vel immediatione suppositi, vel saltim immediatione virtutis.

Quartum argumentum contra tertiam. Voluntas operantis multoties fertur in malum, vt constat manifeste in illis, qui mortaliter peccant: ergo ratio formalis mouendi in fine, nõ erit bonitas finis.

Respondetur negando antecedens; nam etiam his, qui mortaliter peccant habẽt pro fine bonum, non quidem bonum verum; sed bonum apparens, quod in rei veritate malum est. Hinc dicebat D. Dionisius 4. cap. de diuinis nominibus, *nemo propositio sibi malo facit, quæ facit.*

Dices: Inuidere alicui, est malum alicui velle, & de bono ipsius tristari : ergo saltim inuidus non operatua propter bonum; sed tendit in malum, sub ratione mali.

Respondetur negando consequentiam; nam inuidus desiderat alteri malum, & de bono alterius tristatur; quia propter prauam affectionem suæ voluntatis, aliena mala, bona sua esse arbitratur; ac per consequens etiam inuidus agit propter bonum.

QVAES-

QVAESTIO XII.

Vtrum natura in omni actione agat propter finem?

OBserua primo: Quod agere propter finem dupliciter contingit: Primo, propriè, qua ratione illud dicitur agere propter finem; quod per intellectum, & voluntatem se ipsum determinat ad aliquem finem: Secundo, impropriè, qua ratione dicitur aliquid agere ptopter finem; quia ab aliquo agente superiori ordinatur, & dirigitur in finem, & hoc propriè loquendo potius est agi in finem, quam agere propter finem.

Obserua secundo: Quod actiones, quæ fiunt ab homine sunt in duplici differentia: Aliæ dicuntur actiones humanæ, quæ procedunt à vuluntate deliberata cum finis cognitione, v. g. actus virtutis: Aliæ dicuntur actiones hominis, quæ quidem non fiunt cum deliberatione voluntatis, vt cum aliquis aliis rebus intentus, manum, vel pedem mouet, vel Barbabam fricat.

Prima conclusio: Natura, seu ens naturale, semper, & in omni actione agit propter finem. Hanc conclusionem proposuit, & probauit Arist. cap. 7. huius libri, & eam docent Theologi cum D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. & 2. Ratione probatur; nullum agens agit in incertum, sed potius instituit certum effectum producere; sed effectus determinatus, & certus producitur ex intentione finis determinata: ergo quodlibet agens agit propter determinatum finem. Hæc ratio D. Tho. est, videantur aliæ apud Arist. cap. 8.

Secunda conclusio: Sola agentia intellectualia agunt propriè propter finem: alia autem entia naturalia, impropriè, potius enim dicuntur: Agi in finem ab Auctore naturæ, qui est Deus. Hæc conclusio est explicatio præcedentis, & eam quo ad vtramque partem habet expresse D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 2. Ratione probatur agere propter finem propriè loquendo est se ipsum per intellectum, & voluntatem ad finem determinare; sed hoc solum potest conuenire agentibus intellectualibus, vt constat: ergo sola agentia intellectualia agunt propriè propter finem.

Secundo probatur conclusio: Agere propter finem, determinando se ipsum per intellectum, & voluntatem, est proprium illius naturæ, quæ cum dominio suarum actionum operatur; sed sola agentia intellectualia operantur, cum dominio suarum actionum: ergo solum agentia intellectualia agunt propriè propter finem: Minor probatur; agere cum dominio suarum actionum libertatem supponit; sed sola agentia intellectualia habent libertatem: ergo sola agentia intellectualia agunt cum dominio suarum actionum.

Tertio probatur: Vt aliquod agens agat propriè propter finem, se ipsum determinando, necesse est quod cognoscat proportionem medii rum, vide-

videlicet, quæ media conducant ad comparandum talem finem, & eligat huiusmodi media; sed hæc de solo agente intellectuali verificari possunt: ergo solum agens intellectuale agit propriè propter finem. Probatur minor; nam electio mediorum est actio intellectus, & voluntatis, & hinc est quod D. Tho. 1. 2. q. 13. art. 2. affirmat, *quod in Brutis non reperitur electio.* Dicendum est itaque, quod agentia naturalia, quæ non agunt per intellectum, & voluntatem eatenus dicuntur agere propter finem, quatenus à primo agente, & mouēte, quod est Deus Auctor naturæ ad aliquem finem ordinantur, & diriguntur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Qui agit propter finem cognoscit finem; sed multa dantur agentia naturalia, quæ finem nō cognoscunt: ergo multa dantur agentia naturalia, quæ non agunt propter finem: Probatur minor; nam plantæ, & omnia entia naturalia non viuentia nullam habent cognitionem finis.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera de agente naturali, quod agit propriè propter finem; nō verō de agēte naturali, quod agit improprié propter finē, non enim requiritur, quod ipsum cognoscat finē, sed sufficit, quod agens superius à quo mouetur, & dirigitur finem cognoscat.

Secundum argumentum: Multæ res naturales fiunt, quæ sunt nociuæ hominibus, vt animalia venenosa, terremotus, eclipses Solis, & Lunæ, & aliæ huiusmodi; sed ista non ordinantur ad aliquem finem: ergo omnes res naturales non fiunt propter finem.

Respondetur negando minorem: Non enim datur aliquod ens naturale, quod non sit ordinatum à Deo Auctore naturæ ad aliquem finē; nam animalia venenosa, valde interdum prodesse solent; quia ex eorum partibus saluberrima medicamēta multoties comficiuntur. Insuper terræ motus fiunt, vt homines territus signis sensibilibus Deum. Op. Max. reverearnur, & timeamus. Denique eclipses Solis, & Lunæ fiunt ab Auctore naturæ, vt dum hæc corpora mutationibus variis subiecta esse videmus, nullatenus eis Diuinos tribuamus honores, sicut Gentiles faciebāt. Possumus etiam dicere, quod omnia ista fiunt ab Auctore naturæ, vt sic magis eluceſcant alia opera naturalia, quæ his defectibus carent; nam oppositа iuxta se posita manifestiora redduntur.

Tertium argumentum: Actiones otiosæ dicuntur, quia fine carent; ergo datur actio, quæ non est propter finem.

Respondetur negando antecedens: Actiones enim otiosæ, non ideo otiosæ dicuntur, quia carent omni fine, sed quia non ordinantur ad debitum finem, & alicuius vtilitatis. De actionibus quæ fiunt ab homine, & dicuntur actiones humanis, dicendum est, quod in illis non agit propriè

prié homo propter finem, sed potius agitur in finem ab Auctore naturę, sicut bruta animantia in suis actionibus.

QVAESTIO XIII.

De casu, & fortuna.

RElicto Antiquorum Philosopho rum, & Poetarum figmento, qui fortunam, vt Deum quēdam venerabantur, quod nō solum fidei, sed etiā rationi naturali aduersatur; Nā fortuna teste Arist. est cœca, vt cōstat, variabilis, & interdum mala, & aduersa, quæ omnia diuinitati contrariantur, vt veram sententiam explicemus.

Obseruandum est primo; quod fortuna dupliciter vsurpatur. Primo pro bonis huius seculi, quæ vel à Parentibus, vel à natura tribuuntur. Huiusmodi sunt diuitiæ, generis nobilitas, exterior pulchritudo, & apta corporis dispositio, quæ omnia bona fortunæ nuncupantur. Secundo, sumitur fortuna pro causa per accidens, cui correspondet aliquis effectus præter intentionem operantis, & de fortuna in hac secunda acceptione agimus in præsenti.

Obseruandum est secundo: Quod casus, & fortuna non sunt aliquæ causæ separatæ à causis efficientibus per se particularibus; sed potius sunt realiter coniunctæ cum ipsis: v. g. Arans terram propter eiusdem terræ vtilitatem, si thesaurum inueniat, est causa fortuita inuentionis thesauri, & lapis cadens â tecto, & caput præter euntis percutiens dicitur causa casualis.

Obseruandum est tertio: Casum, & fortunam, vt colligitur ex Arist. sic diffiniri: *Fortuna est causa efficiens per accidēs in his, quæ fiunt propter finem cum electione, raroque contingunt.* Casus est *causa efficiens per accidēs in his, quæ fiunt propter finem, & raro contingunt.* Ex quibus diffinitionibus constat, casum, & fortunam distingui; quia fortuna solum reperitur in agentibus cum electione, videlicet in agentibus intellectualibus, nam sola illa agentia propriè eligūt; casus autem etiam in agentibus non intellectualibus reperitur. Dicitur autem in vtraque diffinitione *in his, quæ raro contingunt*; quia causæ â quibus procedunt effectus fortuiti, & casuales, non consueuerunt tales effectus producere, cum tales effectus eueniant præter intentionem operantis.

Ex qua Doctrina collige, quod respectu Dei non datur casus, vel fortuna, cum nihil præter Dei intentionem euenire possit, Deo enim omnia manifesta sunt, ac per consequens effectus, qui respectu creaturarum sunt fortuiti, & casuales, fuerunt à Deo op. Max. præuisi, & intenti, quam quidem Doctrinam explicat D. Tho. 1 p. q. 116. art. 1. aptissimo exemplo: si Dominus duos seruos habens, mittat prius vnum in forum, & post breue tempus, mittat & alterum, nesciente vno missionem alterius, tunc occursus illorum duorum

seruorum in foro fortuitus est respectu vniuscuiusque serui, quia est præter intentionem vtriusque; at verò respectu ipsius Domini, qui eos misit, & iam præuidit, qui futurus esset, nequaquam ille occursus fortuitus dicitur, sed potius per se intentus: Ita similiter quamuis respectu creaturarum dentur effectus fortuiti, non tamen respectu Dei, qui est supremus omnium creaturarum Dominus.

Sit conclusio: Casus, & fortunæ sunt causæ per accidens: Ita Arist. cap. 4. 5. & 6. sciendum est tamen pro intelligentia huius conclusionis. Quod dupliciter aliqua causa dicitur causa per accidens: Primo, ex parte causæ: Secundo, ex parte effectus: Causa per accidens, ex parte causæ est illa, *quæ per accidens coniungitur in ratione causandi cum causa per se*, & hac ratione Musicus est causa per accidens statuæ, quia accidit statuario esse Musicum, & aqua est causa per accidens calefactionis; quia accidit aquæ esse cõiunctam cum calore, qui est principium per se calefactionis: Causa per accidens ex parte effectus illa dicitur, *quæ ideo dicitur causa alicuius effectus, quia talis effectus per accidens coniungitur cum effectu per se ipsius causæ*, & hoc secundo modo dicuntur casus, & fortuna causæ per accidens: v. g. quando aliquis lapis ex alto descendens contrit caput prætereuntis; læsio talis capitis dicitur esse effectus casualis, & casu euenisse; quia causa à qua prouenit talis læsio, videlicet generans lapidem, est causa per se motus lapidis, per accidens autem est causa læsionis capitis, accidit enim descensui lapidis coniunctum esse cum tali læsione. Similiter fodiens terram, & Thesaurum inueniens, dicitur causa per accidens, & fortuna respectu inuentionis Thesauri; quia talis inuentio per accidens est coniuncta cum effectu, quem per se intendebat fodiens terram, videlicet cum fossione ipsius terræ: erunt igitur casus, & fortuna causæ per accidens ex parte effectus, modo explicato.

QVAESTIO XIV.

Vtrum detur fatum?

COnsueuere Philosophi hoc in loco de fatu disputare, vt sic, ita disputatio de Causis maneat omnibus suis numeris absoluta. Fatum igitur, vt colligitur ex D. Tho. 1. p. q. 116. art. 2. sic potest diffiniri: *Dispositio seu ordinatio causarum naturalium, secundum quam Diuina Prouidentia vnamquamque causarum disponit iuxta ipsius naturam*: Quam diffinitionem, vt intelligas nota, *quod ordinacio, seu dispositio causarum naturalium*: Potest considerari dupliciter: Primo, quatenus est in ipso Deo, & hac ratione vocatur, & est ipsa Dei prouidentia: Secundo, quatenus talis ordinatio reperitur in causis secundis ordinatis, & dispositis à Deo Auctore naturæ, & hac ratione vsurpatur ordinatio in prædicta diffinitione, & talis ordinatio appellatur fatum in ordine ad effectus, qui ex ta-

li ordinatione causarum secundarum. Dicitur præterea in prædicta diffinitione, *secundum quem Diuina prouidentia vnamquamque causarum disponit*, vt intelligamus, quod omnes effectus causarum naturalium, & dispositio earumdem causarum præscitur, & præuidentur à Deo. Dicitur denique, *iuxta ipsius naturam*; quia Diuina prouidentia, quæ omnia suauiter disponit accomodat se modo agenti, qui est connaturalis vnicuique causæ: Vnde relinquit causas contingentes, vt contingenter operentur, & necessarias necessario.

Ex dictis collige; quod fatum nihil aliud est: *Quam causæ secundæ ordinatæ à Deo, seu ordinatio causarum secundarum.* Ita D. Tho. 1. p. q. 116. art. 2. ad. 2.

Collige secundo: Quod fatum formaliter loquendo; est accidens quoddam â Deo productum impressum, & inhærens causis secundis quatenus à Diuina prouidentia sunt dispositæ, & determinatæ ad suos effectus producendos. Ita D. Tho. 1. p. q. 116. art. 2. ad. 3. & Boetius 4. de consolatione prosa 4. vbi inquit, *quod fatum est dispositio rebus mobilibus inharens*; quod autem inhæret accidens est. Ratione probatur: fatum est dispositio, seu ordo causarum, ordo est relatio, relatio est accidens: ergo fatum est accidens.

Collige Tertio: Ea solum subesse fato, quæ subduntur causis secundis, & naturalibus, & hinc est, quod creatio rerum, glorificatio spiritualium substantiarum, tum etiam Angeli, & anima rationalis, quantum ad illas actiones, quæ sunt omnino liberæ, nullatenus fato subduntur: vnde turpiter, & audacter decipiuntur, aliqui Astrologi, qui ex Cœlorum influentiis cõantur præuntiare, & prædicere ea, quæ omnino pendent â nostra libertate.

Sit conclusio: fatum, modo explicato, necessario concedendũ est. Cõmunis est conclusio, inter omnes Theologos, & Philosophos, & ex dictis satis constat, maxime éſi quidem commendat, & extollit Dei omnipotentiam, & prouidentiam, hæc ordinatio, & dispositio causarum naturalium, quæ fatum nuncupatur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. D. Aug. 5. de Ciuitate Dei cap. 8. & 9. inquit *ipsa Dei voluntas, vel potestas fati nomine appellatur*; sed voluntati, & potestati Dei omnia subduntur: ergo etiam omnia subduntur fato.

Respondetur cum D. Tho. 1. p. q. 116. art 2 ad 1. quod fatum essentialiter est dispositio, series, & ordo causarum secundarum; quia vero hic ordo non habet rationem fati nisi secundum quod dependet à Deo: hinc est quod Dei potestas, & voluntas causaliter potest dici fatum, & hac tatione vsurpat fatum D. Augusti.

Secundum argumentum. D. Gregorius in Homilia Epiphaniæ, & D. Aug. 5. de Ciuit. Dei, dicũt *nefas esse concedere fatũ*: ergo falsa est cõclusio.

Respondetur: Quod antiqui Philosophi lumine fidei destituti, nimis in explicanda, & intelligenda natura fati errauerunt; Dicebant enim fatum esse quamdam ineuitabilem necessitatẽ in Astrorum virtute positam non subordinatam Deo, sed potius ipsi ignotam. Sancti igitur Patres Gregorius, August. & alij reprehendunt, & negant fatum ea ratione, qua ab Antiquis Philosophis admittebatur. At verò fatum, vt â nobis explicatum est, non tolit, sed extollit potius scientiam, & prouidentiam Dei op. Max. cui sit sempiternus honor in seculorum secula amen.

LIBER

LIBER TERTIVS PHYSICORVM

POSQVAM egimus cum Arist. de principijs intrinsecis rei naturalis, videlicet materia, & forma, & de extrinsecis, videlicet, de efficiente, & fine. Tum etiam de radice proprietatum Physicarum, quæ est natura. Incipit iam in præsenti Arist. de ipsius proprietatibus Physicis disputare, & in hoc libro agit de motu, & de infinito: suntque huius libri capita octo.

CAP. I.

De motu.

DVo præstat in hoc cap. Arist. Sui instituti rationem reddit, in prima eius parte. Et quædam necessaria ad intelligendam naturam motus proponit in secudda. Docet igitur in primis Arist. ad Philosophū naturalem spectare disputationē motus; nam ad Physicum spectat agere de natura: ergo etiam ad Physicum spectat agere de motu. Probatur consequentia; nam ignorato motu ignoratur etiam natura, cum natura diffiniatur per motum.

D

Docet secundo: Disputationem de infinito etiam spectare ad Physicum; nam motus est quid piam continuum, continuum autem est illud, quod potest diuidi in infinitum: ergo cum ad Physicum spectet agere de motu, ad ipsum etiam spectabit agere de infinito. Eodem argumento probat, quod ad Physicum spectat agere de loco, vacuo, & tempore, nã omnis motus fit in loco, & vt Veteres Philosophi volebant etiam in vacuo; tũ etiam omnis motus mensuratur tempore: ergo Phỹsicus ad quem spectat agere de motu, disputare etiam debet, de loco, vacuo, & tempore. De his ergo omnibus disputat Arist. de motu, & infinito in hoc libro, de loco autem, vacuo, & tempore, in sequenti.

In secunda parte capitis tres diuisiones, & vnicam propositionem vniuersalem proponit: Prima diuisio est, eorum, quæ sunt; quædam sunt in actu tantum; quædam in potentia tantum; quædam denique partim in actu, & partim in potentia: v. g. Ignis est calidus in actu tantum; nam eius calor non potest intendi, cum sit calor summus. Aqua solum est calida in potentia, Lignum denique, dum actu calefit, partim est in actu, & partim in potentia; quia habet aliquem gradum caloris, & alius restat ei adquirendus.

Secunda diuisio est entis in decem prædicamẽta, substantiam videlicet, quantitatem, &c.

Tertia diuisio est relatorum, quorũ alia dicuntur per superabundantiam, & defectum, vt duplum, & dimidium: alia verò secundum actiuum, & passiuum, vt mouens, & mobile. Propositio vniuersalis est: *Motus non est præter eas res ad quas est motus*, idest non constituit specialem Cathegoriam distinctam ab illis prædicamentis, circaque versatur, sed pertinet ad naturam eorum. Vnde tot sunt genera motus, quot sunt genera rerum ad quæ datur motus: cũ ergo ista sint quatuor, videlicet substantia, quantitas, qualitas, & vbi, quatuor etiam erunt genera motuum, videlicet, generatio, & corruptio, quæ versantur circa substantiã: augmentatio, & diminutio, quæ terminantur ad quantitatem: alteratio, ad qualitatem: & motus localis, ad vbi.

CAPVT II. & III.

Quid sit motus?

PRopositis in præcedenti capite his, quæ ad diffinitionem motus intelligendam necessaria erant: Sic in præsenti motum diffinit Arist. *actus entis*

entis in potentia, vt ens in potentia, quam diffinitionem per singulas particulas exponit, & in capite 3. sequenti eandem vlterius explanat probans motum non esse in mouente, sed in mobili tanquam in subiecto, motus enim est actus mobilis: v. g. calefactio est actus aquæ, quæ calefit. Docet etiam actionem, & passionem esse idem secundum rem: idem enim motus est actio, vt procedit ab agente, & est passio, vt recipitur in passo. Omnia scitu digna, quæ ab Arist. in his capitibus edocentur in sequenti disputatione explicabuntur.

DISPVTATIO DE MOTV.

QVESTIO PRIMA.

Vtrum motus optimè diffiniatur ab Arist. actus entis in potentia, vt est in potentia?

OBseruandum est primo: Quod actus est duplex: Alius, perfectus, qui in suo genere omnino actuat subiectum in quo est, ita vt non relinquat in ipso subiecto potentiam ad vlteriorem perfectionem in illo genere adquirendam: v. g. calor summus, videlicet. Calor, vt octo est actus perfectus ignis, & quælibet forma substantialis nexittens est actus perfectus materiæ: Alius est actus imperfectus, qui non actuat omnino subiectum, sed relinquit ipsum, vlterius actuabile in illo genere. Præterea actus imperfectus duplex etiam est: Alter, qui non constituit subiectum formaliter in actu perfecto in illo genere, neque ordinat ipsum subiectum ad vlteriorem perfectionem: v. g. calor remissus in aqua exi-

existens, dum iam aqua non calefit: Alius est actus imperfectus ordinans formaliter subiectum in quo est, ad vlteriorem perfectionem, & talis est motus: v. g. calefactio in aqua recepta.

Obseruandum est secundo: Quod etiam potentia est duplex: Alia actiua â qua aliquid denominatur agens, seu actiuum, & alia passiua â qua aliquid denominatur passum.

Sit conclusio: Optime diffinitur motus, ab Arist: *Actus entis in potentia, vt est in potentia*; Dicitur, *actus*, non perfectus, sed imperfectus ordinans formaliter subiectum, quod actuat ad vlteriorem perfectionem. Dicitur, *entis*, ideſt ipsius mobilis, motus enim non est tanquam in subiecto in ipso mouente, sed in ipso mobili: v. g. calefactio non est in igne calefaciente, sed in aqua, quæ calefit. Dicitur, in *potentia*, quod intelligendum est de potentia passiua. Mobile enim id dicitur, quod habet potentiam passiuam, vt moueatur. Additur tandem, *vt est in potentia*; quia motus ita actuat mobile, vt simul relinquat, & constituat ipsum in potentia proxima ad vlteriorem perfectionem eiusdem formę adquirendam: v. g. calefactio actualis constituit aquam cui inhæret in potentia proxima, & in via ad vlteriorem calorem adquirendum. Hæc diffinitio sic explicata ab omnibus Philosophis admittitur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Actus, & potentia opponuntur: ergo non possunt eidem rei conuenire: ergo inepte diffinitur motus, per actũ, & potentiam.

Respondetur distinguendo antecedens: Est enim verum de actu perfecto, non autem de actu imperfecto, qualis est motus, hic enim actus simul actuat subiectum, & constituit ipsum in potentia, ad vlteriorem perfectionem.

Secundum argumentum. Hæc diffinitio conuenit formæ substantiali; sed forma substantialis non est motus: ergo conuenit aliis â diffinitio. Probatur antecedens; nam forma substantialis est actus materiæ primæ, quæ est ens in potentia, & actuat ipsam materiam in quantum est in potentia, vt actuetur: ergo forma substantialis est actus entis in potentia, vt est in potentia.

Respondetur negando antecedens; probationi dicimus: Quod forma substantialis non constituit materiam primam in potentia proxima ad vlteriorem perfectionem recipiendam: Ac per consequens non est actus entis in potentia, vt est in potentia modo explicato in conclusione; non enim materia prima, quæ est in homine v. g. constituitur in potentia proxima, ad recipiendam formam cadaueris, per ipsam formam substantialem hominis, alioquin, quandui materia prima informatur.

matur forma hominis esset in potentia proxima ad formam cadaueris, quod est absurdum.

Dices: Forma embrionis, quæ vere est forma substantialis actuat ipsam materiam primam constituendo ipsam in potentia proxima ad formam hominis recipiendam, non enim materia prima potest informari forma hominis, quin prius informetur forma embrionis: ergo datur aliqua forma substantialis, quæ constituit subiectum in potentia proxima ad vlteriorem perfectionem.

Respondetur negando antecedens; nam licet forma embrionis, quodammodo constituat materiam primam in potentia remota ad recipiendam formam hominis, quemadmodum calor, vt quatuor constituit aquam quodammodo in potentia remota ad calorem, vt quinque; non tamen constituit ipsam in potentia proxima ad talem formam; hoc enim solum conuenit generationi substantiali ipsius hominis, quæ formaliter loquendo est via, & adquisitio talis perfectionis, videlicet perfectionis hominis.

QVAESTIO II.

Vtrum predicta diffinitio omni motui conueniat?

OBseruandum est: Quod motus est multiplex: Alius est naturalis, qui habet principium in natura rei, quæ mouetur, vt descensus lapidis, & ascensus ignis; Alius arte factus, qui habet principium in arte, non quantum ad substantiam, sed quantum ad modum, vt motus saltationis artificiosæ: Alius est motus violentus, qui est contra naturam rei, quæ mouetur, vt ascensus lapidis: Alius est instantaneus, qui videlicet in instanti efficitur, vt generatio substãtialis: Et Alius successiuus, qui fit successiue, & in tempore, vt calefactio aquæ.

Prima conclusio: Diffinitio motus adducta ab Arist. & explicata â nobis quæstione præcedenti, conuenit omni motui successiuo, siue sit naturalis, siue artificialis, siue violentus. Probatur conclusio: In primis Auctoritate Arist. qui cap. 2. post quam tradit diffinitionem motus, ad hibuit exemplum in motu artificiali, videlicet, in ædificatione. Ratione probatur; nam omnis motus successiuus est actus imperfectus subiecti mobilis, constituens ipsum in potentia proxima ad vlteriorem perfectionem in illo genere: ergo vera est conclusio: antecedens potest probari inductiué.

Secunda conclusio: Prædicta diffinitio etiam conuenit motibus instãtaneis, videlicet generationi, & corruptioni substantiali. Ita D. Tho. cap. 2. huius libri, & Arist. qui cum explicaret diffinitionem motus ad ducit exemplum in generatione. Et non est admittenda solutio aliquorum dicentium; quod Arist. nomine generationis intellexit alterationem, quæ præcedit ipsam generationem substantialem. Hæc, in quam, solu-

tio non est admittenda ; nam Arist. post quam proposuit diffinitionem motus adduxit exempla, & in particulari fecit mentionem, de alteratione: Signum igitur est, quod nomine generationis intellixit mutationem ab alteratione distinctam. Ratione probatur ; generatio substanrialis: v. g. est actus imperfectus materiæ primæ , quæ est in potentia ad formam introducendam, & formaliter constituit ipsam materiam primam in potentia prixima ad talem formam ; nam ipsa generatio est productio formæ, vel totius compositi, & via ad ipsum: ergo prædicta diffinitio motus conuenit generationi substantiali, & idem argumentum, de qualibet alia mutatione instantanea fieri potest.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam. Prædicta diffinitio non conuenit motui circulari Cœlorum: ergo non conuenit omni motui successiuo. Probatur antecedens; Cœli non sunt in potentia , ad vlteriorem perfectionem , neque per motum circularem perficiuntur : ergo motus circularis Cœlorum non est actus entis in potentia , quatenus in potentia : Ac per consequens, prædicta diffinitio , non conuenit motui Cœlorum.

Respondetur negando antecedens; probationi negatur etiam antecedēs; nam quamuis Cœli, (& idem dicendum est, de qualibet re, quæ circulariter mouetur) non adquirant secundum se totos aliquam nouam perfectionem ; nam secundum se totos, non mouentur, sed perseuerant in eodem loco, adquirunt tamen nouam perfectionem secundum partes, videlicet, nouum vbi, & nouum locum: Itaque pars Cæli existens modo in oriente est in potentia, vt moueatur ad occidentem, & dum ab oriente, ad occidentem mutatur nouum vbi, & nouam perfectionem adquirit.

Secundum argumentum. Ille motus diffinitur in prædicta diffinitione, qui habet principium in natura; sed solus motus naturalis habet principium in natura: ergo prædicta diffinitio solum conuenit motui naturali, non autem motui arte facto, & violento, qui quidem non habent principium in natura. Probatur maior solum ille motus diffinitur ab Arist. cuius cognitio conducit ad cognoscendam naturam, & quo ignorato, ignoratur etiam natura: ergo solum diffinitur ille motus, qui habet principium in natura.

Respondetur negando maiorem; probationi negamus antecedens; nam quamuis Arist. principaliter disputet de motu naturali, qui quidem habet principium in natura, nihilominus tamen, vt magis cognoscatur motus naturalis tradit in hoc libro diffinitionem communem omni motui conuenientem; nam vt perfecte cognoscatur, quid sit motus naturalis prægnoscendum est quid sit motus in communi.

Ter-

Tertium; contra secundam: De ratione motus diffiniti in prædicta diffinitione est, quod ita actuet subiectum, vt simul relinquat ipsum in potentia proxima, ad vlteriorem perfectionem; sed quod fit in instanti, non constituit subiectum in potentia ad vlteriorem perfectionem: ergo prædicta diffinitio non conuenit motui instantaneo. Probatur minor; quod fit in instanti, non est partim in actu, & partim in potentia, cum instans sit omnino indiuisibile, nullas habens partes: ergo quod fit in instanti, non dicit ordinem ad vlteriorem perfectionem.

Respondetur negando minorem; probationi dico, quod licet terminus mutationis instantaneæ totus simul adquiratur in instanti indiuisibili temporis: Attamen in hoc instanti temporis duo instantia naturæ distinguuntur, in quorum primo intelligitur subiectum actuatum imperfecte per mutationem instantaneam, & in potentia proxima ad recipiendum actum perfectum, in altero verò instanti naturæ intelligitur cum actu perfecto: ex quo constat, quod etiam mutatio substantialis; v. g. generatio leonis, est actus entis in potentia, quatenus in potentia.

Quartum argumentum: in diffinitione motus, nomine entis intelligitur totum compositum naturale, & est sensus diffinitionis: motus est actus totius compositi; sed generatio substantialis, nō est actus totius compositi naturalis, sed solius materiæ primæ: ergo prædicta diffinitio non conuenit generationi substantiali.

Respondetur negādo absolute maiorem; nam nomine entis in diffinitione motus, non solum intelligitur totum compositū naturale, sed quodlibet ens, quod est subiectum motus, & diffinitio facit hunc sensum, motus est actus mobilis. Cōstat hæc Doctrina; nam motus alterationis, vel motus localis, quo mouetur quantitas panis in Sacramento Altaris, verè, & propriè est motus Physicus, & tamen talis motus non est actus totius compositi, cum ibi non detur aliquod compositum naturale, quod possit actuari per talem motum, sed solū subiectatur talis motus in quantitate.

Dices: Motus diffiniri debet per subiectum â quo profluit; sed motus profluit â toto composito naturali: ergo nomine entis in diffinitione motus, intelligitur totum compositum.

Respondetur negando maiorem: Sufficit enim quod diffiniatur per subiectum in quo recipitur, hoc autem non solum est totum compositum, sed etiam partes, & accidentia. His adde, quod etiam motus profluit saltim tanquam à principio *quo* à materia, & forma, quæ non sunt tota cōposita, sed partes.

Quintum argumentum: Corruptio, quæ propriè est motus naturalis, non est actus entis, sed potius est destructio actus, neque constituit subiectum in quo est in potentia ad aliquam perfectionem, cum terminus corruptionis, non sit aliqua perfec-

ctio, sed non esse: ergo diffinitio motus, non conuenit corruptioni.

Respondetur distinguendo antecedens: Duplex enim est corruptio substantialis: alia est quidam motus positiuus, cuius terminus est quid positiuum, videlicet forma substantialis, quatenus stat sub talibus dispositionibus, & huic corruptioni conuenit diffinitio motus, non enim est destructio actus, sed potius terminatur intrinsicè ad aliquem actum positiuum, & constituit subiectum in potentia proxima ad aliquã perfectionem: Alia corruptio est mutatio instantanea, de esse ad non esse, & hæc corruptio non est motus, neque mutatio nisi improprie, cum non habeat terminũ positiuum, sed est terminus extrinsecus corruptionis positiuæ.

QVAESTIO III.

Vtrum motus, & terminus realiter distinguantur?

OBseruandum est, duplicem esse terminum motus: Alius est terminus â quo, à quo videlicet incipit motus: Alius est terminus ad quem, qui per motũ producitur, vel adquiritur; v. g. quando aqua ex frigida efficitur calida, frigiditas est terminus â quo calefactionis: calor verò productus in aqua est terminus ad quem. Præsens quæstio solum procedit de termino ad quem, certũ enim est, quod terminus â quo, & motus; v. g. frigiditas, & calefactio, realiter distinguntur.

Prima conclusio: Motus non distinguitur realiter, vt res â re â suo termino ad quẽ. Communis est conclusio inter Thomistas, & colligitur ex Arist. qui cap. 2. huius libri ait, *quod motus nihil aliud est præter eas res ad quas est motus*, sed res ad quam est motus, est terminus ad quẽ: ergo secundum Arist. motus nihil aliud est præter terminum ad quem. Ratione probatur; non sunt multiplicandæ entitates, ac realitates absque ratione, & causa; sed nulla sufficiens ratio conuincit, motum, & terminum ad quem esse distinctas realitates, & entitates: ergo motus, & terminus sunt eadem entitas, & realitas; ac per consequens non distinguntur realiter, vt res à re: Minor constabit ex solutionibus argumentorum: Aliæ rationes solent adduci pro ista conclusione, quæ nullius sunt roboris, sed multa falsa concludant.

Secunda conclusio: Motus, & terminus ad quem distinguntur realiter formaliter. Probatur; nam habent distinctas diffinitiones, & essentias, & multa verificantur de vno, quæ de alio verificari nequeunt, vt constabit ex quarto argumento.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam. Causa, & effectus distinguntur realiter tanquam res â re; sed motus est causa efficiens termini: ergo motus, & terminus distinguntur realiter, vt res â re. Probatur minor; nam per motum producitur terminus:

nus: ergo motus est causa efficiens termini.

Respondetur negando minorem; probationi negamus consequentiam, motus enim, non est causa producēs, sed ipsa productio termini; v. g. calefactio non est causa efficiens caloris (hæc enim est ignis, vel Sol calefaciens) sed est productio ipsius caloris, & causalitas, seu influxus, quo ignis, vel Sol constituitur actu calefaciens.

Secundum argumentum. Si motus, & terminus essent idem realiter fieret consequens, quod motus naturalis, & violentus, tum etiam duo motus contrarij, vel etiam motus circulari, & rectus, essent idem realiter inter se; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur sequela; motus naturalis, & violentus possunt terminari, ad eundem terminum: ergo possunt idemtificari realiter cum eodē termino; sed quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: ergo motus naturalis, & violentus erunt idem realiter interse: Et idem argumentum potest fieri de motu circulari, & recto, & de duobus motibus contrarijs. Probatur antecedēs; potest euenire, quod lapis descendēs ab alto, & alius lapis ascendens ex loco infimo percutiant se ad inuicem in medio aëre, terminaturque motus vtriusque lapidis in eo *loco*, in quo se feriunt: ergo ascensus lapidis, & descensus lapidis possunt habere eundem terminum; sed descensus lapidis est motus naturalis: Ascensus verò est motus violentus, suntque duo motus contrarij: ergo motus naturalis, & violentus, tum etiam duo motus contrarij, possunt habere eundem terminum.

Respondetur negando sequelam; probationi negatur antecedens; nam quamuis motus naturalis, & violentus, vel etiam duo motus contrarij, possint terminari ad eundem locum, vt optimè probat argumentum: non tamen ad eundem terminum intrinsecum, & ratio est; quia terminus intrinsecus motus *localis*, non est *locus*, sed vbi, quod relinquitur, ex adiacentia loci; nam nullus datur motus, qui non sit productiuus sui termini: ac per consequens *illud* erit terminus motus *localis*, quod adquiritur, & producitur per talem motum, sed per motum *localem* non producitur locus, imo necessario præsupponitur motui: ergo terminus intrinsecus motus *localis*, non est *locus*, sed vbi, & iste terminus multiplicatur realiter ad multiplicationem motuum. Vnde quamuis motus naturalis, & violentus possint habere eundem terminum extrinsecum, videlicet eundem locum, non tamen possunt habere eundem terminum intrinsecum; nam vbi, quod est terminus lapidis descendentis distinguitur realiter, vt res â re ab vbi lapidis ascendentis.

Tertium argumentum. Si motus esset idem realiter cum suo termino, sequeretur, quod idem numero motus semel transactus, & destructus posset naturaliter redire, & reproduci; sed hoc est falsum: ergo, & illud

ex

ex quo sequitur. Probatur sequela; nam contingit idem mobile moueri multoties, ad eundem locum: ergo ad eundem terminum: ergo motus, qui fit hodie, & qui fiet cras possunt terminari ad eundem terminum, cũ possunt terminari ad eundem locum: Si autem idemtificantur realiter cum termino, etiam idemtificabuntur interse iuxta illud communiter dictũ, quæ sunt eadem vni tertio, &c: ergo motus qui fit hodie poterit etiam cras reproduci.

Respondetur negando sequelam; probationi dicimus iuxta Doctrinã solutionis præcedentis, quod motus, qui fit hodie, & qui fiet cras possunt habere eundem terminum extrinsecum, & habent de facto si terminantur ad eundem locum; non autem eundem terminum intrinsecum; nam vbi, quod ad quiritur hodie distinguitur realiter, vt res â re ab vbi, quod adquiretur cras. Solum igitur probant hoc, & præcedens argumentum, quod motus localis, non idemtificatur realiter cum termino extrinseco: In conclusionibus autem determino intrinseco fit sermo.

Quartum argumentum. Multa verificantur de motu, quæ non possunt verificari, de termino, & è contra: ergo motus, & terminus distinguntur realiter, vt res â re. Probatur antecedens; motus est adquisitio termini, actus imperfectus, & non collocatur directe in aliqua Cathegoria; terminus verò ad quem ipsius motus, non est adquisitio termini, multoties est actus perfectus, vt calor vt o-

cto; collocaturque directe in Cathegoria: ergo multa verificantur de motu, quæ non verificantur de termino, & è contra.

Respondetur negando consequentiam: Solum enim probat, quod motus, & terminus distinguntur realiter, non autem, quod distinguntur realiter, vt res â re; Certe multa verificantur, de Logica docente, quæ non verificantur de Logica vtente, & multa prædicantur de actione, quæ non conueniunt passioni, & tamen Logica docens, & vtens, tum etiam actio, & passio solum distingũtur realiter formaliter, vt diximus in Logica.

Quintum argumentum. Quæ possunt separari realiter, distinguntur realiter vt res, â re; sed terminus potest esse realiter sine motu, adquisito enim termino cessat motus: ergo motus, & terminus realiter distinguntur.

Respondetur negando maiorem, ad hoc enim, vt vnum possit esse realiter sine altero, sufficit distinctio realis formalis, vt sæpius diximus, fundamentum enim potest esse sine relatione: v. g. albedo sine similitudine, & tamen in sententia Aliquorum relatio, & fundamentum solum distinguntur formaliter, & manus potest esse realiter, sine hac numero figura, & tamen hæc numero figura non distinguitur realiter, vt res â re â quantitate manus.

Vltimum argumentum. Motus idemtificatur realiter cum mobili; sed mobile distinguitur realiter, vt

res

res à re ab ipso termino : ergo etiam motus distinguitur realiter, vt res à re à termino.

Respondetur, quod mobile, seu subiectum in quo recipitur motus, duplex est, aliud est proximum, & immediatum ; aliud verò est remotum, & mediatum ; subiectum proximum, & immediatum cuiuslibet motus accidentarij, est quantitas rei, quæ mouetur, subiectum verò radicale, & remotum, est substantia rei, quæ mouetur. Dixi : *Motus accidentarij* ; nam motus substantialis: v. g. generatio leonis immediate est in substantia, videlicet in materia prima.

Hoc posito negamus absolute maiorē argumenti; nam in primis loquendo de motu substantiali falsa est, hæc enim non identificatur realiter cum suo subiecto, videlicet cum materia prima. Insuper loquendo de motu accidentario etiam est falsa ; nam nullus motus accidentarius identificatur cum mobili remoto, videlicet cum substantia, vt satis constat. Si verò loquamur de mobili proximo, videlicet de quantitate, omnis motus distinguitur realiter ab ipso, excepto locali ; nam motus localis identificatur realiter cum quantitate rei, quæ mouetur.

Dices : ergo saltim loquendo de motu locali erit falsum dicere, quod motus identificatur realiter cum suo termino. Probatur consequentia : motus localis realiter identificatur cum quantitate, sed quantitas distinguitur realiter ab vbi : ergo etiam motus localis distinguitur realiter ab vbi, quod est terminus ipsius motus.

Respondetur negando consequentiam; probationi negatur minor; nam quantitas rei, quæ mouetur localiter, motus localis, & vbi, realiter sunt idem, & solum distinguuntur formaliter. Hinc quando quantitas in Sacramento Altaris mouetur motu locali, tunc mobile, motus, & terminus, sunt vna, & eadem entitas.

QVAESTIO IV.

Vtrum motus collocetur in aliqua determinata Cathegoria?

ANimaduertendum est primo; quod motus dupliciter vsurpari potest : Primo, in communi, quatenus, videlicet complectitur quamlibet mutationem, siue instantaneam, siue successiuam, qua ratione agit Arist. de motu in hoc libro, & in post prædicamentis, Capite de speciebus motus : Secundo, vsurpatur motus in particulari ; pro motu successiuo, qui tempore mensuratur, & distinguitur à mutatione instantanea, in quo sensu disputat Arist. de motu infra libro 5. vbi docet, *quod ad substantiam non datur motus.*

Notandum est secundo ; quod in quolibet motu, quatuor ista reperiuntur. Videlicet, mouens: id est id quod mouet. Secundo mobile ; id est id quod mouetur. Tertio forma, seu terminus per motū productus. Quarto denique fluxus, seu adquisitio ipsius

sius formæ, & termini, & in hoc fluxu consistit ratio formalis motus. In hac autē numero entitate, & realitate motus conueniūt actio transiens, Passio, motus, & terminus. Si enim fluxus, & adquisitio formæ consideretur, vt procedit á mouente, & agente dicitur actio: Si verò vt recipitur in passo, seu mobili est passio: Si consideretur, vt est quid productum est terminus: Et denique si vsurpetur formaliter, vt est adquisio termini appellatur motus: Ex quo constat, quod ista quatuor, actio, passio, motus, & terminus, entitatiuè, & materialiter sunt idem, quamuis formaliter, & essentialiter distinguantur.

Obseruandum est tertio; quod in motu successiuo, triplex reperitur extensio partium: Aliam habet á subiecto cui inhæret, accidentia enim extenduntur ad extensionem subiecti in quo sunt: Aliam habet ratione termini, ad quem terminatur; nam cum terminus habeat latitudinem motus, etiam qui est adquisitio talis termini, latitudinem, & extensionem habebit: Aliam denique habet extensionem ratione temporis in quo fit, & á quo mensuratur; pars enim motus correspondet parti temporis.

Prima conclusio: Motus non pertinet, nec collocatur directe, & per se in Cathegoria quantitatis. Ita Arist. qui 5. Metaph. cap. 13. affirmat, quod *motus est quantus per accidens*: ergo non pertinet per se, & directo ad Cathegoriam quantitatis: alioquin, etiam substantia, & albedo, collocarentur in Cathegoria quantitatis, cum sint quanta, & extensa per accidens, videlicet ratione quantitatis. Ratione probatur; quod est quantum per se, ex se habet partium extensionem, hæc enim est essentia quantitatis; Sed motus non habet ex se partium extensionem: ergo non est per se quantus; neque per se collocatur in Cathegoria quantitatis. Probatur minor; nam motus solum habet partium extensionem, vel ratione subiecti cui inhæret, vel ratione termini, quem producit, vel ratione temporis, á quo mensuratur, vt diximus in tertia obseruatione: ergo non ex se, sed ratione alterius, habet extensionem, & latitudem partium.

Secunda conclusio: Motus non collocatur directe in Cathegoria actionis, vel passionis. Probatur, illud collocatar directe in aliqua Cathegoria, cui conuenit per se, & essentialiter ratio formalis constitutiua talis Cathegoriæ; sed motus non est essentialiter actio, vel passio, sed potius essentialiter distinguitur ab illis: ergo motus non collocatur directe in Cathegoria actionis, vel passionis. Probatur minor, nam actio essentialiter considerata in ratione actionis, solum respicit agens, est enim motus, vt ab agente; passio autem solum dicit respectum ad passum, at verō motus essentialiter est via, & tendentia ad terminum, & adquisitio ipsius: ergo motus essentialiter distinguitur ab actione, & passione.

Tex-

Tertia conclusio: Motus siue successiuus, siue instantaneus, reducitur ad Cathegoriam sui termini; v.g. augmentatio, quæ est motus ad quantitatem, ponitur reductiuè in Cathegoria quantitatis, & generatio substantialis reducitur ad Cathegoriam substantiæ. Iuxta sensum huius conclusionis interpretantur D. Tho. & alij Philosophi illam propositionem Arist. adductam cap. 1. *motus, nihil aliud est præter rem ad quam est motus.* Ratione probatur; omne imperfectum, & omnis potentia reducitur ad Cathegoriam sui perfecti, & sui actus; sed motus est actus imperfectus, & potentia respectu termini; est enim via, & adquisitio ipsius: ergo motus reducitur ad Cathegoriam sui termini, in nulla autem Cathegoria collocatur directe, cum ex natura sua sit ens incompletum, & imperfectū.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra primam. Motus habet ex se extensionem partium distinctam ab extensione partium, quam habet terminus, & subiectum motus: ergo motus ex se est quantus, & collocatur in Cathegoria quantitatis. Probatur antecedens; extensio partium motus est successiua, extensio autem termini, & subiecti est permanens: ergo motus habet ex se propriam extensionem partium.

Respondetur negando consequentiā: Probationi distinguimus antecedens; si enim intelligatur de motu in communi cōsiderato falsum est; nām motus in communi non dicit essentialiter successionem: si verò intelligatur de motu successiuo verum est antecedēs: hanc autem successionem habet motus ratione termini, qui est successiuè adquisibilis, & etiam ratione tēporis à quo talis motus mensuratur.

Secundum argumentum, contra secundam: Actio est actus agentis secundū, quod est in potentia ad agendum: ergo actio essētialiter est actus entis in potentia, vt est in potentia; sed hæc est diffinitio motus: ergo motus, & actio essentialiter sunt idē: ac per consequens spectant ad eandem Cathegoriam.

Respondetur distinguendo antecedens: actio enim est actus agentis, vt est in potentia actiua, at verò motus constituit mobile in potentia passiua ad vlteriorem gradum: ac per consequens est dispar ratio, de actione, & motu.

Respondetur secundo, negando antecedens: Actio enim non constituit agens in potentia, sed potius in actu secundo; nam actio non est potentia, sed actus secundus opetantis.

Tertium argumentum: Ratio formalis constitutiua passionis conuenit motui: ergo motus directe collocatur in Cathegoria passionis: Probatur antecedens; nam Arist. tex. 22. sic diffinit passionem: *actus patientis, vt patiens est.* Motus autem sic ab eodem Arist. diffinitur, *actus mobilis, vt mobile est*, quæ quidem diffinitiones idemtificari videntur; nam mob-

le, & passum idem sunt: ergo ratio formalis constitutiua passionis conuenit motui.

Respondetur negando antecedēs, probationi dicimus: quod patiens, & mobile maxime distinguntur; nam quamuis omne mobile ut patiens, nō tamen ē conuerso, nam patiens solum modo dicit hoc quod est recipere aliquam formam; at verō mobile non solum dicit id quod recipit aliquā formam, sed addit hoc, quod est moueri ad vlteriorem gradum in illo genere adquirendum: Itaque passio solum respicit passum illud actuando, motus verō actuat mobile, & simul constituit ipsum in potentia proxima, ad vlteriorem perfectionem, cum sit formaliter via, & adquisitio termini.

QVAESTIO V.

Vtrum motus sit attributum essentiale respectu actionis, & passionis?

SIt conclusio negatiua: Motus, nō est attributum commune essentiale actionis, & passionis. Probatur; nam attributum commune, & vniuersale, realiter multiplicatur in suis inferioribus, quorū est attributum; sed motus nō multiplicatur in actione, & passione: ergo non est attributum vniuersale actionis, & passionis: Maior probari potest inductiue, homo enim, qui est attributum vniuersale essentiale respectu Petri, & Pauli, realiter multiplicatur in illis: verē enim dicimus, quod Petrus, & Paulus sunt duo homines, similiter animal multiplicatur in homine, & leone, non enim sunt vnum animal, sed duo animalia, & sic de aliis: Minor autē probatur; nam idē numero motus, dicitur, & est actio, & passio; v. g. eadem calefactio quatenus ab igne procedit est actio, & quatenus recipitur in aqua est passio: ergo motus non multiplicatur realiter in actione, & passione.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Motus ponitur in diffinitione actionis, & passionis: ergo est attributum commune, & essentiale illarum.

Respondetur negando consequentiam: Motus enim ponitur in diffinitione actionis, & passionis tamquam subiectum respectu illarum, qua ratione, vox ponitur in diffinitione nominis, & verbi, & subiectum in diffinitione suarum proprietatum, verē enim dicimus, risibile est homo habens potentiam ridendi: cum ergo actio, & passio sint veluti proprietates motus, per motum diffiniuntur.

Dices: Quando proprietas diffinitur in abstracto subiectum ipsius nō ponitur in diffinitione in recto, sed in obliquo; v. g. non recte diffinitur risibilitas dicendo, quod est homo habens potentiam ridendi, sed diffinitur sic, risibilitas est potentia, ridendi in homine existens, sed motus ponitur in recto in diffinitione actionis, & passionis, quæ sunt termini abstracti: ergo non ponitur in diffi-

ni-

nitione, sicut subiectum respectu proprietatum.

Respondetur maiorem esse veram, quando subiectum, & proprietas distinguuntur realiter, vt res à re; si autem sint idem realiter bene poterit subiectum poni in recto in diffinitione proprietatis. Hinc figura diffinitur per quantitatem in recto hac ratione *figura est quantitas terminata, vel clausa terminis.* Cum igitur motus identificetur realiter cum actione, & passione poterit collocari in recto in earum diffinitionibus.

Secundum argumentum: Actio sic diffinitur essentialiter: *Motus profluens ab agente*: ergo si motus non est attributum essentiale actionis, tota essentia actionis erit profluere ab agente; sed hoc est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur minor, terminus motus, & actionis formalissime loquendo profluit ab agente: ergo si tota essentia actionis est profluere ab agente, terminus motus formaliter, & essentialiter erit actio, quod est absurdum; idem argumentum potest fieri de passione, quæ nihil aliud est, quam motus receptus in passo.

Respondetur negando consequentiam; nam licet motus, non sit attributum essentiale actionis, nihilominus tamen actio essentialiter dicit ordinem, & habitudinem ad motum tanquam ad proprium, & proximum subiectum, quæ quidem habitudo exprimitur dum dicimus actio est motus, hæc autem habitudo non conuenit termino motus, vel actionis; nam iste terminus, non respicit motum tanquam proprium subiectum; ac per consequens quamuis procedat ab agente non est actio.

QVAESTIO VI.

Vtrum actio sit in agente, vel in passo?

OBserua quæstionem non procedere de actione immanente, qualis est actio intelligendi, actio videndi, & alie huiusmodi: Certum enim est, quod ista actio est in agente, vt visio in vidente, & intellectio in intelligente: Solum autem procedit de actione transeunte, qualis est calefactio, qua ignis aquam calefacit. Hanc diuisionem actionis, in immanentem, & transeuntem explicuimus in Logica capite de sex vltimis Cathegorijs.

Sit conclusio: Actio transiens non est in agente, sed in passo tanquam in subiecto: v. g calefactio, non est in igne calefaciente, sed in aqua, quæ calefit. Ita Arist. cap. 3. huius libri, vbi ait, *quod vnus, & idem actus est agentis, tanquam principij à quo fluit, & patientis tanquam subiecti, cui inhæret*: idem docet 2. de anima cap. 4. & 9. Metaph. cap. 9. eandem conclusionem tenent D. Tho. lect. 4. huius libri Ferrariensis, Soncinas, Totelus, Iabellus, & alij. Ratione probatur; actio transiens identificatur realiter cum motu; sed motus est in mobili tanquam in subiecto; ergo etiam actio est in

passe tanquam in subiecto, mobile enim passum est: Maior, & minor sunt Arist. in hoc libro.

Secundo probatur conclusio: actio immanens, & transiens per hoc distinguntur, quod illa manet in agente, & ipsi inhæret; transiens autem transit in passum; nam proinde appellatur transiens: ergo vera est conclusio.

Tertio probatur conclusio: Actio transiens, & terminus per actionem productus, videlicet calefactio, & calor sunt entitatiuè, & realiter idē; sed terminus actionis transeuntis est in passo: ergo etiam ipsa actio: Probatur consequentia; nam idem accidens realiter, & entitatiue non potest esse in multis subiectis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Accidens inhæret subiecto, quod denominat, sed actio non denominat passum, sed agens; agens enim ab actione dicitur: ergo actio non est in passo, sed in agente.

Respondetur negando absolute maiorem; locus enim denominat locatum, & tamen non inhæret locato. Tum etiam paries denominatur visus à visione, & tamen visio, non est in pariete sed in vidente.

Respondetur secundo; distinguendo maiorem: est enim vera de denominatione intrinseca, non autem de extrinseca; itaque accidens, quod denominat intrinsece aliquod subiectum, debet ipsi inhærere, non autem si solum denominat extrinsece; Iam verò actio extrinsece tantum denominat agens.

Dices: Quod denominat aliquod subiectum extrinsecè, denominat intrinsecè aliud subiectum: v. g. visio denominat intrinsecè videntem, & extrinsecè denominat parietem visum; sed actio non denominat aliud subiectum præter agens: ergo non denominat ipsum extrinsecè.

Respondetur negando absolute minorem; nam licet actio formaliter sub ratione actionis, solum denominet ipsum agens; tamen materialiter, & entitatiue sumpta, quatenus videlicet identificatur realiter cum passione denominat intrinsecè ipsum passum.

Secundum argumentum. Forma accidentaria, non perficit nisi subiectum in quo est; sed actio est perfectio agentis: ergo actio est in agente: Probatur minor; nam Arist. 2. lib. de Cœlo cap. 3. facit hoc entimemma: *Vnumquodque est propter suam operationem: ergo vnumquodque est propter suam perfectionem:* ergo ex sententia Arist. operatio seu actio est perfecto agentis.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera de perfectione intrinseca, non autem de perfectione extrinseca, qualis est actio respectu agentis.

Respondetur secundo distinguendo minorem; si enim intelligatur de actione immanente, vera est: non autem de actione transeunte. Arist. autem locutus fuit de operatione immanente,

nente, alioquin esset sibi ipsi contrarius; nam 9. Metha cap. 9. expresse ait; *quod actio transiens est perfectio passi.*

Tertium argumentum: *Eius est actus, cuius est potentia,* vt docet Arist. lib. de somno, & vigilia; sed potentia ad agendum est in agente: ergo etiam actio huic potentiæ correspondens erit in agente.

Respondetur interpretando Arist. non enim est sensus illorum verborum, quod actio inhæret eidem subiecto cui inhæret potentia, sed quod actio procedat ab eo principio in quo est potentia productiua talis actionis.

Quartum argumentū: Agens creatum dum agit aliter se habet, quam antea se habebat: ergo aliquam nouam perfectionem recipit in se; sed hæc perfectio est actio: ergo actio recipitur in agente.

Respondetur, concesso primo enti memmate, negando minorem: agens enim creatum, dum agit per actionem transeuntem, aliter se habet, & aliquam perfectionem de nouo adquirit; nam, vel mouetur localiter, quando operatur, sicut corpora Cœlestia, & sic iam recipit in se aliquam perfectionem, videlicet motum localem: vel agens creatum operatur mediis qualitatibus actiuis, vt ignis medio calore, & hoc agens repatitur à contrarijs qualitatibus, quas habet passum, & sic aliter se habet agens, non quia recipiat actionem à se productam, sed quia recipit actionem productam à passo: cum enim ignis agit in aquam ipsam calefaciendo: etiam aqua agit in ignem ipsum attenuando: ac per consequens, vniuersaliter loquendo, omne agens creatum dum agit mouetur, & aliquam nouā perfectionem in se recipit.

Quintum argumentum. Si actio esset in passo fieret cōsequens, quod ab vno numero agente possent simul plures actiones procedere; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur sequela; potest idem ignis simul calefacere lignum, manum, & aquam, & simul calefacere, & comburere; Tum etiam exsiccare lutum, & liquefacere ceram: ergo si actio est in passo, simul procedunt ab eodem agente plures actiones. Probatur consequentia; nam accidens in iuiduatur à subiecto; sed ibi reperitur multiplex passum, lignum, manus, aqua, lutum; & cera: ergo si passum est subiectum actionis ibi reperitur multiplex actio.

Respondetur negando minorem: Cum enim vnitas numerica actionis, non desumatur ab vnitate numerica agentis, sed ab vnitate numerica passi, hinc fit, quod vbi multiplex reperitur passum, multiplex reperitur actio, quamuis solum ad fit vnum agens: Ac per consequens in casu posito in argumento; quamuis vnicum sit agens, erunt plures actiones realiter distinctæ.

Dices: Ab actione, denominatur agens: ergo vbi dantur plures actiones, dantur plura agentia.

Respondetur negando consequentiam; nam ad multiplicationem de-

no-

nominatiui, non sufficit, quod forma denominans, multiplicetur, sed requiritur amplius, videlicet, quod subiectum denominatum multiplicetur; Hinc vnus numero homo habens plures artes non dicitur multiplex, sed vnus artifex, ita in præsenti dicendum est.

Sextum argumentum. D. Tho. multis in locis videtur affirmare, *actionem esse in agente*: ergo ita sentiendum est.

Respondetur. D. Tho. interpretandum esse de actione immanente.

Respondetur secundo; quod actio est fundamentum relationis realis, quam dicit agens ad patiens, quæ quidem relatio est in agente; quando igitur D. Tho. ait: *Actionem trãseuntem esse in agente, tanquam in subiecto*, nomine actionis intelligit relationem realem in actione fundatam: v. g. relatio Paternitatis est in Patre, tanquam in subiecto; & tamen actio generandi, quæ fundamentũ huius relationis est non est in Patre, sed idemtificatur realiter cum Filio.

Respondetur tertio: Quod duplex est subiectum, alicuius accidentis; aliud dicitur subiectum denominationis, quod videlicet denominatur â tali accidente: Et aliud est subiectũ inhæsionis, cui videlicet accidens inhæret; actio igitur est in passo tanquam in subiecto inhæsionis, dicitur tamen esse in agente tanquam in subiecto denominationis.

CAPVT QVARTVM.

VSQVE AD VLTIMVM DE INfinito.

QVia motus est de genere continuorum continuum autem est diuisibile in infinitum: Proinde Arist. post quam in præcedentibus egit de motu in alijs capitibus huius libri disputat de infinito, in capite igitur quarto, estendit ad Physicum spectare disputationem de infinito. Simulque proponit argumenta, quibus antiqui probabant dari infinitum; in quinto, demonstrat non dari absolute infinitum actu, in sexto exponit, qua ratione possit concedi infinitum, & in quo sensu sit negandum: In septimo infinitum diffinit: In octauo denique argumenta Antiquorum, quæ capite quarto proposuerat dissoluit: omnia autem scitu digna, quæ in his capitibus traduntur ab Arist. in sequentibus quæstionibus explicabuntur.

QVAES-

QVESTIO PRIMA.

VTRVM DETVR, VEL POSSIT dari naturaliter infinitum in actu?

ANimaduertendum est cum Arist. cap. 4. infinitum multipliciter dici: Primo, quod pertransiri non potest, quia non habet extensionem, & huiusmodi infinitum dicitur infinitum negatiue: Secundo dicitur infinitum, quod vix pertransiri potest, vel propter magnam latitudinem, vt oceanus, vel propter qualitatem extensionis, & spatij, vt laberinthus lacedemoniorum, qui propter varios influxus aquarum difficile poterat pertransiri: Tertio, dicitur infinitum, quod licet habeat terminos, non tamen certos, & determinatos, vt circulus in quo non est determinatum principium, nec certus finis: Quarto, denique dicitur infinitum quod cum sit quãtum, caret terminis suæ quantitatis, & de hoc infinito disputamus in præsenti.

Obseruandum est secundo, quod sicut quantitas est duplex. Alia perfectionis, & alia molis, seu materialis: Ita infinitum diuiditur in infinitum secundum perfectionem, & dignitatẽ, & in infinitum secundum quãtitatem molis; cum autem quantitas sit duplex continua, videlicet, & discreta, etiam infinitum secundum quantitatem molis erit duplex, vel enim est infinitum magnitudine, vt si daretur corpus infinitum; vel infinitum multitudine, vt si darentur infiniti homines.

Obseruandum est tertio: Quodlibet infinitum diuidi posse in infinitum actu, seu Cathegorematicè, quod in rei veritate, nullis terminis clauditur, vel finitur: Et in infinitum potestate, seu sin Cathegorematicè, quod licet terminis claudatur, & sit actu finitum potest tamen magis, ac magis augeri, vel intendi, ita vt non habeat certum terminum tui augmenti.

Prima conclusio: Deus est actu infinitus, secundum perfectionem; omnia autem alia à Deo distincta sunt finita actu secundum perfectionem: Conclusionem istam, quo ad vtramque partem defendunt Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 7. art. 1. & 2. Ratione probatur; nam magnitudo Dei nullum habet terminum, nec finem, iuxta illud Psalmi. 144. *Magnus Dominus, & Laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*; sed hoc non potest intelligi de quantitate, & magnitudine materiali, cum Deus sit omnino immaterialis,

rialis, & spiritualis: ergo intelligendum est de magnitudine perfectionis, & dignitatis: ergo Deus est infinitus secundum perfectionem.

Secunda pars conclusionis probatur: Non datur aliqua creatura, ita perfecta, vt non possit Deus eam magis perficere, vel aliam perfectiorem producere: ergo omne ens creatum est finitum secundum perfectionem: Probatur consequentia; nam infinitum est id quo maius in illo genere neque esse, neque ex cogitari potest, & cui, nulla ratione, potest fieri additio.

Secunda conclusio: Non datur, nec potest dari naturaliter infinitū in actu secundum magnitudinem. Hanc probat Arist. cap. 5. hac ratione: Quod clauditur terminis non est infinitum; sed omnis magnitudo materialis clauditur terminis: ergo nulla magnitudo materialis est actu infinita: Probatur minor; nam linea clauditur punctis, superficies terminatur lineis, & corpus superficiebus.

Secundo probatur conclusio: Omne corpus naturale habet aliquam figuram; sed figura dicitur, quæ termino, vel terminis clauditur, vt diximus in Logica capite de qualitate: ergo omne corpus est clausum terminis: ergo actu finitum.

Tertia conclusio: Non datur, nec potest dari naturaliter infinitū in actu secundum multitudinem. Probatur in primis ex illo sapiētiæ cap. 11. vbi sapiens sit cū Deo loquitur: *Omnia in numero, pōdere, & mēsura disposuisti.*

Secundo probatur ratione: In infinito in actu non datur primum, neque vltimum; sed in quolibet numero datur vltimum: ergo nullus numerus est actu infinitus: Ac per consequens non datur infinitum secundum multitudinem. Probatur minor: nam vltima vnitas est forma numeri, vt probauimus in Logica: ergo de intrinseca ratione numeri est, quod in eo detur vltimum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra secundam, & tertiam: Finitum, & infinitum sunt proprietates quantitatis; sed actu datur quantitas: ergo datur actu infinitum.

Respondetur negando maiorem: Ostensum est enim supra primo Physicorum cap. 2. q. vlt. infinitum in actu non esse proprietatem quantitatis.

Respondetur secundo, maiorem esse veram de infinito potestate, seu sincathegorematicè: Quod autem est infinitum hoc modo, actu finitum est.

Secundum argumentum: Omne continuum est diuisibile in infinitum: ergo omne continuum habet actu infinitas partes in quas diuidi potest.

Respondetur distinguendo consequens: Si enim intelligatur de partibus proportionalibus se comunicantibus verum est, quod illæ partes sunt infinitæ non actu, sed potestate, quatenus, videlicet facta

qua-

qualibet diuisione continui, quælibet pars potest vlterius diuidi in partes proportionales se communicantes. Si autem intelligatur consequens de partibus æqualibus falsum est; illæ enim partes sunt finitæ; poterit igitur absolute negari consequens, si sermo fiat de infinito in actu. De difficultate huius argumenti longe disputabimus infra lib. 6.

Tertium argumentum: Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum; sed datur infinitum in potentia, vt docet Arist. cap. 6. & 7. ergo talis potentia poterit reuocari ad actum; sicque dabitur infinitum in actu.

Respondetur distinguendo minorem: Dupliciter enim potest intelligi hæc propositio *datur infinitum in potentia*: Primo, quia potest dari actu infinitum, & hic sensus est falsus, vt probat Arist. cap. 5. Secundo, potest intelligi, quod detur infinitum in potentia, ex hoc quod alicui enti potest fieri maior, & maior additio in infinitum, ita vt non possit ad tantum augmentum peruenire, vt non possit magis, ac magis augeri, & hic sensus est verus. Iuxta hunc sensum est interpretandus Arist. Hæc autem potentia, quam dicit hoc infinitum reducitur ad actum, quotiescumque fit additio, non tamen inde sequitur, quod detur infinitum in actu; nam infinito in actu non potest fieri additio, cuilibet autem rei creatæ quantumuis magnæ additio fieri potest.

QVAESTIO II.

Vtrum per potentiam Dei absolutam possit dari infinitum in actu?

SIt conclusio: Nō potest fieri etiā quācumq; virtute Diuina, quod detur infinitū in actu, & Cathegorematice in rebus creatis, vel secundum perfectionem, vel secundum magnitudinem, vel secundum multitudinem. Ita D. Tho. 1. p. q. 7. art. 2. 3. 4. & communiter omnes Theologi, & Philosophi. Ratione probatur; si Deus produceret infinitum secundum perfectionem, vel tale infinitum esset æqualis perfectionis cum Deo, vel haberet minorem perfectionem; sed neutrum est dicendum: ergo non potest dari aliquod ens creatum, quod sit infinitum secundum perfectionem. Probatur minor; nam si esset æqualis perfectionis cum Deo, esset Deus; darenturque duo Dij, quod est contra fidem. Si autem esset minoris perfectionis non esset infinitum secundum perfectionem; nam illud dicitur infinitum, quo maius in illo genere dari non potest; ac per consequens illud dicitur infinite perfectū, quo non datur perfectius.

Secundo probatur de infinito secundū magnitudinē. Ad determinatam, & finitam formam debent sequi determinata, & finita accidentia; sed quælibet forma creata est determinata, & finita: ergo etiam accidentia, quæ eam sequuntur erunt

finita, & determinata, sed vnum ex accidentibus est quantitas, seu magnitudo: ergo quælibet magnitudo est determinata, & finita. Eodem argumento potest probari impossibile esse, quod detur infinitum secundum pondus, idest corpus infiniti corporis.

Tertio probatur conclusio, de infinito secundū multitudinē: Omnes creatū sub certa intentione creantis comprehenditur: ergo quælibet multitudo creata comprehēditur sub certa intentione creantis; sed intentio fertur in aliquem finem: ergo omnis multitudo erit finita.

Denique probatur cōclusio, quoad omnes sui partes. Infinitū in actu dicitur cui nulla ratione potest fieri additio in eo genere in quo est infinitum; sed data qualibet re perfecta potest Deus aliam perfectiorem producere, vel eandem magis perficere, & data qualibet magnitudine potest Deus eandē augere, & maiorē facere, & similiter data qualibet multitudine potest Deus plura efficere: ergo neque per potentiā Dei absolutā potest dari infinitum in actu. Probatur minor; implicat contradictionem, quod detur aliqua creatura, ita perfecta, & magna, vel aliqua multitudo, ita innumerabilis, vt non possit Deus aliquam perfectiorem, & maioris multitudinis producere: ergo vera est minor; nam potentia Dei est infinita, & nulla ratione potest exhauriri per productionem cuiuslibet rei finitæ, quamtumuis sit perfecta, vel magna. Potest etiam probari hæc conclusio omnibus rationibus in quæst. præcedenti adductis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: In vna hora dantur infinita instantia temporis; sed potest Deus in quolibet instanti vnū, vel plures Angelos creare: ergo sub finem horæ darentur infiniti Angeli.

Respondetur negando maiorem: si sermo fiat de infinito in actu, ac per consequens, quamuis in quolibet instanti horæ Deus crearet vnum Angelum, vel plures darentur sub finē horæ finiti Angeli, quod constat, nā transacta hora potest Deus plures Angelos creare: ac per consequens numero Angelorum existenti fieret additio, infinito autem additio fieri non potest.

Secundum argumentum: Supponamus, quod Deus faciat in creaturis, quidquid facere potest, vel illud, quod producitur erit actu infinitum, vel finitum; si primum: ergo Deus potest facere infinitum in actu: si secundum: ergo potentia Dei exhauritur in productione alicuius finiti, quod nullatenus cōcedendum est: alioquin potentia Dei in ordine ad creaturas infinita non esset.

Respondetur, quod suppositio est impossibilis omnino, & nullatenus admittenda; implicat enim, quod Deus faciat in creaturis, quidquid facere potest; nam quælibet re facta, multa restant ei facienda: Hoc autem non dicit imperfectionem, sed sum-

summam potius perfectionem in Deo, qui cum sit infinite potens, impossibile est, quod in productione effectus finiti, eius potentia exhauriatur.

Tertium argumentum. Maiorem virtutem habet Deus, quam infinita agentia naturalia; sed illa possent producere infinitū in actu: ergo â fortiori id poterit facere Deus: Probatur minor; nam si darentur infiniti ignes, producerent infinitas combustiones, & infinitos calores; nam quilibet ignis esset combustiuus, & calefactiuus.

Respondetur negando absolute minorem: Cum enim infinitum in actu non sit producibile, quamuis darentur infinita agentia naturalia non producerent infinitum in actu, non quidem propter defectum agentium, sed quia infinitum in actu est infactibile, vt ostensum est in conclusione.

Respondetur secundo esse impossibile, & implicare contradictionem, quod dicatur infinita agentia naturalia, v. g. infiniti ignes; & supponit argumentum, id de quo precedit controuersia: Si autem darentur infiniti ignes, non est absurdum concedere, quod darentur infinitæ combustiones; nam supposito vno absurdo, & impossibili, multa absurda, & impossibilia sequuntur: Si enim aliquis supponat, quod Petrus est leo, tenebitur concedere, quod est animal rugibile, & irrationale.

Quartum argumentum: Non est minoris virtutis, potentia Dei, quam intellectus Dei; sed intellectus Dei cognoscit infinita in actu: ergo potentia Dei poterit facere infinitum in actu.

Respondetur negando consequentiam; nam etiam Deus cognoscit duas contradictorias, & tamen non potest facere duas contradictorias; similiter cognoscit peccatum, & tamen non potest facere peccatum; nec inde sequitur, quod sit minus potens in operando, quam intelligendo; nam quemadmodum intellectus Diuinus dicitur infinitus; quia extendit se ad omne, quod est intelligibile; ita potentia Dei extendit se ad omne illud, quod est operabile, & factibile, & ex consequenti æqualis virtutis, & infinitatis sunt potentia, & intellectus Dei, qui est super omnia benedictus in sæcula.

Amen.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

DOcuit Arist. initio libri præcedentis: ad Physicũ spectare disputationẽ de motu, de infinito, de loco, vacuo, & tempore: Postquam igitur in libro præcedenti diseruit de motu, & de infinito; disputat in præsenti, de loco, vacuo, & tempore: sunt auntem huic libro cap. 14.

CAP. I.

Vtrum locus sit?

DIsputatio loci est propria Physico; nam Physicus tanquam de proprio obiecto agit de ente naturali, & Physico; sed omne ens naturale est in loco: ergo Physici est disputare de loco. Præterea ad Physicum spectat disputare de motu; sed inter species motus cõnumeratur motus localis: ergo ad Phisicum spectat agere de motu locali; sed motus localis fit in loco: ergo ad Physicum spectat agere de loco. Insuper hæc disputatio de loco difficilis est, & patũ ab Antiquis delucidata: ergo opere præcium erit eam explanare; His tribus rationibus probat Arist. in prima parte huius capitis ad Physicum spectare disp. loci.

In secunda parte proponitur hæc conclusio: De facto datur locus. Probatur; nam experientia comproba-

mus

mus dari mutuam mutationem corporum in eodem loco: ergo de facto datur locus.

Secundo probatur conclusio: Sursum, & deorsum, dextrum, & sinistrū, ante, & retro sunt sex differentiæ loci; sed ex corporibus, quædam feruntur sursum, vt ignis, quædam verò deorsum vt lapis: ergo de facto datur locus.

Tertio probatur: Omnes Antiqui Philosophi admitebant vacuum; sed vacuum est locus non repletus corpore: ergo iuxta sententiam veterum datur locus.

Quarto probatur authoritate Hæsiodi Poetæ; qui docuit ante mundi productionem fuisse locum, quem ipse chaos vocat, in quo mundus conditus est: versus illius erat.

Extitit ante chaos, post hæc vastissima tellus.

Docet præterea Arist. locum esse antiquiorem, & priorē locato, habereque maximam dignitatem, cum recipiat in se, & conseruet locatum, & destructo locato non destruitur locus. In reliquo capitis impugnat conclusionem probans non dari locum. Omnes autem rationes ex diffinitione loci capite quarto proponenda facile dissoluuntur.

CAPVT SECVNDVM.

Vtrum locus sit materia, vel forma?

Duidit Arist. locum in commu nem, qui plura continet locata, vt ciuitas, & in particularem, qui vnicum tantum continet locatum, vt locus circundans Petrum. Hoc posito sic arguit pro parte affirmatiua quæstionis: Forma est terminus rem vltimo constituens in propria specie; sed locus est terminus adæquate continens, & constituens locatum: ergo locus est forma. Arguit secundo: recipere est proprium materiæ; sed locus recipit locatum: ergo locus est materia.

Sit nihilominus conclusio: Locus non est materia; neque forma. Probatur; nam materia, & forma, non possunt separari â re cuius sunt materia, & forma; sed locus est realiter separabilis â locato, cuius est locus: ergo locus non est materia, nec forma.

Secundo probatur. Materia, & forma sunt partes intime componentes; sed locus est extrinsecus locato: ergo locus non est materia, nec forma.

Tertio probatur. Materia, & forma, non sunt terminus motus, non enim per motum adquiruntur; sed locus est terminus motus localis: ergo locus non est materia, nec forma. Denique; materia, & forma mouētur per accidens, ad motū videlicet cōpositi; sed locus est omnino immobilis: ergo locus non est materia, nec forma.

CAP.

CAPVT TERTIVM.

De modis essendi in alio.

OCto modis est aliquid in alio: Primo, vt pars in toto: Secundo, vt totum in partibus: Tertio, vt inferius in superiori: Quarto, vt genus in specie, & pars diffinitionis in diffinito: Quinto, vt forma in materia: Sexto, vt effectus in causa efficiente: Septimo sicut amans in re amata: Octauo, sicut vinum in dolio, & hoc propriè dicitur esse in alio. Non autem potest aliquid secundum se totum esse in seipso, tanquam in loco; nam locus, & locatum distingui debent; autem aliquid secundum partes in seipso tanquam in loco, vt sanguis in venis animalis.

In reliquo capitis soluit Arist. duo argumenta, quæ proposuerat contra conclusionem capitis præcedentis, & inquit locum non esse materiam, neque formam, quia forma est terminus intrinsecus, locus verò est terminus extrinsecus; tum etiam materia recipit in se intimè, & intrinsece ipsam formam, locus verò est receptaculum extrinsecum locati.

CAPVT QVARTVM.

Quid sit locus?

IN prima parte capitis sex veritates proponit Arist. ad naturam loci pertinentes: In secunda verò loci diffinitionem adducit. Prima veritas est, locus continet locatum: Secunda locus non est aliquid intrinsecum, & inhærens locato: Tertia, locus est æqualis locato: Quarta, locus potest esse sine hoc, vel illo corpore, non tamen absolute, & omnino sine corpore: Quinta; omnis locus, vel est superior, vel inferior: Sexta omne corpus naturale mouetur naturaliter in suum locū, in quo natum est quiescere.

Vt locum diffiniat animaduertit Arist. cognitionem motus localis augmenti, & decrementi, maximè conducere, ad naturam loci intelligendam; nam quod mouetur local-

liter

liter absolute mutat locum, quod autem augetur, vel decrescit quamuis non mutet locum absolute, mutat tamen ex parte, occupando videlicet maiorem, vel minorem locum. Quod enim augetur maiorem locum occupat, & quod decrescit minorem.

Obseruat præterea ex his, quæ mouentur: Quædam moueri per se, vt homo, vel lapis, qui ratione sui mouentur: Quædam verò moueri per accidens, ad motum videlicet alterius, quod per se mouetur, & hac ratione mouentur partes, & accidentia. Insuper ex his, quæ mouentur per accidens: Quædam sunt, quæ ita per accidens mouentur, vt nulla ratione possint per se moueri, v. g. albedo; Quædam verò ita per accidens mouentur, vt possint etiam per se moueri: v. g. quando homo mouetur in curru, vel naui, mouetur per accidens, quando verò deambulat mouetur per se. His obseruatis, sic locum diffinit: Locus est *superficies corporis ambientis immobilis primo*: Quam diffinitionem explicabimus quæstione prima.

CAPVT QVINTVM.

Quomodo cælum sit in loco?

EXplicat in prima parte huius capitis, quomodo prima sphera, seu primum Cœlum sit in loco: In secunda verò dissoluit rationes probantes non dari locum: Primum, spectat ad libros de Cœlo, & explicabitur à nobis, q. 4. sequenti: Secundum verò ex dictis in capitibus præcedentibus satis constat.

DISPV-

DISPVTATIO DE LOCO.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM LOCVS OPTIME DIFFINIATUR ab Aristotele?

OBserua primo: Quod superficies corporis ambientis, seu continentis; duplex est: Alia est concaua seu interior: Et alia conuexa, seu exterior: Superficies concaua corporis ambientis dicitur illa, quæ immediate contingit corpus contentum intra illam superficiem: Superficies verò conuexa corporis ambientis, non contingit corpus contentum, imo potius ipsa continetur, & circumdatur ab alia superficie alterius corporis: v. g. vase pleno aquæ; illa superficies, quæ immediate contingit aquam dicitur concaua, & interior: Superficies verò exterior eiusdem vasis, quæ non contingit aquam contentam in vase dicitur superficies conuexa.

Obseruandum est secundo: Quod superficies dupliciter considerari potest: Primo, quatenus solummodo dicit longitudinem, & latitudinem, sine profunditate, & hac ratione, est quid commune, & vniuersale ad locum, & superficiem, quæ sunt duæ species distinctæ quantitatis continuæ: Secundo vsurpatur superficies, quatenus est longitudo, & latitudo, & mensura intrinseca subiecti cui inhæret, & hac ratione superficies conuiuiditur loco, & distinguitur ab eo, non quidem essentialiter; sed accidentaliter; nam locus est mensura extrinseca locati, superficies verò est mensura intrinseca subiecti cui inhæret.

Prima conclusio. Locus est species quantitatis continuæ distincta à super-

perficie non essentialiter, sed accidentaliter. Prima pars huius conclusionis constat ex his, quæ diximus in Logica capite de quantitate: vbi cū Arist. quinque species quantitatis continuæ enumerauimus; quarum vna est locus, & id ipsum probauimus quæst. 10. & vltima eiusdem capitis de quantitate.

Secunda pars conclusionis probatur. Essentia quantitatis est extensio partium; sed locus, & superficies non distinguntur in extensione partium: ergo non distinguntur essentialiter in ratione quantitatis. Probatur minor; nam locus, & superficies habent easdem dimēsiones, videlicet longitudinem, & latitudinem sine profunditate: ergo habent eandem extensionem partium. Quod autem distinguantur accidētaliter in ratione quātitatis. Probatur; nam esse mensuram est accidens proprium quantitatis; sed locus, & superficies distinguntur in ratione mensurę: ergo distinguntur accidentario. Probatur minor; nā locus essentialiter est mensura extrinseca ipsius locati, superficies autem est mensura intrinseca subiecti cui inhæret: ergo locus, & superficies distingūtur in ratione mēsuræ: Quemadmodum, eadem longitudo vlnæ mensurat intrinsecæ substantiam vlnæ, quam extendit, & extrinsece mensurat pannum: ita eadem superficies corporis ambientis considerata formaliter in ratione superficiei, est mensura intrinseca eiusdem corporis ambientis; cōsiderata verò formaliter in ratione loci est mensura extrinseca corporis locati.

Secunda conclusio. Optime diffinitur locus: *superficies corporis ambientis immobilis primo*: ita Arist. cap. 4. & omnes eius Interpretes: Exponenda autem erit diffinitio per singulas particulas: Prima est, *superficies*, quæ ponitur loco generis, nomine autem superficiei intelligitur ibi, superficies in communi; quatenus solum dicit hoc, quod est esse longitudinem, & latitudinem abstrahendo ab hoc, quod est mensurare extrinsecè: Secunda particula est, *corporis ambientis*; ideò continentis locatum: per quam particulam designatur subiectum cui inhæret locus: quemadmodum enim actio transiens denominat agens, & inhæret passo: ita similiter locus denominat corpus locatum, & inhæret corpori ambienti: ex quo constat, quod respectu loci, aliud est subiectū denominationis; & aliud subiectum inhæsionis. Dicitur ambientis; quia de ratione loci est, quod ambiat, & circumdet locatum, eique adæquatur. Tertia particula est, *immobilis*, quæ non facit conuenientiā, cum illa particula corporis ambientis, neque est in gignendi casu, sed est in casu non ingenti, & facit conuenientiam, cum illa, *superficies*, locus est superficies immobilis, de immobilitate autem loci, fiet sermo quæst. sequenti. Vltima particula est, *primo*, per quam designatur, quod ad rationem loci, requiritur, quod sit superficies proxima, & immediata, immediate, & proxime attingens locatum, qualis est superficies concaua

corporis ambientis; per hanc particulam excluditur superficies conuexa à ratione loci.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Superficies est quantitas; sed locus, non est quantitas: ergo male diffinitur locus per superficiem. Probatur minor; à quantitate res dicitur quanta; sed nihil dicitur quantum â loco: ergo locus non est quantitas. Probatur minor; si à loco aliqua res diceretur quanta, vel talis res esset corpus locans, & ambiens, vel corpus locatum; sed neutrum est dicendum: ergo nihil dicitur quantum à loco. Probatur minor; locus in ratione loci est superficies extrinseca; sed corpus ambiens est extensum, & quantum â superficie sibi extrinseca: ergo corpus ambiens non constituitur quantum â loco. Præterea neque corpus locatum; nam corpus locatum prius intelligitur extensum, & quantum, quam ponatur in loco: ergo non constituitur quantum ab ipso loco.

Respondetur negando minorem, probationi dico: quod locus potest dupliciter considerari: Primo, materialiter, & entitatiuê, quatenus videlicet idemtificatur realiter cum superficie intrinseca, & hac ratione extendit substantiam corporis ambientis cui inhæret: Secundo, potest considerari formaliter, & duplicando, & secundum vltimam rationem loci, in quo sensu est superficies extrinseca, & non extendit aliquod subiectum; vt optimè concludit argumentum. Dicitur nihilominus quantitas; quia idemtificatur realiter cum superficie intrinseca, & quia formaliter in ratione loci est mensura extrinseca mensurans locatum.

Secundum argumentum: Ex Arist. cap. 4. huius libri, *locus est æqualis locato*; sed superficies non est æqualis locato: ergo locus non est superficies. Probatur minor; illæ quantitates sunt æqualis dimensionis; sed locatum cum sit corpus habet profunditatem, quam non habet superficies: ergo superficies non est æqualis locato.

Respondetur cum Beato Alberto Magno tract. 1. huius libri, distinguendo minorem: Dupliciter enim dicitur aliqua quantitas æqualis alteri: Primo, secundum dimensiones quantitatiuas, & hac ratione sunt æquales duæ lineæ: Secundo, dicitur aliqua quantitas æqualis alteri, secundum ambitum, & continentiam: quamuis igitur locus non sit æqualis locato, secundum dimensiones, vt optimè probat argumentum, est tamen æqualis ipsi, secundum ambitum, & continentiam, quatenus videlicet, circundat, & ambit totum locatum, & hic est legitimus sensus illius propositionis Arist. *locus est æqualis locato.*

Tertium argumentum. Locus debet esse mensura locati; sed superficies corporis ambientis solum est mẽsura corporis locantis cui inhæret: ergo

go locus non est superficies corporis ambientis.

Respondetur negãdo absolute minorem; nam superficies corporis ambientis simul mẽsurat intrinsecè corpus locans cui inhæret, & mensurat extrinsece corpus locatum, quod circundat, & secundum istam rationem dicitur locus. Alia argumenta aduersaria impugnantia diffinitionem loci in sequenti quæstione proponentur.

QVAESTIO II.

Vtrum locus sit immobilis?

SVpponendum est; terram esse rotundam, & figuræ sphericæ, mediumque terræ dici centrum ipsius; Cœlum autem ambit, & circundat terram, suntque in ipso Cœlo duo Poli; quorum alter dicitur Articus, alter verò Antarticus, & isti Poli fixi, & immobiliter perseuerant; quamuis enim Cœlum continuè moueatur, Poli tamen Cœlorum numquam mouentur, sicut neque centrum terræ.

Prima conclusio. Locus est immobilis per se, & per accidens; id est, neque per se, neque per accidens potest moueri. Ita Arist. in his capitibus præcipuè cap. 4. vbi locum per immobilitatem diffinit, omnesque Philosophi, & idem Arist. fatentur; quamuis negarent locum esse superficiem, eius tamen immobilitatem ad mittebant. Ratione probatur, locus est accidens; sed nullum accidens mouetur per se, saltim naturaliter: ergo neque locus: ergo locus est per se immobilis, quod autem sit immobilis per accidens. Probatur; nam si locus esset mobilis per accidens, maxime; quia mouetur ad motum corporis ambientis cui inhæret; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur minor; si locus moueretur ad motum corporis ambientis contingeret, quod vna, & eadem numero res simul moueretur, & non moueretur localiter; sed hoc implicat contradictionem: ergo locus non mouetur ad motum corporis ambientis. Probatur sequela supponamus, quod homo permanet fixus in medio fluminis circundantis aqua, si ad motum corporis ambientis, & circundantis mouetur locus: homo iste simul moueretur localiter, & non moueretur: ergo vera est sequela. Probatur antecedens; in primis non moueretur localiter; nã quiesceret, & permaneret fixus in medio fluminis, vt supponimus. Præterea moueretur localiter; nam quod mutat locũ localiter mouetur; sed ille homo mutaret locum: ergo localiter moueretur. Probatur minor; corpora ambientia ipsum hominem mutantur; cum aqua fluminis semper fluat: ergo si ad motum corporis ambientis moueretur locus, ille homo mutaret locum.

Secundo probatur eadem pars conclusionis; quidquid mouetur localiter, siue per se, siue per accidens est in loco; sed locus nullo modo est in loco: Alioquin daretur processus in infinitũ; ergo locus nullo modo mouetur.

Secunda conclusio: locus eatenus dicitur esse immobilis, quatenus semper remanet eadem superficies corporis ambientis, non materialiter, sed formaliter, vt est subiectum loci in eadem distantia á Polis mundi, & centro terræ, & à reliquis partibus immobilibus mundi. Hanc conclusionem habet D. Tho. lect. 6. huius libri, vbi sic ait: *Licet hæc pars aëris, quæ continebat locatum, vel hæc pars aquæ effluat, & moueatur in quantum hæc aqua, tamen secundum quod habet rationem loci, & situs, & ordinis ad totum sphericum Cæli semper manet: sicut etiam dicitur idem ignis manere quantum ad formam, licet secundum materiã varietur: ut comsumptis, & additis quibusdam lignis.* Hæc D. Tho. Ex quibus verbis sic explicari potest conclusio: Superficies corporis ambientis, dupliciter considerari potest. Primo, naturaliter, vt est superficies aëris, vel aquæ. Secundo, formaliter, vt locus est: Si consideretur primo modo, absque vllo dubio est mobilis per accidens, ad motum videlicet aëris, vel aquæ, cui inhæret: Si autem consideretur, secundo modo, quatenus videlicet est formaliter locus, hac ratione est omnino immobilis, constituitur autem superficies formaliter in ratione loci per relationẽ distantiæ, quam dicit ad Polos mundi, & centrum terræ, & ad reliquas partes immobiles vniuersi. Quamuis igitur superficies in ratione superficiei sit mobilis ad motũ corporis cuius est superficies, attamẽ, vt est subiectũ talis distantiæ est omnino immobilis, nã eo ipso, quod superficies moueatur abvna parte in aliã ia distat diuerso modo á Polis mũdi, & á centro terræ. Erit itaq; formale loci hæc distantia: Superficies verò, vt subijcitur tali distãtiæ erit materiale: Quemadmodum combustibilia, v. g. ligna, sunt materiale ignis: Hæc doctrina ex solutionibus argumentorum manifestior fiet.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam. Locus est superficies corporis naturalis; sed omnis superficies corporis naturalis est mobilis: ergo omnis locus est mobilis. Probatur minor; omne corpus naturale est mobile; sed moto corpore, mouentur omnia, quæ sunt in ipso: ergo omnis superficies est mobilis ad motum corporis in quo est.

Respondetur distinguendo minorem: Superficies enim corporis ambientis dupliciter considerari potest: Primo, vt est superficies, & hac ratione est mobilis per accidens ad motum videlicet ipsius corporis: Secundo, vt est subiectum relationis distantiæ ad partes immobiles mundi, qua ratione superficies est omnino immobilis. Iam verò locus est superficies cum tali distantia: Ac per consequens est superficies immobilis; nam superficies vt est formaliter subiectum huius numero distantiæ, omnino immobilis est; nam eo ipso, quod mouetur

superficies non est in ea numero distantia in qua antea erat.

Obijcies: Hæc distantia â Polis mundi, & centro terræ cum sit accidens inhæret corpori ambienti: ergo ad motum huius corporis mouetur etiam distantia.

Respõdetur negãdo cõsequentiã; nã quamuis moto subiecto moueãtur omnia accidentia absolute non tamẽ relatiua, quæ dicũt ordinẽ ad aliquid extrinsecum, & tali subiecto inhærent: v. g. duæ manus, quæ se contingunt habent interse mutuam relationem contiguitatis, quæ quidem relatio vnicuique manui inhæret, si autem manus ad inuicem separentur, non dicemus, quod ad motum manuum mouetur contingũtas, cum de perdatur omnino: Similiter, Vbi, quod mihi inhæret modo est accidens quoddam intrinsecum, & nihilominus non mouetur, quando ego moueor: Pari ratione dicendum est in præsenti; nam quamuis distantia, quæ est formale loci inhæreat corpori ambienti, non inde sequitur, quod ad motum ipsius moueatur, cũ sit accidens relatiuum dicens ordinem ad aliquid extrinsecum, videlicet, ad partes immobiles ipsius mundi.

Secundum argumentum. Perseuerante homine in eodem loco, & immobili permanente potest Deus Polos Mundi, & centrum terræ mouere, & mutare; sed tunc temporis moueretur, & mutaretur distantia â Polis mundi, & à centro terræ, & tamen non mutaretur locus; ergo immobilitas loci non desumitur â distantia â Polis mundi, & â centro terræ.

Respondetur negando consequentiam: Nos enim in conclusione secunda, loquimur de ipso loco Secundum ea, quæ actu, & naturaliter fiunt in rerum natura; actu autem quiescit centrum terræ, & immoti permanẽt Poli ipsius Cœli: ac per consequens immobilitas loci desummitur â distantia à Polis mundi, & â centro terræ. Si autem Deus op. Max. mutaret Polos mundi, & centrum terræ homine quiescente, in hoc casu superficies ambiens ipsum hominem, non distaret æqualiter à Polis mundi, & centro terræ, sicut antea distabat, nihilominus tamẽ distaret æqualiter â punctis imaginarijs, seu spatijs in quibus antea centrum, & Poli existebant, & ex hac distantia desumere tur immobilitas ipsius loci.

QVAESTIO III.

Vtrum vnitas numerica loci desummatur ab vnitate numerica superficiei, & distantiæ?

OBseruandum est primo. Quod, vt per sæpe dicit Arist. nõ est disciplinati, & optimi ingenij idem genus demonstrandi, & eãdem vnitatem in omni materia exquirere. Contingit enim, vt ea, quæ sunt plura in vno genere, sint vnum in alio; v. g. plures milites faciunt vnum exercitum; tres homines vnum ternarium, & multi lapides, vnam numero domum,

mum, & similiter ex pluribus superficiebus efficitur interdum vnus locus, vt videbimus.

Obseruandum est secundo: quod triplex est vnitas loci, Prima, est generica, in qua conueniunt omnia loca realia saltim sublunaria. Secunda, est specifica, qua ratione omnia loca superiora possunt dici eiusdem speciei, locus autem superior, & inferior specie distinguntur: Tertia, denique est vnitas numerica, de qua præsens procedit quæst.

Obserua tertio. Quod in loco possumus duo distinguere, videlicet materiale, & formale, materiale loci est superficies ambiens locatum: formale verò est distantia à Polis mundi, & centro terræ, & ab aliis partibus immobilibus ipsius mundi.

Dices: In diffinitione loci nulla fit mentio talis distantiæ: ergo talis distantia non erit formale loci.

Respondetur negando antecedēs; nam cum immobilitas loci formaliter desummatur ex distantia à Polis mundi, & centro terræ, eo ipso quod in diffinitione loci exprimitur immobilitas, subintelligitur talis distantia, & fit mentio de ipsa saltim virtualiter.

Obserua quarto: Quod superficies corporis ambientis potest considerari dupliciter, vt dictum est quæstione præcedenti: Primo, vt superficies est: Secundo, vt est subiectum talis distantiæ, & hac ratione est materiale loci.

Prima conclusio: Vnitas numerica loci non desumitur, ex vnitate numerica superficiei vsurpando superficiem, vt superficies est præcisse: Probatur; nam existente corpore, v. g. arbore, in vno, & eodem numero loco pertranseunt quam plures superficies, realiter, vt res à re distinctæ, & potest euenire, quod simul circunscribatur, partim â superficie terræ, partim â superficie aquæ, & partim â superficie aëris: ergo vera est conclusio.

Secunda conclusio: Vnitas numerica loci desumitur ex vnitate numerica distantiæ, & simul ab vnitate numerica superficiei, considerando superficiem vt est materiale loci, & subiectum talis distantiæ. Hæc conclusio est contra aliquos, qui existimant ad vnitatem numericam loci sufficere vnitatem specificam distantiarum. Falsitas autem huius opinionis, & simul veritas nostræ conclusionis. Probatur primo: Distantia est formale loci, & locus nihil aliud est, quam superficies cum tali distantia: ergo variata distantia necesse est, quod varietur locus, & ad vnitatem loci, erit necessario requisita vnitas distantiæ.

Secundo probatur conclusio: Si ad vnitatem numericam loci sufficeret vnitas specifica distantiarum; sequeretur, quod omnes existentes in hac aula, v. g. essemus in eodem numero loco; sed hoc est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur: Sequela probatur; nam distantia, qua distat, vna pars aulæ â Polis mundi, & centro terræ, & distātia, qua distat alia pars; quamuis distinguantur numero, con-

ue-

ueniunt tamen in vnitate specifica distantiarum: ergo si ad vnitatem numericam loci sufficit vnitas specifica distantiarum: duæ partes aulæ essent vnus numero locus particularis: ac per consequens; cum aliquis ab vna parte aulæ, ad aliam tenderet, non moueretur localiter, si quidem non mutaret locum; sed hoc dicere est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra secundam. Relatio distantiæ est in superficie ambiente tanquam in subiecto; sed existente locato in eodem loco transeunt plures superficies: ergo etiam transeunt plures distantiæ: ergo vnitas numerica loci, non desumitur ex vnitate numerica distantiæ.

Respondent Aliqui admittendo, quod locato existente in eodem numero loco, si mutantur superficies mutantur etiam distantiæ; quia verò omnes distantiæ, quæ subiectantur in superficiebus ambientibus aliquod corpus immotum, v. g. turrim, eodem modo se habent secundum proportionem, efficiunt vnum numero locum, quæ enim sunt plura, in aliquo genere possunt esse vnū in alio, vt in prima obseruatione ostensum est. Hic modus dicendi probabilis est.

Respondetur tamen aliter ad argumentum; iuxta sensum secundæ conclusionis: Quod fluentibus diuersis superficiebus ambientibus turrim v. g. semper remanet vnus numero locus: non solum pro formali, sed etiam pro materiali; nam remanet semper eadem numero distantia, & quāuis pertranseant plures superficies in ratione superficiei; quia tamen in ratione subiecti talis distantiæ vnum sunt; absolutè dicendum est, quod remanet vnum numero materiale loci.

Dices: Si eadem numero distantia, quę est in hac numero superficie, postea est in alia superficie succedente sequitur, vel quod vnum numero accidens simul est in pluribus subiectis, vel quod migret de subiecto in subiectum; sed vtrumque est absurdū: ergo, & illud ex quo sequitur.

Respondetur negando sequelam; nam omnes illę superficies succedentes in eadem distantia habent rationem vnius numero subiecti eo, quod succedunt in eadem numero distantia, quemadmodum proportione quadam tres homines sunt vnum numero subiectum numeri ternarij.

Secundum argumentum: Sicut locus habet distantiam â Polis mundi, & centro terrę: Ita similiter corpora naturalia, & omnia accidentia materialia dicunt hanc distantiam; sed illa non desumunt suam vnitatem ab ista distantia: ergo neque locus.

Respondetur negando consequentiam; et ratio est; quia locus specialis modo dicit istam distantiam; quia de ratione loci est continere locatum: Ac per consequens in ipso est quidam ordo specialis ad primum

Cœ-

Cœlum, quod est primum continens, & ad centrum terræ, quod est quasi vltimum contentum; Cœlum enim omnia continet, & terra quoddammodo ab omnibus continetur.

Ex dictis in hac, & præcedenti quæstione collige: Locum non solum pro formali; sed etiam pro materiali esse omnino immobilem.

QVAESTIO IV.

Vtrum omne ens spirituale sit in loco?

OBseruandum est primo tripliciter aliquid esse in loco: Primo, circunscriptiuè: Secundo, diffinitiuè; & tertio, repletiuè: Illud est in loco circunscriptiuè, quod circunscribitur, & mensuratur extrinsecè ab aliqua superficie corporea, & hic modus essendi in loco, solum conuenit corporibus: Illud est in loco diffinitiuè, quod ita est hic, vt non sit alibi: Illud denique est in loco repletiuè; quod adimplet aliquē locum.

Obseruandum est secundo: Ex locis, quædam esse realia: Quædam verò imaginaria: Loca realia dicuntur omnia spatia, quæ intra primum Cœlum comprehenduntur: Loca imaginaria appellantur illa spatia immensa extra primum Cœlum existētia, in quibus posset Deus alium mundum producere, & etiam hoc spatium, in quo modo est mundus, corporeus erat locus imaginarius antequam Deus mundum crearet.

Prima conclusio: Deus op. Max. non est in aliquo loco circunscriptiuè, neque diffinitiuè; est tamen in omni loco repletiue: Ita Docent Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 8. Ratione probatur; sola res corporea potest circunscribi, & mensurari aliqua superficie; sed Deus est omnino *incorporeus*, & spiritualis: ergo non est in loco circunscriptiuè. Præterea nec diffinitiuè; nam Deus est in omni loco: ergo non ita est hic, vt non sit alibi; nam quod est in omni loco, vbique est: ergo non est in loco diffinitiue; Quod autem sit in omnibus locis repletiue probatur; ex illis verbis Hieremiæ 23. *Cœlum, & terram ego impleo.* Probatur etiam ratione; nam Deus est in omnibus rebus, & immediate, immediatione suppositi, omnia entia creata attingit, vt supra lib. 2. ostensum est: ergo est repletiuè in omni loco. Antecedens probatur; nam vt docēt Theologi, Deus est vbique per essentiam, quia omnibus rebus dat esse intimè. Per potentiam, quia ipsius potestati omnia subduntur. Per præsentiam, quia omnia sunt nuda, & perspicua ipsi, per gratiam in animabus iustorum, & per gloriam in Beatis.

Secunda conclusio: Deus est præsens in locis imaginariis: Ita docet ex presse D. Tho. quod lib. 11. art. 1. D. Aug. D. Gregorius Nacianzenus, D. Caietanus, quos sequitur Masius hic. Colligitur autem hæc conclusio: ex sacris dictis; nam 31. Regum 8. sic dicitur: *Si Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt, &c.* id ipsum

canit.

id ipsum canit præsæpe Ecclesia in laudem Beatissimæ Virginis dicens: *Quem totus non capit orbis in tua se clausit viscera, factus homo*: ergo si Cœli, & totus orbis non potest capere Deum; signum est, quod Deus existit etiam extra Cœlum, & extra totum orbem; sed extra totum orbem solũ sunt loca imaginaria: ergo Deus etiam est præsens locis imaginarijs. Hanc eandem veritatem agnouit Arist. dum 1. de Cœlo, cap. 8. dixit: *Extra mundum, & super illos orbes cœlestes esse, quasdam substantias sempiternas, ab omni materia separatas, quæ neque veterascunt, neque senescunt.* Probatur etiam ratione: si Deus aliquam creaturam, vel mundum aliquem extra Cœlum produceret in locis imaginarijs, non inciperet esse ibi, hoc enim Dei immutabilitati repugnare videtur: ergo signum est, quod iam modo est ibi præsens.

Tertia conclusio: Angeli sunt in loco, non circumscriptiuè, sed diffinitiuè. Quod Angeli sint in loco, est certa fide tenendum, vt animaduertit D. Tho. in 1. dist. 37. q. 1. art. 1. & constat ex multis à partitionibus Angelorum quæ in Sacra Scriptura referũtur. Quod autẽ non sint circumscriptiuè. Probatur; nam Angeli sunt omnino immateriales, & incorporei: ergo non possunt aliqua superficie exteriori circumscribi & mensurari: Erit igitur Angelus diffinitiuè in loco, Angelus enim existens illerè v. g. nequit simul existere Romæ. De anima rationali, quæ est ens spirituale dicendum est etiam, quod est in loco diffinitiuè, non autem circũscriptiuè.

Obijcies: Locus est mensura locati; sed res incorporeæ, & spirituales non mensurantur loco, cum non mẽsurentur ab aliquo extrinseco: ergo res spirituales non sunt in loco.

Respondetur distinguendo maiorem: si enim intelligatur de locato circũscriptiuè, qualia sunt omnia corpora, vera est; quod enim existit circunscriptiuè in loco à loco mensuratur, & dependet: non autem est vera de locato, quod est in loco diffinitiuè tantum, qua ratione Angeli sunt in loco, hæc enim locata non mensurantur, neque dependent à loco, imo potius locus dependet ab Angelo; nam eatenus dicitur Angelus esse in aliquo loco, quatenus applicat illic suã virtutem, & aliquid in eo operatur. Propter hãc, & aliquas differentias, quæ reperiũtur inter esse in loco corporum, & inter modum essendi in loco conuenientem Angelis, & rebus spiritualibus dixit D. Tho. 1. p. q. 52. art. 1. *esse in loco equiuocè dici de corporibus, & de rebus spiritualibus.*

QVAESTIO V.

Vtrum omne corpus sit in loco?

PRima conclusio. Primum Cœlum formaliter consideratum, secundum se totum, nõ est in loco actu, neque potestate, est tamen in loco in potentia secundum partes: Ita docet Arist. cap. 5. huius libri, verum est tamen,

Ff men-

men, quod Arist. existimauit primũ Cœlum esse primum mobile; quia arbitratus est omnes Cœlos mobiles esse, quod quidem veritati repugnat; nam supra omnes Cœlos, qui mouentur datur Cœlum Impiteum, quod quidem omnino immotum perseuerat. Probatur autem conclusio; quoad primam partem. Primum Cœlum proinde appellatur primũ; quia supra se non habet aliud Cœlum, vel aliam superficiem corpoream à qua possit contineri: ergo primum Cœlum secundum se totum non est in loco: consequentia est euidens ex diffinitione loci.

Secũda pars conclusionis probatur. Vna pars primi Cœli potest esse locus alterius partis: ergo primũ Cœlũ potest esse in loco secũdũ partes. Probatur antecedens; si primũ Cœlum diuideretur in partes, vna pars, alterã contineret, & circumscriberet: ergo vna pars Cœli potest esse locus alterius partis.

Secunda conclusio: Omnes Cœli, præter primum, sunt actu in loco secundum se totos. Probatur; nam Cœlum superius est locus naturalis Cœli inferioris; v. g. Cœlum Lunæ, quod est nobis propinquius, est tanquam in loco in Cœlo Mercurij, Cœlum Mercurij in Cœlo Veneris, & sic de aliis. Hæc conclusio constabit ex secunda disputatione librorum de Cœlo.

Tertia conclusio: Vnum elementum est locus naturalis alterius elementi hoc ordine. Superficies concaua Cœli Lunæ est locus naturalis ignis: Superficies concaua ignis est locus naturalis aëris: Superficies concaua aëris est locus naturalis aquæ, & tandem superficies concaua aquæ est locus naturalis terræ. Ita Arist. cap. 5. D. Tho. & alij interpretes. Ratione probatur; ignis est leuior omnibus elementis; terra verò est grauior; aër autem, & aqua minorem habent leuitatem, & grauitatem: ergo inter corpora sublunaria locus superior debetur igni, & locus infimus debetur terræ: aër autem, & aqua habent locum inter ignem, & terram; & cum aër sit leuis aqua, aqua autem sit grauis, aër erit superior terra; nam locus superior debetur leuibus, inferior verò grauibus.

Vltima conclusio: Omnia corpora Physica sub primo Cœlo naturaliter existentia sunt in loco circumscriptiuè, & diffinitiuè. Probatur; nam omnia corpora Physica naturaliter existentia, sunt quanta, & extensa, & aliqua superficie exteriori circumscripta, & quodlibet corpus naturale, ita est in vno loco, vt simul in alio non reperiatur: ergo vera est conclusio. Dixi, *naturaliter existentia*; nam corpus Christi Domini super naturaliter, & miraculosè existens sub speciebus consecratis in Sacramento Altaris, nulla ratione est ibi tanquam in loco, sed dicitur esse ibi Sacramentaliter, modo quodam ineffabili, & ab intellectu creato, incomprehensibili.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra

tra primam. Totum primum Cœlum mouetur localiter iuxta sententiam Arist. ergo totum primum Cœlum est actu in loco.

Respondetur negando consequentiam; nam, vt aliqua res dicatur esse in loco non sufficit, quod moueatur localiter, sed requiritur, quod circũscribatur aliqua superficie exteriori alterius corporis ambientis, quod quidem non contingit in primo Cœlo. Certe si aliqua res moueretur localiter in vacuo, vel etiam in loco imaginario verè diceremus, quod moueatur motu Physico, non tamen esset in loco Physico, nam vacuum, & locus imaginarius loca Physica non sunt.

Dices: Supra primum Cœlum potest Deus aliud Cœlum creare, quod quidem circunscriberet, & contineret ipsum primum Cœlum: ergo primum Cœlum est in loco saltim in potentia.

Respondetur distinguendo antecedens: Primum enim Cœlum potest considerari, dupliciter. Primo, materialiter, vt Cœlum est, & hac ratione verum est antecedens. Secundo, formaliter, vt est primum; & hac ratione repugnat, quod supra se habeat aliud corpus, si enim haberet, iam nõ esset primum, nos verò in prima conclusione loquimur de primo Cœlo formaliter sumpto, vt primum est.

Secundum argumentum: Eatenus primum Cœlum dicitur esse in loco secundum partes, quatenus vna pars esset locus alterius, si diuideretur Cœlum; sed Cœlum non potest diuidi, cum sit omnino incorruptibile: ergo non potest esse in loco secundum partes.

Respondetur distinguendo minorem: Dupliciter enim potest considerari Cœlum. Primo, vt est quantum, & extensum, & habet trinam dimensionem, & hac ratione, non ei repugnat diuisibilitas, cum diuisibilitas sit proprietas quantitatis. Secundo, potest considerari formaliter, quatenus est corpus Cœleste, & incorruptibile, & hac ratione indiuisibile est.

Tertium argumentum, contra tertiam: Res in suo loco naturali nõ mouetur, sed sistit, & quiescit; sed ignis in superficie cõcaua Cœli Lunæ semper mouetur circulariter: ergo talis superficies non est locus naturalis ignis.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera de motu recto, & naturali, ignis autem in sua sphera mouetur circulariter ad motum Cœli Lunæ, qui quidem motus circularis, non est naturalis ignis, nam vnius corporis simplicis, vnus est motus naturalis; sed motus naturalis ignis, est ferri sursum: ergo motus circularis non est naturalis igni.

Dices: Talis motus non est violentus: ergo naturalis. Probatur antecedens; nam nullum violentum perpetuum; sed motus ille circularis ipsius ignis perpetuus est, sicut etiam motus Cœli Lunæ: ergo talis motus nõ est violentus. Præterea, motus violentus opponitur motui naturali; sed motui sursum, qui est naturalis ignis, non opponitur motus circularis,

sed motus deorsum: ergo talis motus non erit violentus.

Respondetur antecedens concedēdo, & eius probationes; negamus tamen primam consequentiam; nam inter motum naturalem, & violentum datur medium, videlicet motus præternaturalis, & præter violentus, seu mixtus, qui aliquid participat ab vtroque extremo, & talis est motus circularis, quo mouetur ignis in sua sphera.

Quartum argumentum. Res à suo loco naturali, non destruitur, sed conseruatur, nam locus habet virtutem conseruatiuam locati; sed aër consumitur ab igne: ergo superficies cōcaua ignis, non est locus naturalis aëris.

Respondetur negando minorem; nam quamuis ignis, & aër opponantur in siccitate, & humiditate, nam ignis est sicus, & aër est humidus; nihilominus tamen in caliditate conueniunt, ignis enim est summæ calidus, & aër etiam ex natura sua calidus est, & semper perseuerat calidus in Suprema Regione, quæ contingit ipsum ignem: ac per consequens aër elementalis, non consumitur, sed potius conseruatur ab igne.

Respondetur secundo, negando similiter minorem; nam vt docet D. Tho. 1. p. q. 69. art. 1. ad. 5. *Aër est summæ humidus*: ac per consequens, quamuis ignis sit summæ calidus, nō destruit aërem, quia humiditas aëris resistit caliditati ignis: quemadmodum itaque aër nō humectat ignem, ita neque ignis vrit, vel calefacit aërem elementalem.

Quintum argumentum: Quælibet res naturali inclinatione tendit in suum locum naturalem, sed aqua naturaliter fertur deorsum in centrum terræ, nō autem fertur versus aërem: ergo aër nō est locus naturalis aquæ.

Respondetur distinguendo minorem: Duplex enim est inclinatio naturalis alicuius rei: Alia, sequitur naturam communem, & conuenit rei in quantum est pars vniuersi, in quo sensu est naturale lapidi ascendere ne detur vacuum: Alia est, inclinatio naturalis, quæ sequitur particularem naturam vniuscuiusque rei, qua ratione lapis inclinatur ad centrum, quia est grauis; aqua igitur naturaliter inclinatur, secundum particularem naturam, ad sistendum sub aëre, qui est locus naturalis ipsius; at verò secundum naturam communem, & vt est pars vniuersi, tendit deorsum, vt adimpleat spatia, quæ terra non occupat, ne detur vacuum, quod esset maxima imperfectio vniuersi.

Sextum argumentum. Locus debet esse æqualis locato; ita vt ambiat, & contineat totum locatum, sed aqua non ambit totam terram, vt sensibus est manifestum: ergo aqua non est locus naturalis terræ.

Respondetur negando consequentiam; nam quamuis aqua non ambiat actu totam terram, nihilominus tamen potest circumdare, & ambire ipsam; nam elementum aquæ est maius, quam elementum terræ, si quidem præter aquam maris, datur sub terra maxima aquarum abundantia; tum etiam terra habet quam plu-

ras

res cauernas, lapides, metalla, & alia mixta, quæ ad substantiam terræ, vt elementum est nullatenus spectant: quam obrem, si hæc omnia separarentur à terra remaneretq; sola terra elementalis; multo minor esset terra quam aqua.

Dices: Saltim concedendum erit, quod modo de facto, terra non est in suo loco naturali saltim adæquate; eũ non solum contineatur superficie aquæ, sed etiam superficie aëris.

Respondetur concedendo totum: Quia enim homines, animalia terrestria, & plantæ sub aqua viuere non possunt, proinde Auctor naturæ separauit aquam à terra é dicitur enim Geneſis. 1. Deum. Op. Max. dixisse; *congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*; id est, *terra*.

QVAESTIO VI.

Vtrum duo corpora possint esse simul in eodem loco?

SVpponendum est: quæstionem non esse de loco communi, qualis est ciuitas, seu aula; sed de loco particulari, qui vnico locato adæquatur, & inuestigamus. Vtrum intra eandem superficiem concauam loci particularis possint existere simul, duo, vel plura corpora.

Prima conclusio: Virtute diuina, & supernaturali effici potest, quod simul existant in eodem numero loco particulari duo corpora Physica, & quantitatiua. Hæc conclusio communis est inter Theologos, & Philosophos; & probatur; nam fide diuina credimus, quod Christus Dominus, qui verum, & Physicum habuit corpus exiuit ex vtero Virginis clausis omnimode clausstris Virgineis, seruataque suæ Matris integritate. Insuper idem Christus Dominus Surrexit de Sepulchro non reuoluto lapide, sed lapidem penetrando. Præterea Ianuis clausis ingressus est ad Discipulos. Et tandem Cœlos ascendens, Cœlos ipsos penetrauit, vt dicitur ad Hebreos 4. sed hæc fieri non possunt nisi virtute diuina existant simul duo corpora in eodem loco: ergo vera est conclusio.

Secundo probatur: Non minus conuenit quantitati extendere rem in ordine ad locum, quam expellere alteram quantitatem à suo loco; sed virtute diuiua effici potest, quod vna quantitas non extendat rem in ordine ad locum: ergo etiam poterit fieri virtute diuina, quod vna quantitas non expellat alteram, sed sit in eodem loco cum ipsa. Probatur minor; nam quantitas Christi Domini existentis in Sacramento Altaris non est extensa in ordine ad locum, vt sæpius dictum est.

Confirmatur hęc ratio: Nam prędicta expulsio ad genus causę efficientis pertinere videtur; sed potest Deus effectum causę efficientis impedire: ergo potest facere, quod vnum corpus non expellat alterum à suo loco; sed potius sepenetrent ad inuicem, & in eodem loco existant.

Secunda conclusio: Naturaliter loquendo est impossibile, quod duo

cor-

corpora existant simul in eodem loco particulari: Ita Arist. qui tex. 27. huius libri tanquam inconueniens maximum infert, *quod si aliquid esset in se ipso tanquam in loco essent duo corpora in eodem loco.* Ratione probatur: impossibile est, quod duo corpora sint simul in eodem loco, nisi se penetrent secũdum dimensiones quantitatiuas; sed penetratio corporum est naturaliter impossibilis: ergo etiam est naturaliter impossibile, quod sint duo corpora in eodem loco.

Secundo probatur: Experientia comprobamus, quod vnum corpus expellit alterum à suo loco, & quotiescumque vnum corpus aliquem locum ingreditur, corpus, quod existebat in tali loco egreditur, vel excluditur, vel saltim condensatur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam. Implicat contradictionem, quod duo accidentia solo numero distincta inhæreant eidem subiecto: ergo etiam implicat contradictionem, quod duo corpora simul existant in eodem loco: ergo neque virtute diuina, hoc fieri potest.

Respondetur negando consequentiam: Nam accidentia indiuiduantur â subiecto cui inhærent, & ab ipso habent vnitatem numericam: Ac per consequens implicat contradictionẽ, quod eidem subiecto numero inhæreant duo accidentia solo numero distincta; at verò corpus locatum non indiuiduatur â loco, cum locus sit omnino extrinsecus corpori locato.

Secundum argumentum. De ratione quantitatis est facere partem vnã, extra alteram partem: ergo â fortiori erit de ratione quantitatis facere corpus, extra corpus: ergo essentiæ quantitatis repugnat, quod duo corpora existant simul in eodem loco.

Respondetur distinguendo antecedens: Facere partem extra partem dupliciter contingit: Primo, in ordine ad totum, & consistit in hoc, quod vna pars, non sit altera: Secundo in ordine ad locum, & consistit in hoc, quod vna pars locati correspondeat, vni parti loci, & altera pars locati, alteri parti loci: Primum, est de ratione quantitatis: Secundum verò, est effectus secundarius ipsius, & póte st â Deo. Op. Max. impediri, impediturque de facto in Corpore Christi Domini existente in Sacramento Altaris, ibi enim non habet partem, extra partem in ordine ad locum. Eadẽ distinctione distinguendum est consequens, & neganda secunda consequentia.

Tertium argumentum. Implicat contradictionem, quod duæ partes temporis sint simul: ergo etiam implicabit, quod duæ partes corporis sint simul in eodem loco, & â fortiori implicabit, quod duo corpora simul existant in eodem loco.

Respondetur negando consequentiam; Nam duratio, & successio, est de intrinseca ratione temporis: Ac per consequens implicat contradictionem, quod duæ partes tempo-

ris

ris sint simul, cum debeant sibi inuicem succedere : At verò de ratione quantitatis, vel corporis non est extensio in ordine ad locum.

Quartum argumentum contra secundam. Experientia comprobatur, quod vas scinere plenum tantam aquam in se recipit, quantum reciperet si cinis non esset : ergo aqua, & cinis, quæ sunt duo corpora distincta, naturaliter se penetrant, & eundē numero locum occupant.

Respondetur negando consequentiam : Quidquid sit de antecedenti; nam cinis est corpus molle, & valde porosum : Ac per consequens aqua recipitur in eius poris; absq; eo quod detur penetratio corporum.

Vltimum argumentum. Ignis existens in ferro candenti, est in eodem loco cum ferro: ergo naturaliter possunt duo corpora esse simul in eodem loco.

Respondetur negando antecedens: Ignis enim existit in poris ipsius ferri candentis: Ac per consequens ignis, & ferrum non sunt simul in eodem loco.

Respondetur secundo; iuxta sententiam probabilem, quod in ferro candenti non reperitur ignis; sed calor ab igne productus; calor autem est accidens, & accidentia non occupant distinctum locum à loco subiecti cui inhærent.

UNIVERSIDAD Y PROVINCIAL BIBLIOTECA DE ZARAGOZA

QVAESTIO VII.

Vtrum idem numero corpus possit esse simul in duobus locis?

OBseruandum est: Quæstionem non procedere de loco inadæquato, qui non complectitur totum locatum, sed partem ipsius, certum est enim, quod idem numero corpus potest esse simul naturaliter in pluribus locis inadæquatis; v. g. homo in medio fluminis existens est in aqua, & in aëre tanquam in locis inadæquatis, & partialibus. Solum igitur procedit quæstio de loco adæquato, & totali, qui adæquate circunscribit locatum. Similiter non procedit quæstio de eo, quod naturaliter contingit, certum est enim, quod secūdum vires naturę fieri nequit, quod idem corpus existat simul in duobus, vel pluribus locis adęquatis.

Sit conclusio : implicat contradictionem; & per consequens nequit fieri diuina virtute, quod idem numero corpus, sit simul in duobus locis adæquatis, & totalibus. Ita D. Tho. 3. p. q. 75. art. 1. ad. 3. & art. 2. in corpore, & q. 56. art. 8. & 4. contra Gentes cap. 65. & multis aliis in locis. D. Bonaventura in 4 dist. 10. q. 3. D. Anselmus in Homonologio cap. 21. vbi habet hęc verba, *non potest idem totum esse in diuersis locis*: D. Cyrillus lib. 2. super Ioannem cap. 3. vbi de Christo Domino loquens, inquit : *Non potuit carne cum*

Disci-

Discipulis Conuersari, quia in Cœlos ascendit; & communiter Sancti Doctores explicantes, quam ob causam fuerit conueniens Christum, Dominũ manere in Sacramento Altaris: Dicunt ex eo fuisse; quia oportebat Christum Cœlos ascendere, & ne esset in quantum homo absens ab hominibus voluit sua benignitate in Sacramento remanere: Hęc autem ratio nullius esset ponderis si Christus potuisset in propria specie, & localiter in Cœlo, & in terra simul existere. Eandem conclusionem habet Beatus Albertus Magnus in 4. dist. 18. art. 12. Durandus, Capreolus, Paludanus Ægidius, & alij, quos sequit Masius hic.

Rationibus probatur: Prima, implicat contradictionem; quod dentur duę contradictorię simul verę; sed si vnum corpus esset simul in duobus locis darentur duę contradictorię simul verę: ergo implicat contradictionem. Probatur minor; istę sunt contradictorię: hoc numero corpus comprehenditur ab hoc numero loco: Hoc numero corpus non comprehenditur ab hoc numero loco; sed istę essent ambę verę: ergo darentur duę contradictorię simul verę: Probatur minor; in primis affirmatiua esset vera; videlicet hoc corpus comprehenditur ab isto loco cum circunscribatur, & contineatur quoad omnes suipartes ab ista superficie in hac distantia existente. Preterea negatiua etiam esset vera; videlicet, hoc corpus non comprehenditur ab hoc loco; nam illud comprehenditur, & continetur adequate ab aliquo loco, cuius nulla pars est extra talem locum; sed totum illud corpus esset extra talem locum, cum esset simul in alio loco, vt supponimus: ergo verum esset dicere, quod non comprehenditur ab hoc numero loco.

Secundo probatur conclusio: Si idem corpus numero existens Ilerdæ, posset simul existere Barchinonæ, idem numero locus, respectu eiusdem numero corporis esset æqualis, & non esset æqualis; sed hoc implicat contradictionem: ergo, & illud ex quo sequitur, sequela probatur; nam locus in quo esset Ilerdæ v. g. esset æqualis; quia totum corpus ambiret, & circumscriberet: & idem numero locus non esset æqualis; quia locus proinde dicitur æqualis locato, quia nihil locati est extra talem locum; sed totum hoc locatum existens Ilerdæ esset Barchinonæ: ergo hic numero locus non esset æqualis. Tum etiam maior est quantitas duorum locorum; quam vnius locati: ergo homo existens in duobus locis non esset in loco sibi æquali.

Tertio probatur conclusio: Si vnum corpus esset simul in pluribus locis idem distaret â se ipso; sed hoc est absurdum, vt constat: ergo, & illud ex quo sequitur. Sequela probatur; Petrus existens Ilerdæ, multum distat à Roma: ergo etiam longê distat ab omni eo, quod est intra Romam: ergo si Petrus existẽs Ilerdæ, simul existeret Romæ longê distaret se ipso, quod est maximum absurdũ nihil enim â se ipso distare potest.

Quar-

Quarto probatur. Si vnum numero corpus posset esse simul in duobus locis, posset etiam esse in tribus, vel in quatuor, & etiam in omnibus, non enim est maior ratio, quare sit in duobus, & non possit esse in omnibus: ergo vnum corpus posset esse vbique; sed hoc est falsum; cum esse vbique, ita est proprium Dei vt alteri communicari non possit: ergo non poterit vnum corpus esse simul in duobus locis.

Quinto probatur. Si Deus. Op. Max. Petrum sisteret tam, & quiescentem Illerdæ poneret in alio loco adquireret Petrus nouum vbi, & aliter se haberet nunc, quam prius; nam in ciperet esse, vbi non erat: ergo simul moueretur localiter, & non moueretur localiter: Moueretur; quia adquireret nouum vbi, corpus autem iam existens, non potest nouum vbi adquirere sine motu, vel mutatione, cum ibi sit terminus motus localis: Simul autem, non moueretur; nam supponimus, quod quiesceret.

Sexto probatur. Ex opposita sententia, quam plura sequuntur absurda: Si enim idem homo; v. g. simul existeret Illerdæ, & Romæ posset simul frigefieri; & calefieri in vno loco; Coronari, vt Pontifex, & in alio suspendi, vt latro; viuere, & mori, & quam plura alia inter se opposita: Si enim homini existenti Romæ applicaretur ignis miraculum esset, quod non calefieret, & si eidem homini existenti Illerdæ applicaretur eodem tempore gelu, vel nix miraculum esset si non frigefieret. Præterea si suspenderetur Illerdæ ratione istius suspensionis non moueretur Romæ; alioquin causa efficiens secundaria existens Illerdæ posset suum effectū Romæ producere, & operari, vbi non est, quod est omnino impossibile. Præterea si vnum corpus posset simul mori, & viuere, etiam consequenter eadem numero anima rationalis posset postea cruciari in inferno, & Glorificari in Cœlo, esetque simul Beata, & infelix, si enim homo moriens Illerdæ esset in peccato mortali eius anima descenderet in infernū; idem autem homo bene operando posset regnum Cœlorum adipisci; sed hæc omnia sunt absurda: ergo, & illud ex quo sequitur.

Septimo probatur. Si vnum corpus posset supernaturaliter existere, in duobus, vel pluribus locis, possent etiam duo corpora, absque vlla penetratione naturaliter replere simul eandem numero superficiem concauam, quæ esset æqualis vnicuique corpori alterato seorsum sumpto; sed hoc est impossibile etiam expectata Dei potentia: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur sequela maioris: Demus, quod corpus existens in duobus locis sit vas quoddam, in vno loco posset naturaliter repleri aqua, vsque ad summum, in alio autem repleri vino, tum temporis esset verum dicere, quod eadem superficies concaua vasis esset adæquate repleta aqua, & vino, absque penetratione horum corporum: ergo vera est sequela.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Fide Diuina credimus verum, & Physicum corpus Christi Domini simul reperiri in omnibus Hostijs Consecratis, simulque in Cœlo existere: ergo vnum numero corpus potest esse simul in pluribus locis.

Respondetur negando consequentiam; nam corpus Christi Domini non est in Hostijs Consecratis tanquam in loco, vt docet expresse D. Tho. 3. p. q. 76. art. 5. & probatur Ratione; nam quod est in loco est extensum in ordine ad locum: ita vt pars locati correspondeat parti loci; sed corpus Christi Domini in Sacramento existens, non est extensum in ordine ad locum, sed est ibi Sacramentaliter, & modo indiuisibili, cum sit totum in tota Hostia, & totum in qualibet parte ipsius: ergo corpus Christi Domini, pro vt est in Sacramento non est in loco: Ac per consequens argumentum non est ad rem.

Dices: Quod localiter mouetur est in loco; sed corpus Christi Domini in Sacramento existens mouetur localiter, non per se, sed per accidens ad motum quantitatis panis, vt docet D. Tho. 3. p. q. 76. art. 6. ergo corpus Christi Domini est in Sacramento tanquam in loco.

Respondetur negando absolute maiorem; nam si daretur vacuum posset aliquid localiter moueri intra ipsum, non modo per accidens, verum etiam per se, & tamen non esset in loco reali, neque circunscriberetur immediate ab aliqua superficie.

Respondetur secundo distinguendo maiorem; quod localiter mouetur recipiendo in se motum, est in loco, concedo: Si autem localiter mouetur non recipiendo in se motum, non est necesse quod sit in loco. Iam verò corpus Christi Domini in Sacramento existens non recipit in se motum localem; nam quemadmodum, licet quantitas panis frigefiat, vel calefiat non recipitur frigefactio, vel calefactio in corpore Christi Domini; ita licet quãtitas panis mouetur localiter, talis motus non recipitur in corpore Christi Domini sub tali quantitate existente, vnde solum mouetur per accidens impropriè, & quasi à parenter.

Secundum argumentum. Maius miraculum est, quod existens totus Christus in Cœlo sit Sacramentaliter in Hostijs, quam quod sit localiter in duobus locis; sed primum de facto efficitur virtute Diuina: ergo à fortiori factibile erit secundum, iuxta illam regulam; qui potest maius, potest, & minus.

Respondetur, quod in hoc argumento, aduersarij petunt principium; supponunt enim in maiori propositione, tanquam certum, id de quo est controuersia, quæstio enim est: Vtrum vnum corpus possit miraculosæ esse in duobus locis localiter; & aduersarij hoc supponentes dicunt in maiori propositione, quod hoc est minus miraculum, quam aliud miraculum:

culum: Deberent prius probare, quod est miraculum, & postea esset controuersia, vtrum maius, vel minus miraculũ esset, maius enim, & minus cũ sint modi, supponũt rẽ: Itaque falsũ diceret aliquis maius miraculũ est, quod corpus Christi Domini existat in Sacramento, quam quod vniuersale existat realiter separatum à singularibus; nam hoc secundum, cum implicet contradictionem, non potest esse miraculum; ita similiter in præsenti dicendum est propter paritatem rationis.

Ad argumentum igitur. In forma negamus absolute maiorem, supponitur enim, in ea tanquam certum, id de quo est controuersia; nam quemadmodum, qui dicit, nix est magis frigida, quam aqua, supponit aquam frigidam esse; alioquin impropria esset locutio: Ita similiter qui dicit; hoc est maius miraculum, quam illud, supponit, quod vtrumque est miraculum.

Tertium argumentum. Duo corpora possunt esse in eodem loco: ergo etiam vnum corpus in duobus locis.

Respondetur negando consequentiam: Et ratio est, quia corpus circumscribitur, & comprehenditur ã loco; ac per consequens, ita est hic, vt non sit alibi: At verò locus non circumscribitur à locato. Est etiam ratio alia: Nam duo corpora locata, possunt miraculosè se penetrare, & se penetrando eundem numero occupare locum; at verò duo loca non possunt vlla ratione se penetrare; nam de intrinseca ratione loci est distantia, vnde in diuersis locis, diuersæ distantiæ reperiuntur, & implicat contradictionem, quod res distantes se penetrent.

Quartum argumentum. D. Petro Apostolo post Christi Ascensionem é Roma fugienti apparuit Christus Dominus Crucem deferens: Similiter Saulo proficiscenti Damascum apparuit idem Christus Dominus; sed in his, & aliis similibus apparitionibus corpus Christi Domini simul erat in Cœlo: ergo vnum corpus potest esse simul in pluribus locis.

Respondetur; quod in illa apparitione, & aliis similibus, non apparet verum Christi corpus; sed aliquis Angelus assumpto corpore representante Christum: Non itaque in his apparitionibus descendit de Cœlo corpus Christi Domini; nam vt inquit D. August. & habetur in decretis de Consecratione dist. 2. cap. 1. Hæresis: *Donec finiatur sæculum sursum est Dominus.* Neque etiam fuit corpus Christi Domini localiter in Cœlo, & in terra, per manfit in Cœlo localiter, in terra verò apparuit Angelus Christi effigiem referrens.

Dices: Quærenti Saulo, *quis es Domine?* Respondsum est: *ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris:* ergo in rei veritate erat Christus, & non Angelus.

Respondetur; quod erat Angelus in persona, erat tamen Christus Iesus in representatione, si quidem representabat personam Christi: Quem-

admodum Genesis. 31. in quit Iacob *Angelum Dei sibi apparuisse, & Dixisse: ego sum Deus Bethel*, & exodi 3. dicitur, quod Dominus apparuit Moysi in medio rubi, & Dixit: *ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isac, & Deus Iacob*: Et tamen Protho Martir Stephanus hanc visionem referens cap. 7. actuum Apostolorum inquit: *apparuit illi in deserto Montis Sina Angelus in igne flammæ rubi*, & vniuersaliter in veteri testamento multoties dicitur, quod Deus apparuit Prophetis, & loquebatur eis; & tamen D. Dionisius cap. 4. Coelestis Ierarchiæ, quem innumeri sequuntur Theologi expresse ait, *non Deum per se ipsum apparuisse, sed loco Dei Angelum.*

Vltimum argumentum. Angelus, & anima sunt in pluribus locis; nam Angelus huius Ciuitatis Custos simul est in Ecclesia Catredali, & in hoc Gymnasio, & anima est tota in manu, & tota in pede: ergo etiam idem corpus potest esse simul in pluribus locis.

Respondetur negando antecedens: Angelus enim non potest esse simul in duobus, vel pluribus locis adæquatis, & totalibus, vt docent Theologi cum D. Tho. 1. p. quæst. 53. art. 2. ac per consequens, quamuis Angelus huius Ciuitatis Custos, sit simul in Ecclesia Catredali, & in hoc Gymnasio, non inde sequitur, quod sit in pluribus locis totalibus, & adæquatis; nam respectu Angeli Custodis tota hæc Ciuitas habet rationem vnius loci totalis, & adæquati; nam Angelus est in loco per suam operationem, & per applicationem suæ virtutis: Ac per consequens locus adæquatus Angeli est totum illud spatium, in quo potest suam virturem applicare. Similiter dicendum est de anima; totum enim corpus respectu animæ habet rationem vnius loci totalis, & adæquati: Ac per consequens ex eo, quod anima sit in pede, & in capite, solum colligitur, quod est in pluribus locis partialibus, & in adæquatis.

Respondetur secundo: Negando consequentiam; nam esse in loco equiuocè dicitur de modo essendi in loco rerum spiritualium; Ac per consequens ineptè fit consequentia ab vno, ad aliud.

CAPVT

CAPVT VI. VII. VIII. & IX.

De vacuo.

QVia apud antiquos Philosophos, qui vacuum, & in nane admittebant in rerum natura, locus habebat se tanquam attributum uniuersale, ad locum plenum, & ad locum vacuum, proinde disputationi de loco adiungit Arist. disputationem de vacuo, quam quatuor capitibus comprehendit. In quorum primo, quod est sextum in ordine huius libri, proponit veterum Philosophorum sententias de vacuo, & argumenta, quibus probabant dari vacuum. In septimo, post quam, ex sententia veterum diffiniuit vacuum, eorum argumenta dissoluit. In octauo, suam sententiam proponens, demonstrat non dari vacuum. In nono denique, id ipsum prosequens, alias probationes adducit. Quæ autem ex his omnibus sunt obseruationis digna in sequenti disputatione explicabuntur.

DISPV-

DISPVTATIO DE VACVO.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DETVR, VEL POSSIT dari vacuum in rerum natura?

ANimaduertendum est disputationem de vacuo propriam esse Philosopho; nam quemadmodum Logicus non solum agit de vero syllogismo, sed etiam de apparenti, & Sophistico, vt sciat discernere verum ab apparenti; ita pariter Physicus non modo disputat de loco vero, qui vere continet locatum, sed etiam disputat, de vacuo, quod quidem apparet locus, cum non sit, vt hac ratione agnoscat quomodo sit distinguendus verus locus, ab apparenti.

Obseruandum est secundo, quod vacuum, vt colligitur ex Arist. dupliciter vsurpari potest: Primo, improprié: Secundo, proprié: Vacuum improprié, & secundum vulgi opinionē appellatur locus repletus aëre, cum enim aër parum sensibilis sit, nec visu percipiatur, proinde vbi est aër nihil esse videtur, & locus in quo solum est aër vacuus communiter appellatur. Dicitur enim, quod dolium aëre plenum, est vacuum: Hāc autem acceptionem vacui impugnat Arist. probans esse valde impropriam; nam aer est verum, & Physicum corpus, vt experientia demonstrat, vires enim pleni aere non possunt plicari, suntque maioris ponderis, quam si sine aere essent: Signum igitur est, quod aer est verum corpus. Ampulla etiam plena aere non poterit repleri aqua nisi ad ingressum aquæ aer expellatur.

Vacuum proprié sumptum, sic potest

test diffiniri : *Carentia corporis existens intra superficiem aptam ad aliquod corpus ambiendum*; v. g. si Deus destrueret totum aerem existentem intra hanc aulam, impediretque alia corpora, ne hanc aulam replerent, totum hoc spatium intra hanc aulam existens diceretur proprié vacuum; de vacuo proprié sumpto disputamus in præsenti.

Prima conclusio : Non datur vacuum in rerum natura, neque viribus naturalibus dari potest. Hanc conclusionem probant quam plures, experientiæ quotidianæ : Experimur enim, quod interdum corpus graue, ascendit, ne detur vacuum.

Ratione probatur : Vnitas, & integritas est maxima perfectio totius mundi; sed ista vnitas maxime consistit in contiguitate corporum; videlicet, quod vnum corpus alterum contingat : ergo naturaliter non potest dari vacuum, nam vacuum huic contiguitati opponitur.

Secundo probatur conclusio : Natura nihil facit, vel facit frustra, frustra autem esset vacuum si daretur, vel si non esset, frustra assignetur eius vtilitas : ergo naturaliter non potest dari vacuum.

Secunda conclusio : Supernaturaliter potest dari vacuum. Probatur; nam Deus Opt. Max. qui omnia ex nihilo creauit potest sua omnipotenti virtute, omnia in nihilum redigere : ergo poterit annihilare totum elementum aeris, finalique impedire ne ignis, vel aqua, vel aliquod aliud corpus adimpleat illud spatium in quo antea erat aer; sed in isto casu illud spatium, erit proprié vacuum: ergo supernaturaliter potest dari vacuum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Extra Cœlum Empireum dantur spatia imaginaria in quibus de facto nullum datur corpus : ergo datur vacuum in rerum natura.

Respondetur negando consequentiam; nam extra Cœlum Empireum non est aliqua superficies concaua, quæ sit apta ad recipiendum aliquod corpus, & ex consequenti illa spatia imaginaria non dicuntur vacuum; nam ad rationem vacui requiritur, quod sit carentia corporis existens intra aliquam superficiem aptam ad aliquod corpus ambiendum.

Secundum argumentum: à propositione tertij adiacentis ad propositionem secundi bene valet consequentia; v. g. bene sequitur Petrus est albus : ergo Petrus est : ergo bene sequitur vacuum est carentia corporis: ergo vacuum est; sed antecedens est verum: ergo etiam consequens : ergo datur vacuum in rerum natura.

Respondetur distinguendo antecedens : Si enim intelligatur de propositionibus tertij adiacentis necessarijs falsum est; non enim valet, rosa est flos: ergo rosa est; nam in medio hiemis antecedens est verum, cum sit æternæ veritatis; & consequens est falsum; vt constat experientia : Si autem intelligatur de propositionibus

tertij

tertij adiacentis contingentibus verum est, si accidens quod attribuitur sit ens reale, bene enim sequitur homo est albus : ergo homo est. Ratio huius disparitatis hæc est ; quia in propositionibus contingentibus verbum, *est*, existentiam significat ; vnde hæc propositio Petrus est albus æquiualet huic Petrus existit albus: At verò in propositionibus necessarijs verbum ; *est*, solum denotat necessariam connexionem attributi cũ subiecto : cum igitur illa propositio, vacuum est carentia corporis, sit necessaria, & essentialis, non bene infertur ex illa : ergo vacuum est: Imo committitur fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter : nam id quod conuenit vacuo, cum addito, attribuitur, ei simpliciter, & sine additio: sicut qui dicit Clemens. VIII. est in memoria hominum: ergo Clemens VIII. est.

Tertium argumentum. Demus vas æneum repletum aqua omni ex parte clausum, ita vt nullus pateat aditus alteri corpori ad intrandum in tale vas, constituaturque huiusmodi vas in regione gelu ; tum temporis sine dubio congelabitur aqua intra vas existens: ergo condensabit se, & minorem locum occupabit, quam antea ; sed locus ille, quem non occupat aqua non potest adimpleri alio corpore, cum nullum corpus possit introire in vas, vt supponimus : ergo tale spatium vacuum remaneret: ergo naturaliter potest dari vacuum.

Respondetur negando antecedens: In illo enim casu nullatenus congelaretur aqua, ne daretur vacuum, neque hoc aliquomodo est incredibile; nam non minus repugnat aquæ ascendere, quam non congelari si sit circumdata gelu ; sed ne detur vacuum ascendit aqua, vt experientia comprobatur : ergo etiam in casu argumenti, non congelaretur ; quamuis gelu esset debite applicatum.

Alij Respondent, quod frangeretur vas, vt aer, vel aliud corpus posset ingredi ad replendum illud spatium, quod aqua præexistens propter congelationem reliquit, atque ita esse experientia comprobatum, quibus malo credere, quam incredulus experiri.

QVAESTIO II.

Vtrum motus localis effectus in vacuo esset instantaneus?

PRima conclusio: Nullum corpus sub lunare posset naturaliter moueri per vacuum si daretur. Probatur ; nam, vt docet D. Tho. 1. p. q. 115. art. corpora Cœlestia sunt causa omnium motuum naturalium, qui in his inferioribus fiunt ; sed si daretur vacuum non posset influxus corporum Cœlestium communicari corpori existenti in vacuo : ergo corpus in vacuo existens non posset naturaliter moueri. Probatur minor ; nam mouens, & motum debent esse simul, & contingere se, vel immediatione virtutis, vel immediatione suppositi; sed si daretur vacuum non possent corpora Cœlestia aliquo modo contingere

dicitur aliquid quiescere, quarto tempore poterat moueri, & non mouetur: Tempus igitur intrinsece, & per se coniungitur motui primi mobilis; ac per consequens si omnino cessaret hic motus non daretur tempus.

Tertium argumentum: Ex Arist. cap. 12. huius libri, quæ tempore mensurantur superantur à tempore; idest sunt minoris extensionis & durationis, quam tempus; sed motus primi mobilis non superatur à tempore; nam incepit cum tempore, & desinet simul cum ipso: ergo tempus non est mensura motus primi mobilis.

Respondetur; quod Arist. venit intelligendus de his, quæ extrinsece mensurantur tempore, huiusmodi sunt omnes motus Physici sublunares, non autem de motu primi mobilis, qui intrinsece mensuratur tempore.

Vltimum argumentum. Prius, & posterius temporis sunt ipsummet tempus, videlicet pars præterita, & futura; sed nihil diffinitur apte per se ipsum: ergo male diffinitur tempus per prius, & posterius.

Respondetur negando consequentiam; prius enim, & posterius in ista diffinitione vsurpantur secundum durationem successiuam, qua ratione sunt partes temporis: Ac per consequens tempus diffinitur per suas partes. Nec inde sequitur, quod diffinitur idem per idem; quamuis partes temporis sint idem realiter cum tempore non tamen sunt idem, secundum eandem omnino rationem, quemadmodum igitur apte diffinitur homo, per animal, & rationale, quæ sunt partes Metaphisicæ ipsius hominis: Ita tempus apte diffinitur per prius, & posterius, quamuis sint partes ipsius.

QVAESTIO IV.

Vtrum tempus distinguatur realiter à motu?

PRima conclusio: tempus, & motus primi mobilis non distinguuntur realiter, vt res à re: Ita Arist. cap. 11. huius libri: vbi, *cum dixisset, quod prius & posterius in motu sunt secundum rem ipsemet motus, addit, quod prius, & posterius in motu, quatenus sunt numerabilia sunt tempus, quod antea diffinierat*: ergo motus, & tempus sunt realiter idem. Eandem conclusionem tenent Durandus, Soto; Masius, & alij. Ratione probatur; nulla duratio distinguitur realiter, vt res à re, ab existentia rei cuius est duratio intrinseca; sed tempus est duratio intrinseca motus primi mobilis: ergo non distinguitur realiter ab ipso; maior constat ex communi modo loquendi: Idem enim est quærere, an aliqua res duret, & an aliqua res existat; nam duratio nihil aliud est, quam existentia continuata alicuius rei; hinc D. Tho. in 1. dist. 19. q. 2. art. 1. inquit: *Tandiu res durare dicitur, quandiu est in actu.*

Secundo probatur conclusio: Numerus numerabilis, & res, quæ numerabilis est, realiter sunt idem; sed tempus est numerus numerabilis motus primi mobilis: ergo non distinguitur realiter, vt res à re ab ipso motu primi mobilis.

Secunda conclusio: Tempus, & motus primi mobilis distinguuntur realiter formaliter. Probatur, in primis testimonio Arist. qui cap. 10. reprehendit eos, qui dicebant tempus esse formaliter motum Cœli.

Secundo probatur conclusio: Illa distinguntur formaliter, quæ habent distinctas essentias; sed tempus, & motus primi mobilis habent distinctas essentias: ergo distinguntur formaliter. Probatur minor; nam essentia rei explicatur per diffinitionem; sed tempus, & motus primi mobilis habent distinctas diffinitiones: ergo etiam distinctas essentias; minor constat ex supra dictis, nam motus primi mobilis, cum sit verè, & propriè motus est actus entis in potentia, vt est in potentia. Hæc autem non est diffinitio temporis, vt constat ex quæst. præcedenti.

Confirmatur. Hæc ratio proprietates profluunt ab essentia rei; sed motus, & tempus habent distinctas proprietates: ergo etiam distinctas essentias. Probatur minor; nam proprietates temporis sunt esse longum, vel breue, & mensurare actiue motus Physicos: At verò proprietates motus sunt esse velocem, vel tardum, & mensurari tempore.

Tertio probatur conclusio: Nulla res præter Deum est formaliter sua duratio, vt docet D. Tho. 1. p. q. 10. art. 2. ergo motus primi mobilis, & sua duratio formaliter distinguntur; sed duratio motus primi mobilis est tempus: ergo tempus, & talis motus formaliter distinguntur.

Quarto probatur conclusio: Quæ collocantur in diuersis Cathegorijs, saltim realiter formaliter distinguntur; sed tempus collocatur directe in Cathegoria quantitatis, vt diximus q. 2. motus verò non collocatur directe in aliqua Cathegoria, vt libro præcedenti ostensum est: ergo motus essentialiter distinguitur à tempore.

Tertia conclusio: Tempus distinguitur realiter, vt res à re ab omnibus alijs motibus distinctis à motu primi mobilis, siue sint motus sublunares, siue motus aliorum Cœlorum. Probatur; tempus est mensura intrinseca motus primi mobilis, aliorum autem motuum est mensura extrinseca, vt docet expresse D. Tho. 1. p. q. 10. art. 6. & op. 36. cap. 2. sed mensura extrinseca distinguitur realiter, vt res à re à mensurato: ergo vera est conclusio.

Secundo probatur conclusio: Accidentia, quorum substantia distinguntur realiter, vt res à re, etiam ipsa vt res à re distinguntur; sed subiectum temporis, quod est primum mobile distinguitur realiter, vt res à re ab omnibus alijs corporibus inferioribus, quæ sunt substantia aliorum motuum (motus enim est in mobili tanquam in subiecto) ergo tempus,

pus, & illi motus distinguuntur realiter, vt res à re.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. D. August. lib. 11. confessionum cap. 23. sic ait: *Nemo mihi dicat motus Cœlestium corporum esse tempora, quia cuiusdam voto dum per ageret bellum Sol stabat, & tempus ibat*: ergo motus, & tempus realiter distinguntur tanquam res à re.

Respondetur negando consequentiam; solum enim negat D. August. in illis verbis, tempus esse motus omnium corporum Cœlestium, quod etiam nos negamus; nam tempus solum identificatur realiter cum motu primi mobilis. Iam verò tempore egregij Ducis Iosuæ de quo in prædictis verbis loquitur August. Sol miraculè stetit; & tamen non stetit tempus, quia adhuc mouebatur primum mobile. Sol enim non est in primo mobili, sed in quarto Cœlo nobis propinquiori.

Secundum argumentum. Mensura, & mensuratum distinguntur realiter, vt res à re; sed tempus est mensura motus primi mobilis: ergo distinguitur ab ipso realiter tanquam res à re.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera de mensura extrinseca: Falsa autem de mensura intrinseca. Iam verò tempus non est mensura extrinseca, sed intrinseca motus primi mobilis.

QVAESTIO V.

Vtrum detur tempus præsens ratione sui?

OBseruãdum est primo: Quod duobus modis dicitur aliquid præsens. Primo, existentia simultanea, & per manenti; qua ratione animal dicitur præsens alicui loco, quia eius partes simul permanent. Secundo, dicitur aliquid præsens existentia successiua, & fluente; qua ratione dicitur præsens id quod fit, vel transit, & in hoc sensu dixit D. Tho. in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. *quod esse successiuorum est fieri.*

Obseruandum est secundo: Quod in quantitate, & in speciebus ipsius datur minimum naturale, sub quo natura alicuius rei conseruari potest, & sub minori non potest, & hoc minimum naturale solet appellari minimum quod sic, & est Physicè indiuisibile, alioquin non esset minimum, vel posset dari minus minimo: Illa igitur pars temporis, quæ ita est minima, vt non posset dari minor diceretur minimum temporis.

Obseruandum est tertio: Inter minimum naturale temporis, & instans tantum reperiri discrimen; nam minimum naturale essentialiter est quantum, & continuum, & quamuis non possit diuidi in partes per se subsistentes, & æquales, est tamen diuisibile in partes in existentes, & proportionales: At verò instans non est quantum, nec continuum, sed

indiuisibile omnino; Et quemadmodum ex pluribus punctis non potest fieri panua linea, vt ostensum est in Logica: Ita ex pluribus instantibus non potest fieri tantillum temporis, continuum enim non potest componi ex indiuisibilibus, vt dicemus infra lib. 6.

Prima conclusio: Tempus non solum est præsens ratione instantis; sed etiam est præsens ratione sui; & absolute dicendum est, quod datur pars temporis præsens. Ita Durandus in 2. dist. 2. q. 4. Heruæus q. 1. eiusdem distinctionis. Ratione probatur: Sicut se habet punctū ad lineam, ita se habet instans ad tempus, vt docet D. Tho. Op. 37. cap. 2; sed linea non existit per existentiam puncti: ergo neque tempus existit, vel est præsens per existentiam instantis. Probatur minor; nam existentia Lineæ est diuisibilis, existentia autem puncti omnino indiuisibilis est.

Secundo probatur conclusio efficaciter: De tempore continuo solum habemus instans præsens, vel igitur post hoc instans præsens sequitur immediate aliud instans, vel sequitur tempus; non primum, nam in tempore non dantur duo instantia immediata, vt docet expresse D. Tho. 1. p. q. 36. art. 6. ad 4. & 3. p. art. 75. art. 6. ad 1. vbi expresse ait; *quod inter duo instantia, necessario mediat tempus*: ergo immediate post instans præsens sequitur tempus: ergo immediate post hoc instans tempus erit præsens ratione sui.

Tertio probatur conclusio: Instans non est tempus, neque pars temporis: quemadmodum punctum, neque est linea, neque pars lineæ: ergo si de tempore solum habemus instans, & non datur aliqua pars præsens temporis, nihil habemus de tempore, neque existit aliquo modo tēpus, quod est absurdum.

Confirmatur hæc ratio: Tempus, sicut quodlibet aliud totum, nihil aliud est, quam suæ partes: ergo si modo de facto nulla pars temporis existit nullo modo existit tempus. Dicendum est igitur dari partem tēporis præsentem.

Secunda conclusio: Pars temporis præsens essentialiter est successiua. Probatur; nam talis pars essentialiter est tempus; sed de intrinseca ratione temporis est successio: ergo talis pars essentialiter est successiua: Non itaque dicitur præsens, quia permancat, sed quia actu transit, & fit.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam. Arist. & D. Tho. & alij Doctores persæpe affirmant, quod de tempore non habemus nisi nunc, ideſt instans: ergo tempus solum est præsens ratione instantis.

Respondetur interpretando antedens, de tempore enim non habemus præsens nisi instans existentia, & præsentia simultanea; nam cum instans sit omnino indiuisibile, totum simul existit, pars autem temporis dicitur præsens præsentia successiua,

& fluen-

& fluente, quæ consistit in actuali transitione.

Secundum argumentum. In natura fluente, & successiua, nulla pars potest assignari, quæ sit præsens; sed tempus consistit in continuo fluxu, & successione: ergo in tempore non datur pars præsens. Probatur maior; nam quod est præsens permanet; sed enti successiuo repugnat permanentia: ergo in natura entis successiui nulla pars dicitur præsens.

Respondetur negando maiorem. Probationi dicimus, quod illud, quod est præsens præsentia simultanea permanet; quod autem est præsens præsentia successiua, qualis est præsentia temporis non permanet, sed transit, & fit: Quemadmodum proportionabiliter aqua fluminis dicitur præsens lapidi in medio fluminis existenti, non quia in lapide permaneat, sed quia super lapidem actu transit.

Tertium argumentum. Vel pars temporis præsens habet alias partes, vel non habet; sed neutrum est dicendum: ergo non datur pars temporis præsens. Probatur minor, in primis non est dicendum, quod non habet alias partes, nam tempus est continuum; sed quælibet pars continui est continua: ergo pars temporis præsens erit continua; sed continuum est extensum, & diuisibile in partes: ergo pars temporis præsens habebit alias partes. Præterea probatur, quod non habeat partes; nam vel illæ partes sunt totæ simul, vel vna succedit alteri; Si primum: ergo iam datur aliqua pars temporis, quæ est permanens, quod est contra secundam conclusionem; Si secundum: ergo nulla pars temporis est præsens, sed omnes sibi inuicem succedunt.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus; quod pars præsens temporis est continua, extensa, & diuisibilis in partes, saltim proportionales, vt optimè probat argumentum; quæ quidem eatenus dicuntur præsentes, quatenus actu sibi inuicem succedunt, & actu transeunt: Solum igitur probat argumentum, quod non datur pars temporis, quæ sit præsens permanenter, & præsentia simultanea.

QVAESTIO VI.

Vtrum detur vnicum tempus, vel plura?

OBserua primo: Quod mensura durationis dicitur id, quod cognoscitur quanta sit cuiusque rei duratio. Tres autem sunt huiusmodi mensuræ, videlicet æternitas, æuum, & tempus, æternitate mensuratur existentia Dei; æuo mensuratur existentia Angelorum, & existentia cuiuslibet rei incorruptibilis, v. g. existentia Cœlorum, & animæ rationalis; Tempore denique, mensuratur, motus continuus, & successiuus. De æternitate, & æuo latè disputant Theologi cum D. Tho. 1. p. quæst. 10.

Obserua secundo: Quod tempus continuum duplex est: aliud identificatur realiter cum motu primi Cœ

li,

li, quem intrinsece mensurat, & de hoc tempore egimus, cum Arist. in hac disp. soletque communiter appellari tempus Physicum: Aliud est tempus continuum, quo mensurantur motus continui, qui non sunt motus primi mobilis, neque dependent â motu primi mobilis, huiusmodi sũt motus continui Angelorum, & corporis glorificati. Præsens quæstio solum procedit de tẽpore nostro, quod est mensura motus primi mobilis, de quo agimus in tota ista disputatione.

Sit conclusio: Solum datur vnicum tempus: Ita Arist. cap. 10. & D. Tho. 1. p. q. 10. art. 6. Ratione probatur; tempus nostrum, non solum comparatur ad motum primi mobilis tanquam mensura ad mensuratum, sed etiam tanquam accidens ad subiectum cui immediate inhæret; sed accidens accipit vnitatem numericam â subiecto: ergo cum motus primi mobilis sit vnus numero etiam tempus erit vnum numero.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Mensis, dies, & annus sunt tempora, annus etiam adæquate diuiditur in quatuor tempora, quæ dicuntur æstas, autumnus, ver, & hyems: ergo dantur plura tempora.

Respondetur negando consequentiam: Dies enim, mensis, & annus, & quatuor anni tempora, potius dicuntur partes temporis, vel tempora partialia, & in adæquata. Vnde solum probat argumentum dari plures partes temporis.

Secundum argumentum. Tempus Physicum est mensura omnium motuum Physicorum; sed motus Physici sunt plures: ergo etiam tempus Physicum erit multiplex. Probatur consequentia; nam ad multiplicationem mensurati, necesse est, quod multiplicetur mensura.

Respondetur negando consequentiam; probationi dicimus falsam esse si fermo fiat de mensura extrinseca: Hæc enim non multiplicatur realiter, ad multiplicationem rerum mensuratarum; nam vna numero vlna mensurat pannum, lignum, & parietem, &c. Iam verò tempus solum est mensura intrinseca vnius numero motus, aliorum autem motuum est mensura extrinseca.

Tertium argumentum. Motuus continuus, quo mouetur Angelus, vel corpus glorificatum mensuratur tempore; sed non mensuratur eodem tempore, quo mensurantur motus Physici sublunares: ergo non datur vnicum tempus, & ex consequenti falsa est conclusio.

Respondetur negando consequentiam: Nam in conclusione solum loquimur de tempore Physico, quo motus Cœlorum, & omniũ rerum sublunarium mensurantur: Argumentũ vera procedit de tempore in communi.

QVAES-

QVAESTIO VII.

De partibus iutegrantibus Temporis.

TEmpus prima sui diuisione diuidi potest; in præteritum, quod antea fuit; in præsens, quod actu transit; & in futurum, quod postea erit. Diuiditur etiam tempus alia diuisione in annos, anni in quatuor tempora, & in duodecim menses; menses in septimanas, septimanæ in Dies. Dies in quadrantes, quadrantes in horas, horæ in puncta, puncta in minuta, minuta in momenta; & tandem momenta in atomos.

Annus igitur ab innouando dictus est; quia innouat cuncta, quæ naturali ordine transierunt: Diuiditurque annus in quatuor præcipuas partes, quæ communiter, quatuor anni tempora appellantur, & sunt Autumnus, Hiemps, ver, & æstas. Autumnus, qui incipit mense Augusti, est frigidus, & siccus. Hyems incipit mense nouembris, & est tempus frigidum, & humidum. Ver incipit mēse Februarij, & est calidū, & humidum. Æstas denique incipit mense Maij, & est calida, & sicca: istæ autem differentiæ qualitatum ex vario situ solis causantur, & istæ quatuor partes temporis in hoc distico continentur.

Poma dat Autumnus formosa
est Messibus æstas.
Ver præbet flores, igne leuatur
Hyems.

Diuiditur etiã annus adæquate in duodecim mēses; primus, dictus est Ianuarius, eo quod sit Ianua anni, & eius principiū, vel vt alij dicūt, est dictus Ianuarius á Iano Rege Etirotarū, quē post eius mortē Romani, vt Deū adorauerūt, habebatq; eius statua duas facies, quā ob causā Ianus biceps, & bifrons nūcupatus est. Quia igitur primus anni mēsis duas quasi facies habet, quarū altera trāsacti anni finē respicit; Altera verò futuri anni principiū contēplatur, proinde Ianuarius dictus est.

Secundus mensis dictus est, Februarius accepto nomine á Februo, qui alio nomine Pluton appellabatur: Solebant enim hoc mense Romani Sacrificium afferri Plutoni, & Diis tartareis, pro animabus maiorum suorum.

Tertius mensis, & apud Romanus olim primus dictus, est Martius, propter Martem Romanæ gentis Authorem, qui Romale Pater existit. Romidus enim primus anni mensis genitori suo Consecrare voluit.

Quartus mensis á Grecis, & latinis Aprilis vocatur ab apperiendo; Cœlum enim nuuibus obtectum hoc mense fugatis, nuuibus vrbus humanis, quasi apperitur, terra etiam, & arbores apperiunt se in germen, & flores, hoc enim mense incipiunt arbores florescere. Aprilis igitur quasi apperiris denominatur.

Quintus mensis, Maius á maioribus dictus est.

Sextus verò, Iunius á Iunioribus: Romanum enim populum diuisit, Romulus in maiores, & minores, seu Iuniores, quorum alij consilio, alij verò armis rempublicam tuentur.

Sep-

Septimus mensis, Iulius dictus est, à Iulio cæsare, qui hoc mense in Imperatorem electus est. Vocabatur autem antea quintilis; quia est quintus à Martio.

Octauus mensis, Augustus; ab Augusto cesare dictus est, qui primo die huius mensis Antonium, & Cleopatram in signi victoria deuicit: Vocabatur autem antea sextilis, quia est sextus à Martio.

Nonus, September dictus est, quasi septimus imber; desumpto nomine â numero septenario, est enim hic mensis septimus â Martio, qui fuit apud Romanos primus; eodem modo tres alij menses reliqui, October, Nouember, & December sua nomina sortiti sunt à numero, videlicet quo distant â mense Martio.

Menses diuiduntur in hebdommadas, est autem hebdommada nomen græcum, latine dicitur septimana, quasi septem habens mane, de sumpto nomine â septenario numero dierum quos complectitur.

Septimana distribuitur in septem dies, dicitur autem dies â diuisione, eo quod lucem â tenebris diuidat, seu â diis, quorum nomina diebus impossita sunt, de denominatione autem dierum septimanæ; dicemus in libris de Cœlo disp. 3. quæst. de planetis.

Dies diuiditur in quatuor quadrantes: vnde quadrans erit quarta pars diei naturalis, videlicet spatium sex horarum; nam dies naturalis viginti quatuor horas integras complectitur: hora est vigesima quarta pars diei: Punctum est quarta pars horæ, vnde puncta horæ erunt, quibus panis quartus nuncupantur. Duo minuta, & dimidium faciunt vnum punctum horæ; momentum est quarta pars minuti: Atomus denique est pars quædam minutissima temporis, momentum enim constat ex quingentis sexaginta quatuor atomis. Hæc omnia ex diuo Isidoro Archiepiscopo Hispalensi in libro etimologiarum, & ex 1. tom. venerabilis Bedæ, & ex alijs viris doctissimis deprompta. Atque his dictis finem habet hic liber quartus.

LIBER

LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

DIsputationem de motu, quam libro tertio incepe rat Arist. in hoc, & sequentibus libris prosequitur, in præsenti autem libro de speciebus, vnitate, & cõtrarietate motus per sex capita disputat.

CAP. I.

Motum à mutatione distingui.

IN tres præcipuas partes diuiditur hoc caput: In prima, quandam diuisionem adducit; in secunda, & tertia singulas conclusiones proponit.

Asserit igitur in prima parte, tripliciter aliquid moueri: Primo per accidens, qua ratione mouentur accidentia ad motum subiecti cui inhærent: Secundo, per partem, v. g. cum aliquis curatur in pede, dicitur per partem moueri. Tertio, per se, & ratione sui, qua ratione aqua igni applicata dicitur calefieri: Tribus etiam modis aliquid mouet: Primo per accidens, vt cum musicus ædificat: Secundo, per partem, qua ratione dicimus, quod homo percutit, quia manus percutit: Tertio, per se, qua ratione ædificator ædificat.

In secunda parte capitis explicaturus in quo sit motus tanquam in subiecto obseruat: in quolibet motu, quinque reperiri, videlicet, mo-

uens, mobile, terminum à quo, & terminum ad quem, & tempus mensurans motum, quo supposito.

Hanc conclusionē proponit: Motus est in mobile tanquā in subiecto. Probatur ex sufficienti diuisione: Motus enim non est in mouente, cum non sit, proprie loquendo, actus mouentis, sed actus mobilis entis, vt dictum est lib. 3. Præterea neque est in tempore, imo potius tempus est in motu, sicut mensura in mensurato. Insuper neque est in termino à quo; nam motus magis videtur esse in termino ad quem quam in termino à quo; sed non est in termino ad quem: ergo multo minus erit in termino à quo. Maior probatur; nam motus denominatur a termino ad quem, non autem à termino a quo; cum enim aqua a frigiditate ad caliditatem mouetur, non dicitur frigefieri, sed calefieri de sumpta denominatione a termino ad quem: ergo vera est maior; Minor etiam probatur; nam quod habet & recipit motum mouetur; sed terminus ad quem nō mouetur, sed motum terminat: ergo motus, non est in termino ad quem.

In tertia parte capitis, vt explicet Arist. qua ratione motus, a mutatione distinguatur. Animaduertit, quod mutatio propria est triplex. Quædā fit a subiecto in subiectum, id est inter duas formas positiuas, vt cum ex albo fit nigrum. Alia fit ex subiecto in non subiectum, id est a forma ad priuationem, vt cum in corruptione hominis, ex homine fit non homo. Alia denique fit ex non subiecto in subiectum, id est ex priuatione ad formam positiuam, qua ratione per substantialem generationem ex non homine fit homo.

Obseruat etiam Arist. quod nulla mutatio potest fieri ex non subiecto ad non subiectum; nam extrema mutationis debent opponi, vel contrarie, vel contradictorie, ad oppositionem autem contrariam requiruntur duo extrema positiua, ad cōtradictoriam verò requiritur, quod vnum extremum sit positiuum: ergo inter duas priuationes, vel negationes non potest fieri motus, vel mutatio.

Hoc posito. Hinc aliam proponit conclusionem: Sola mutatio, quæ fit ex subiecto in subiectum est motus propriè dictus: Aliæ autem mutationes non sunt propriè motus. Probatur; nam quod non est actu non mouetur; sed quod generatur non est, sed fit: ergo quod generatur non mouetur: ergo neque generatio, quæ est mutatio ex non subiecto in subiectū erit propriè motus.

Secundo probatur; omni motui opponitur quies, vel motus; sed corruptioni sola generatio opponitur, quæ neque est quies, nec propriè motus: ergo corruptio, quæ est mutatio ex non subiecto in subiectum non erit propriè motus.

CAP.

CAPVT SECVNDVM.

AD QVAS CATHEGORIAS DETUR motus?

DOcet Arist. in hoc cap. ad tres tantum Cathegorias, quantitatem videlicet, qualitatem, & vbi dari per se motum, ad alias verò Cathegorias nequaquam: quæ quidem Doctrina latè explicabitur in quæstionibus sequentibus.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM AD QVANTITATEM detur per se motus?

OBseruandum est primo: Quod motus dupliciter considerari potest: Primo in communi, quatenus videlicet complectitur omnem mutationem, siue successiuam, siue instantaneam, & hac ratione egimus de motu cum Arist. supra lib. 3. Secundo vsurpatur motus propriè, & in rigore, videlicet pro motu successiuo, qui distinguitur a mutatione instantanea, & hac ratione cisputat Arist. de motu in præsenti.

Obseruandum est secundo: Quod inuestigare, vtrum ad quantitatem detur per se motus? idem est, quod quærere; an motus propriè dictum possit terminari ad quantitatem? Ita vt quantitas sit per se, & ratione sui terminus ad quem, productus, & adquisitus per motum propriè dictum, & in hoc eodem sensu exagitabuntur quatuor quæstiones sequentes.

Obseruandum est tertio: Ad motum quatuor requiri: Primo, quod terminus ad quem habeat latitudinem, siue intensiuam, vt qualitas, siue extensiuam vt: quantitas, & vbi; cum enim de intrinseca ratione motus sit successio, necesse est quod terminus adquisitus per motum, sit successiue adquisibilis: Secundo requiritur, quod mobile, id est id quod mouetur habens actu, de subiecto cuius negauit Arist. generationem esse motum, quia quod generatur non est actu, sed fit, & materia prima

in qua exercetur generatio secundum se non est ens actu, sed ens in potentia: Tertio requiritur, quod vterque terminus, videlicet terminus a quo, & terminus ad quem sit quid positiuum, defectu cuius illuminatio aeris non dicitur propriè motus; quia terminus a quo non est positiuus, sed priuatiuus, videlicet tenebræ. Hinc dixit Arist. quod sola mutatio, quæ fit ex subiecto in subiectum est propriè motus: Quarto requiritur, quod illi termini sint oppositi oppositione passiua, & determinata, qua ratione opponuntur albedo, & nigredo.

Sit conclusio: Ad quantitatem datur per se motus, videlicet motus augmenti, qui est a minori quantitate, ad maiorem, & motus decrementi, qui est a maiori quantitate, ad minorem: Ita Arist. cap. 2. Ratione probatur; terminus augmentationis, & diminutionis habet latitudinem, cum sit quantus, & ex consequenti dibisibilis, & extensus: Præterea, quod augetur, & diminuitur est ens actu. Insuper isti motus fiunt inter terminos positiuos, & determinate oppositos, videlicet inter maiorem, & minorem quantitatem: ergo augmentatio, & diminutio sunt verè, & propriè motus: consequentia constat ex tertia obseruatione.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Arist cap. 4. libri præcedentis inter species motus localis connumerauit augmentionem, & diminutionem; sed motus localis non terminatur ad quantitatem, sed ad vbi: ergo augmentatio, & diminutio non sunt motus ad quantitatem.

Respondetur, quod augmentatio, & diminutio essentialiter, & per se sunt motus ad quantitatem; quia verò id quod augetur maiorem occupat locum, quod autem decrescit minorem: Hinc est, quod augmentatio, & diminutio quodammodo, & ex accidenti ad motum localem spectare videntur, & hac ratione interpretandus est Arist.

Secundum argumentum: Omnis motus debet fieri inter terminos contrarios se mutuo expellentes; sed aduenient maiori quantitate, quæ est terminus ad quem augmentationis perseuerat quantitas minor quæ est terminus a quo: ergo motus augmentationis non est propriè motus.

Respondetur distinguendo minorem; quamuis enim aduenient maiori quantitate perseuerat quantitas minor sub ratione quantitatis, non tamen sub ratione minoris, & paruæ, qua ratione dicebatur formaliter terminus a quo, remanet igitur terminus a quo materialiter, non tamen formaliter, & duplicando sub ratione termini.

QVAESTIO II.

Vtrum ad qualitatem detur per se motus?

PRima conclusio: Ad qualitatem datur per se motus, qui dicitur alte-

alteratio: Ità Arist. cap. 2. Ratione probatur; calefactio, & frigefactio sunt verè, & propriè motus Physici, & idem de aliis alterationibus dicendum est; sed calefactio, & frigefactio per se terminantur ad qualitatem: ergo ad qualitatem datur per se motus; minor constat, nam calefactio per se terminatur ad calorem, & frigefactio, ad frigiditatem, calor autem, & frigiditas sunt patibiles qualitates: Maior autem probatur ex dictis in præcedenti quæstione; nam terminus ad quem, videlicet calor, habet latitudinem intensiuam; tum etiam id quod calefacit est ens actu; & denique calefactio fit inter terminos positiuos propria contrarietate oppositos, videlicet inter frigiditatem, & calorem: ergo calefactio est verè, & propriè motus, & idem argumentum fieri potest de frigefactione, & de aliis alterationibus accidentariis, quæ fiunt inter terminos positiuos.

Secunda conclusio: Alteratio, quæ est verè, & propriè motus Physicus, solum terminatur ad qualitates tertiæ speciei, videlicet ad patibiles qualitates, & perturbationes, huiusmodi sunt caliditas, & frigiditas, albedo, & nigredo, & aliæ huiusmodi, ad alias autem species qualitatis non datur alteratio proprie dicta, sicut neque motus. Hanc conclusionem docet Arist. infra lib. 7. cap. 3 quem sequuntur communiter omnes eius interpretes, & probari potest ex dictis in præcedenti quæstione; nam terminus ad quem motus propriè dicti debet habere latitudinem intensiuam si sit qualitas, quæ consistit in hoc; quod est susceipere magis, & minus; sed non omnes species qualitatis suscipiunt, magis, & minus, vt in Logica ostensum est, cap. de qualitate: ergo non datur alteratio, & motus proprié dictus ad omnes species qualitatis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Qualitates secundæ, huiusmodi sunt colores, sunt patibiles qualitates; & tamen non possunt comparari per motum: ergo ad qualitatem, non datur per se motus. Probatur minor; ex eo non datur per se motus ad sanitatem; quia sanitas præsupponit primas qualitates, quæ sunt frigiditas, &c. & producitur ad productionem illarum; sed idem contingit in secundis qualitatibus, v. g. in albedine, & nigredine: ergo secundæ qualitates non producuntur per motum.

Respondetur negando minorem; probationi negamus etiam minorem; est enim dispar ratio de sanitate, & de qualitatibus secundis, v. g. de albedine, & nigredine; nam sanitas, non distinguitur realiter tanquam res à re à primis qualitatibus, sed consequitur ad illas, sicut relatio ad fundamentum, sanitas enim nihil aliud est quam concordia quatuor qualitatum; at verò qualitates secundæ, vt colores, sapores, &c. Distinguntur realiter, vt res à re à primis qualitatibus, & producuntur diuersa productio-

ductione : Ac per consequens potest dari per se motus ad illas, quamuis non detur per se motus ad sanitatem.

Secundum argumentum. Frigiditas, & albedo niuis ; & similiter caliditas, & rarita ignis sunt patibiles qualitates ; & tamen non producuntur per motum : ergo patibiles qualitates non producuntur per motum.

Respondetur, quod accidentia, quæuis illa sint, siue qualitates, siue quantitas, siue vbi, quæ producuntur vna cum subiecto cui inhærent, non producuntur per motum proprie dictum, neque ad illa datur per se motus : Si enim Deus hominem in hoc loco crearet, homo in instanti, & sine motu adquireret quantitatem, qualitatem, & vbi, & omnia alia accidentia inhærentia ipsi, & similiter in eo instanti in quo producitur nix, comproducuntur simul cum substantia niuis frigiditas, & albedo ipsius. Quando autem dicitur ad quantitatem, qualitatem, & vbi dari per se motum, intelligendum est, si illa producantur post quam iam semel productum est subiectum, non autem si producantur ad productionem ipsius; nam quando simul cum subiecto producuntur terminus à quo non est positiuus, sed negatiuus, seu priuatiuus, si quidem ex non quanto fit quantum, & ex non quali fit quale.

QVAESTIO III.

Vtrum ad vbi detur per se motus?

PRima conclusio : Ad vbi datur per se motus, qui dicitur loci mutatio, seu motus localis : Ita Arist. cap. 2. Ratione probatur ; & potest probari eadem ratione, qua ostensum est dari motum ad quantitatem, & qualitatem, habet enim motus localis, quatuor illa requisita ad motum proprie dictum.

Secunda conclusio : Terminus intrinsecus, & præcipuus motus localis est vbi : locus autem est terminus extrinsecus, & minus præcipuus. Colligitur hæc conclusio ex Arist. qui non dixit ad locum dari per se motum, sed ad vbi. Ratione probatur ; motus realiter idemtificatur, cum termino ad quem, vt supra libro tertio ostensum est, sed motus localis idemtificatur realiter cum vbi, non autem idemtificatur realiter cum loco: ergo, vbi, erit terminus intrinsecus, & non locus. Probatur minor; accidentia, quorum subiecta distinguntur realiter tanquam res à re, ipsa quoque realiter distinguntur; sed motus localis, & locus subiecti sũt realiter, vt res à re distincti ; nam motus localis inhæret mobili, locus autem inhæret corpori ambienti : ergo motus localis, & locus non idemtificantur realiter.

Secundo probatur conclusio : Non potest dari motus sine termino intrinseco, sed potest dari motus localis sine loco

loco reali, vt si aliquid moueretur per vacuum, vel per locum imaginarium: ergo locus non est terminus præcipuus, & intrinsecus motus localis.

Tertio probatur conclusio: Per motum localem non producitur locus, sed vbi, locus enim motui locali præsupponitur: ergo vbi erit terminus præcipuus motus localis, non autem locus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Terminus motus debet esse extensus, ita vt possit adquiri pars post partem; sed vbi non adquiritur per partes, sed totum simul: ergo ad vbi non datur per se motus,

Respondetur negando minorem, quamuis enim vbi non habeat latitudinem eo modo, quo habent illam quantitas, & qualitas, dicitur tamen habere latitudinem, quatenus mobile successiue, & paulatim appropinquatur ad ipsum, & quo magis mouetur, magis accedit ad vltimum vbi, quod est terminus ad quem, & recedit ad vbi, quod est terminus à quo.

Secundum argumentum. Motus propriè dictus sit inter terminos contrarios; sed vbi nihil est contrarium, vt dicimus in Logica: ergo ad vbi non potest dari motus. Idem argumentum fieri potest de quantitate; nam etiam quantitati nihil est contrarium.

Respondetur distinguendo minorem; quamuis enim vbi, nihil sit contrarium contrarietate propria, habet tamen contrarium contrarietate impropria; vnum enim vbi contrariatur alteri in quantum sunt incompossibilia in eodem subiecto, & vnum debet fieri ex alio, & hæc contrarietas sufficit ad rationem motus Physici. Idem dicendum est de motu augmentationis, & minutionis; nam quantitas maior, & quantitas minor, quæ sunt termini istorum motuum contrarietate impropria opponuntur.

QVAESTIO IV.

Vtrum ad substantiam detur per se motus?

OBseruandum est: Quod mutatio substantialis triplex est, videlicet generatio substantialis, quæ est mutatio ex priuatione ad formã; nutritio, per aquam producitur substantia partialis, seu noua pars substantiæ, cum alimentum conuertitur in substantiam aliti; & tandem corruptio substantialis, quæ est mutatio de esse ad non esse, videlicet de forma ad priuationem.

Sit conclusio: Ad substantiam non datur per se motus propriè dictus ea ratione, qua loquimur de motu in præsenti; neque aliqua mutatio substantialis dicitur proprie motus: ita docet expresse Arist. cap. 2. huius libri. Ratione probatur: Terminus ad quem motus propriè dicti debet habere latitudinem, vel intensiuam, vt

quæ-

qualitas, quæ intenditur, & remittitur, & suscipit magis, & minus, vel extensiuam, vt quantitas, & vbi; sed substantia nullam habet latitudinem: ergo non potest esse terminus ad quem alicuius motus propriè dicti. Probatur minor; in primis non habet latitudinem intensiuam; non enim substantia suscipit magis, & minus, vt ostensum est cap. de substantia in Logica. Deinde neque habet latitudinem extensiuam, nam substantia secundum se, & sine quantitate inextensa, & indiuisibilis est, vt ostensum est supra lib. 1. cap. 2. q. 2. & certe si substantia secundum se esset diuisibilis, & extensa euidenter posset probari, quod nutritio, quæ terminatur ad substantiam est verè, & propriè motus Physicus, haberet enim omnia requisita ad motum propriè dictum. Nam id quod nutritur est ens actu. Insuper nutritio fit inter terminos positiuos, qui enim nutritur precedit à substantia quam habet, ad nouam partem substantiæ, quam adquirit per nutritionem. Et denique inter istos terminos, reperitur aliqua oppositio, qualis reperitur inter quantitatem minorem, & maiorem: Quæ quidem oppositio sufficit ad rationem motus, vt visum est: ergo si his omnibus adiungitur substantiam secundum se, esse diuisibilem, & extensam, & habere partes entitatiuas, euidenter conuincetur nutritionem esse propriè motum, & cum nutritio formaliter, vt nutritio est, terminetur ad substantiam debitur per se motus, quod Aristoteli, & veritati repugnat.

Secundo probatur conclusio: De generatione, & corruptione. Id quod recipit motum propriè dictum debet esse ens actu; sed generatio, & corruptio fiunt, & exercentur immediate in materia prima, quæ est ens in potentia: ergo generatio, & corruptio non sunt motus propriè dicti. Præterea motus propriè dictus, vt dixit Arist. cap. 1. est mutatio ex subiecto in subiectum, ideſt ex vna forma positiua, ad aliam formam positiuam, sed hoc non conuenit generationi, vel corruptioni substantiali: ergo generatio, & corruptio substantialis, non sunt motus propriè dicti. Probatur minor; nam generatio substantialis est mutatio de non subiecto in subiectum, corruptio verò ex subiecto in non subiectum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Nutritio, & augmentatio, simul fiunt; sed augmentatio est motus propriè dictus: ergo etiam nutritio.

Respondetur negando absolute maiorem; nam quamuis quotiescumque datur augmentatio, detur nutritio; non tamen è contra. Post quam enim homo ad debitum augmentum peruenit nutritur, non tamen augetur.

His adde; quod nutritio, & augmentatio propriè loquendo numquam fiunt simul, licet aliquando augmentatio ipsam nutritionem consequatur: Fit igiur nutritio in in-

stans-

stanti cum sit adquisitio entis indiuisibilis, videlicet nouæ partis substantiæ, augmentatio autem fit successiue, & in tempore immediate sequenti nutritionem.

Secundum argumentum. Substantia habet latitudinem intensiuam, & suscipit magis, & minus: ergo potest successiue, & per motum comparari. Probatur antecedens; nam Arist. cap. de substantia, affirmat substantiam primam esse magis substantiam, quam secundam substantiam. Insuper 1. de generatione cap. 3. affirmat ignem esse magis substantiam, quam terram: ergo verum est antecedens.

Respondetur negando antecedens. Probationi dicimus; quod prima substātia dicitur magis substantia, quam secunda, non quia sit magis intensa, sed quia pluribus substat, & ignis dicitur magis substantia, quam terra; quia est magis actiuus; hoc autem non est suscipere magis, & minus proprie loquendo, vel habere latitudinem intensiuam, vt constat ex his quæ diximus in Logica cap. de substantia.

QVAESTIO V.

Vtrum ad alias Cathegorias detur per se motus?

PRima conclusio: Ad relationem, non datur per se motus. Probatur; nam ad illud datur per se motus, quod per se primo, & ratione sui terminat aliquem motum; Iam vero sit terminus per se productus; sed relatio formaliter sumpta, vt relatio est, non producitur per se, sed eo producitur ad productionē fundamenti: ergo ad relationem non datur per se motus.

Secunda conclusio: Ad actionem, & passionem, non datur per se motus. Probatur; nam actio est motus vt ab agente, passio est motus, vt in passo; sed ad motum non datur motus, alioquin daretur processus in infinitum: ergo ad actionem, & passionem non datur per se motus.

Tertia conclusio: Ad quando, situm, & habitum, non datur per se motus. Probatur; nam ista accidentia producuntur secundario, ad productionem alterius entitatis v. g. situm esse producitur ad productionem vbi, & quando consequitur existentiam, & durationem rei: ergo ad istas Cathegorias nō datur per se motus, cum non sint termini primarii.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam. Vbi est quædam relatio, & quod est vbicatum dicit relationem ad locum; sed ad vbi datur per se motus, vt ostensum est: ergo etiam ad relationem datur per se motus.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera de relatione secundum dici; nam vt diximus in Logica capite de sex vltimis Cathegoriis: Sex vltimæ Cathegoriæ dicunt relationem secundum dici; est tamen falsa de relatione secundum esse; iam verò in conclusione prima loquimus

de relatione secundum esse, quæ est relatio prædicamentalis: Ac per consequens nihil contra conclusionem infert argumentum.

Secundum argumentum. Alteratio, quæ est dispositio ad generationem, terminatur ad generationem ipsam; sed generatio respectu generantis est actio, & respectu geniti est passio: ergo ad actionem, & passionem datur alteratio, quæ est propriè motus.

Respondetur negando maiorem; quamuis enim alteratio disponat ad generationem; ipsam tamen generationem non attingit: Ac per consequens generatio non est terminus ad quem alterationis.

Tertium argumentum. Situs, & vbi sunt realiter idem; sed ad vbi datur per se motus: ergo etiam ad situ datur per se motus.

Respondetur negãdo cõsequentiã; nã etiã in opinione aliquorũ albedo, & similitudo sũt realiter idem, cũ sint fundamẽtũ, & relatio, & tamẽ in eadẽ opinione ad albedinẽ datur per se motus, nõ autẽ ad similitudinẽ; idẽ dicẽdum est in præsenti; nam quemadmodũ albedo, & similitudo in tali sẽtẽtia entitatiue sunt idem, formaliter tamẽ distinguntur: Ita similiter se habent vbi, & situs.

Vltimum argumentum. Habitus est accidens, quod relinquitur ex adiacentia vestium; sed vestes non adiacent instantaneæ, non enim aliquis induitur in instanti: ergo successiue: ergo per motum: ergo ad habitum datur per se motus.

Respondetur: Quod motus localis vestium primo, & per se terminatur ad vbi, quod relinquitur in vestibus post talem motum, & secundo terminatur ad habitum, qui relinquitur ex adiacentia vestium: Iam verò, vt detur per se motus ad aliquid requiritur, quod motus primo, & per se terminetur ad ipsum.

CAPVT TERTIVM.

IN QVO QVÆDAM VOCABVla explicantur.

Antequam vlterius progrediatur Arist. In natura motus explicanda exponit in hoc capitte septem vocabula, quibus in sequentibus passim vtitur, videlicet, quæ sint simul, quæ dicantur separata, quæ se contingant, quid sit medium, quid consequens, quid contiguum, & quid continuum: Illa igitur dicuntur simul, inter quæ nullum aliud corpus reperitur: Illa dicuntur separata, quæ ita sunt indiuersis locis, vt

inter

inter ipsa aliquod corpus medietatis illa se contingunt, quorum extrema, & superficies se tangunt, vt Cœli. Superficies enim concaua vnius Cœli contingit superficiem conuexam alterius: illud dicitur medium ad quod mobile cõtinue mouetur, & prius peruenit, quam ad extremum, vt si quis moueatur continue ab A, in C. medium erit, B. illud dicitur consequẽs, inter quod, & præcedens nihil eiusdem generis mediat, qua ratione vna domus dicitur consequens ad alteram; quamuis inter domum, & domum medietatis, vel arbor, vel aliquod, quod non sit eiusdem generis cum domo. Illa dicuntur contigua, quæ se contingunt. Et denique illa dicuntur continua, quæ eodem termino communi coniunguntur; v. g. partes lineæ.

CAPVT QVARTVM.

DE VNITATE, ET DISTINctione motus.

POst quam egit Arist. de speciebus motus incipit in præsenti de eius proprietatibus disputare initium sumens ab vnitate, quæ est prima proprietatum, & immediate consequitur entitatem rei, quæ autem ad vnitatem, & distinctionem motus spectant in quæstionibus sequentibus explicabuntur.

QVESTIO PRIMA.

DE VNITATE GENERICA, ET specifica motus.

TRiplex datur vnitas, vt alias diximus, videlicet generica, specifica, & numerica. In præsenti quæstione agimus de vnitate generica, & specifica motus, disputaturi in sequentibus de vnitate numerica.

Obseruandum est; quod terminus alicuius motus: Tripliciter considerari potest; Primo, materialiter, &

in ratione entis: Secundo, formaliter, sub ratione termini, qua ratione consideramus in ipso non solum, id quod terminat, sed etiam rationem formalem terminandi.

Obseruandum est præterea; quod triplex est terminus ad quem alicuius motus; alter dicitur vltimatus, in quo mobile sistit, & quiescit, alter dicitur non vltimatus, qui licet adquiratur per motum, non tamen mobile, in eo sistit, vel quiescit; v. g. si lapis moueretur continuè à Cœlo Lunæ, vsque ad terram, vbi quod ad quireret in terra esset terminus vltimatus illius motus; vbi verò quod ad quireret in regione aeris esset terminus non vltimatus.

Prima conclusio: Vnitas generica, vel specifica motus Physici non desummitur à termino à quo: Ita D. Tho qui 1. p. q. 23. art. 1. in quit ens: *Quod motus, quo aliquid mouetur à nigredine, ad albedinem est eiusdem speciei, cum motu, quo aliquis mouetur à rubeo, vel palido, ad albedinem*; quia quamuis termini à quibus, videlicet nigredo, & color rubeus sint diuersæ speciei, attamen terminus ad quem Prædictorum motuum est eiusdem speciei. Ratione probatur; motus diuersæ speciei possunt procedere à terminis eiusdem speciei; v. g. motus sursum, & deorsum, qui specie distinguntur, interdum ab eodem termino procedunt: ergo vnitas specifica motus non desumitur à termino à quo, & idem dicendum est de vnitate generica; cum enim terminus à quo sit omnino extrinsecus motui, nec motus identificetur cum ipso, non desumitur à tali termino vnitas ipsius motus.

Secunda conclusio: Vnitas generica, & specifica motus desumitur à termino ad quem vltimato formaliter sumpto, & in ratione termini: Ita Arist. qui cap. 4. huius libri in quit: *quod omnes motus, qui ad vnicum prædicamentum terminantur sunt vnius, & eiusdem generis; v. g. omnes motus ad quantitatem. Qui verò terminantur ad eandem speciem infimam sunt eiusdem speciei infimæ; v. g. omnes albefactiones sunt eiusdem speciei.* Eandem conclusionem docent D. Tho. Beatus Albertus Magnus, & communiter omnes interpretes Arist. Et quantum attinet ad vnitatem genericam, certissima est conclusio: Tria enim sunt genera motus propriè dicti; quia ad tria tantum prædicamenta datur per se motus, vt supra ostensum est. De vnitate autem specifica probatur conclusio; vnitas sequitur entitatem; imo nihil aliud est, quam ipsa entitas indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio; sed motus habet eandem entitatem cum ipso termino ad quem, vt probauimus supra lib 3. ergo etiam habet eandem vnitatem.

Probatur secundo conclusio: Motus essentialiter est via, & tendentia ad terminum ad quem, & per ordinem ad ipsum essentialiter distinguitur: ergo ab ipso desumit vnitatem specificam, & essentialem. Probatur consequentia; nam quando aliquid ex natura sua ordinatur ad aliud specifica-

ficatur, & summit suam vnitatem ex ordine ad illud, vt constat in habitibus, & potentijs, quæ specificantur ab obiectis, & in relatione, quæ specificatur à termino.

Dixi; In conclusione: *à termino vltimato*; Nam ab illo termino summit motus speciem, & vnitatem in quo mobile sistit, & quiescit, non autem sistit in termino non vltimato, sed in termino vltimato. Hinc si lapis moueretur continuè à superficie concana Cœli Lunæ, vsque ad terram adquireret distinctos terminos non vltimatos secundum speciem diuersos, videlicet regionem aeris, aquæ, & terræ, & adquireret etiam diuersos terminos intrinsecos non vltimatos; videlicet diuersa vbi, esset nihilominus vnus motus secundum speciem, & etiam secundum numerum propter vnitatem termini vltimati.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumẽtum. Quod non est non potest dare vnitatem, vel speciem enti; sed terminus ad quem non est, quandiu est motus: ergo motus non desumit vnitatem à termino ad quem.

Respondetur distinguendo maiorem est enim vera de eo quod dat vnitatem, tanquam forma intrinseca, non autem de eo, quod dat vnitatem tanquam forma extrinseca: Iam verò terminus ad quem non specificat motum intrinsecè, sed extrinsece eo modo, quo obiectum specificat potentiam, vel habitum: Intrinsece autem specificatur motus ab ordine quẽ dicit ex natura sua ad terminum ad quem.

Respondetur secundo distinguendo minorem: Licet enim terminus ad quem, quandiu est motus non sit in facto esse, est tamen in fieri, quod sufficit ad specificationem extrinsecam.

Secundum argumentum. Motus diuersæ speciei possunt terminari ad eundem terminum secundum speciem: ergo vnitas specifica motus non desumitur ab vnitate specifica termini ad quem. Probatur antecedens; motus, quo lapis mouetur sursum ad regionem aeris est violentus, motus verò, quo ignis mouetur sursum ad eandem regionem aeris est motus naturalis; & tamen habent eundem terminum ad quem secundum speciem: ergo motus diuersæ speciei possunt terminari ad eundem terminum secundum speciem. Probatur consequentia; nam motus naturalis, & violentus specie distinguuntur.

Respondetur negando antecedens; probationi negamus consequentiam; motus enim naturalis, & violentus non distinguuntur specie essentiali si terminentur ad eundem terminum secundum speciem; naturalitas enim, & violentia sunt attributa accidentaria ipsius motus, quemadmodum velocitas, & tarditas: Hinc est quod calefactio passiua aquæ, & calefactio passiua aeris sunt motus eiusdem speciei, & tamen calefactio respectu aquæ est violenta, cum aqua ex natura

ra

ra sua sit frigida, respectu vero ipsius aeris est motus naturalis; quia aer ex natura sua est calidus.

Tertium argumentum. Motus à frigiditate, ad tepiditatem specie distinguitur à motu, qui est à caliditate ad tepiditatem; & tamen illi motus terminantur ad eundem terminum secundum speciem: ergo vnitas specifica motus non desumitur à termino ad quem.

Respondetur distinguendo minorem; quamuis enim terminentur ad eundem terminum materialiter, non autem ad eundem terminum formaliter, & in ratione termini. Pro cuius intelligentia sciendum est, quod ex qualitatibus, quædam dicuntur extremæ, vt albedo, & nigredo, frigiditas, & caliditas, aliæ verò dicuntur qualitates mediæ, & huiusmodi sunt omnes alii colores, & huiusmodi est viride, cerulum, & rubeum, &c. Et similiter tepiditas est medium inter frigiditatem, & calorem, medium autem participat aliquid ab vtroque extremo, & si comparetur ad vnum extremum induit rationem alterius: Ac per consequens qualitates mediæ per ordinem ad diuersa extrema diuersas habet formalitates: Hinc docet Arist. quod color medius, v. g. viride respectu albi, habet rationem nigri, & respectu nigri habet rationem albi: Similiter tepiditas respectu frigiditatis habet rationem calidi, & respectu caliditatis habet rationem frigidi: Vnde motus à frigiditate ad tepiditatem dicitur calefactio: Motus verò à caliditate ad tepiditatem dicetur frigefactio: ex quo constat, quod tepiditas formaliter, & in ratione terminandi, est multiplex, quamuis materialiter sit vna.

QVAESTIO II.

De vnitate numerica motus?

Sit Conclusio: Ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica mobilis, termini ad quem, & temporis: Ita Arist. cap. 4. & communiter omnes Philosophi. Ratione probatur, vnitas numerica alicuius accidentis desumitur, ex vnitate numerica subiecti cui inhæret; sed motus est accidens inhærens mobili tanquam proprio subiecto, vt docuit Arist. cap. 1. ergo vnitas numerica motus requirit vnitatem numericam mobilis. Præterea motus realiter identificatur, & est vnus entitatiue, cum termino ad quem, vt ostensum est supra lib. 3. ergo vnitas numerica motus requirit vnitatem numericam termini ad quem. Tandem ille motus dicitur vnus numero, qui continua duratione peragitur, nulla intercepta quiete: ergo ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica durationis, & temporis: ergo vera est conclusio, quo ad omnes sui partes.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si canis ab alta tutri cadens in medio itineris moriatur dabitur ibi vnus numero

mero motus, & tamen dantur ibi duo mobilia, non solum numero, sed etiam specie distincta, videlicet canis viuus, & cadauer: ergo ad vnitatem numericam motus, non requiritur vnitas numerica mobilis.

Confirmatur hoc argumentum: Auctoritate Arist. qui textu 23. inquit: *Quod motus primæ, & vltimæ cordæ in citara, est vnus numero motus*, & tamen illæ duæ cordæ sunt duo mobilia realiter distincta: ergo vnitas numerica motus non exigit vnitatem numericam mobilis.

Respondent aliqui ad argumentum: Quod motus canis viui, & cadaueris est vnus numero, propter vnitatem materiæ primæ, in qua subiectatur motus.

Displicet tamē hæc solutio; nam vt Arist. sæpe docet motus subiectatur in toto cōposito, & nō in materia prima; sed ibi dātur duo tota cōposita, videlicet canis viuus, & cadauer: ergo datur duplex subiectum motus, & ex consequenti dantur duo mobilia. Insuper id quod recipit motum mouetur, vt quod; sed solum totum compositum mouetur, vt quod, materia verò, & quælibet pars solum mouetur per accidens ad motum compositum: ergo motus non recipitur in materia tanquam in subiecto, sed in toto composito. Denique in corruptione substantiali alicuius cōpositi, vt probabimus cum Arist. & D. Tho. lib. 1. de ortu, & in tertio omnia accidentia, quæ erant in tali composito corrumpuntur, & desinunt esse, sed motus, quo mouebatur canis viuus erat accidens inhærens canis: ergo quando corrumpitur canis corrumpitur etiam talis motus.

Respondetur igitur ad argumentum, negando absolute maiorem dantur enim ibi duo motus realiter tanquam res à re distincti, videlicet motus canis viui, & motus cadaueris.

Dices: Inter motum, & motum debet mediare quies; sed in illo descensu nulla quies mediat inter motum canis viui, & motum cadaueris: ergo non sunt duo motus realiter distincti, sed vnus numero motus.

Respondetur negādo similiter maiorem; nam quemadmodum inter duos lapides contiguos nihil mediat, sed potius extremitas vnius lapidis contingit immediate extremitatem alterius: Ita similiter inter duos contiguos, huiusmodi sunt motus canis, & motus cadaueris de quibus nunc loquimur, non est necesse, quod aliqua quies priuatiua, vel positiua intercipiatur: Discontinuantur enim illi motus, non quia mediet quies, sed quia mobilia, & termini ad quem sunt diuersi. His adde, quod etiam inter istos duos motus mediat quies negatiua; quid autem sit quies negatiua explicabitur, quæstione vltima huius libri.

Ad confirmationem argumenti principalis. Respondetur; quod quemadmodum ex pluribus entibus naturalibus permanentibus fit vnum ens artificiale; v. g. ex pluribus lapidibus, & lignis vna domus, ita etiam ex pluribus motibus naturalibus resultat

vnus

vnus motus artificialis, & in hoc sensu interpretandus est Arist. dum dicit; quod motus primæ, & vltimæ cordæ in cytara est vnus numero motus.

Secundum argumentum. Si terra ab hac superficie, quæ apud nos est, vsque ad superficiem, quæ est apud antipodas, perforata esset, moueretur que lapis per medium terræ, ita, vt non quiesceret in centro, sed vlterius progrederetur, daretur ibi vnus numero motus; & tamen darentur duo termini ad quem, videlicet centrum terræ, quod est locus naturalis lapidis, & vbi, quod adquireret, vltra centrum: ergo ad vnitatem numericam motus, non requiritur vnitas numerica termini ad quem.

Respondetur negando maiorem; darentur enim in eo casu duo motus, non solum numero, sed etiam specie distincti; nam motus ipsius lapidis vsque ad centrum esset motus deorsum, & naturalis, motus autem eiusdem lapidis à centro vsque ad aliud vbi esset motus sursum, & violentus; si quidem lapis per talem motum desineret suum locum naturalem, & ab eo descederet, haberentque tales motus terminos realiter distinctos.

Tertium argumentum. Ab eo habet aliquid, quod sit vnum, à quo habet, quod ab aliis distinguatur; nam vnum est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; sed per tempus non habet vnus motus, quod distinguatur numericè ab aliis motibus: ergo vnitas numerica motus non desumitur ab vnitate numerica temporis. Probatur minor; nam tempus, vt ostensum est libro præcedenti est vnicum tantum secundum numerum; ergo motus non distinguuntur numericè ratione temporis.

Respondetur negando minorem; probationi negamus consequentiam; nam in conclusione non vtimur pro tempus secundum se totum, sed tempus partiale, videlicet partem temporis, qua ratione dicimus, quod vnica hora est tempus contionis: Est igitur sensus conclusionis; quod ad vnitatem numericam motus requiritur, quod pars temporis correspondens non interrumpatur.

QVAESTIO III.

Vtrum ad vnitatem numericam, Motus requiratur vnitas numerica mouentis, & loci in quo fit.

PRima conclusio: Ad vnitatem numericam motus, non requiritur vnitas numerica mouentis. Probatur; motus non est in mouente tanquam in subiecto, sed in mobili: ergo non accipit vnitatem numericam à mouente, sed à mobili.

Secundo probatur; potest contingere; quod reta, quæ incessanter agitatur, & mouetur ab vno homine non inter posita aliqua quiete, moueatur ab alio homine, vel à Boue, aut equo: ergo vnus numero motus potest fieri, & causari à diuersis mo-

uentibus

ue tibus non solum numero, seu etiam specie distinctis.

Secunda conclusio: Ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas numerica spatij, vel loci, in quo fit motus. Hanc conclusionem, & præcedentem docet Arist. cap. 4 dicens, *quod tria requiruntur, & sufficiunt ad vnitatem numericam motus, videlicet vnitas mobilis, termini ad quem, & temporis*: ergo non requiritur vnitas numerica loci. Eandem conclusionem habet D. Tho. eamque explicat illius, qui in tranlitu alicuius fluminis mouetur per lapides, grandes ibi positos, hic enim motus continuus est, & vnus numero, & tamen lapides, qui sunt spatium, per quod fit motus sunt discontinui, & discreti. Probatur insuper conclusio Ratione; nam si lapis à concauo Lunæ descenderet motu continuo, vsque ad terram ibi reperiretur vnus numero motus; & tamen spatium, & locus, in quo fieret hic motus, non esset vnus numero; nam moueretur per ignem, & aerem, & tandem sisteret in terra: ergo ad vnitatem numericam motus, non requiritur vnitas numerica spatij.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam. Motus est actio; sed vna numero actio, non potest esse à duplici agente: ergo neque vnus motus à duplici mouente: ergo ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica mouentis.

Respondetur negando consequentiã: Nã etiam relatio, & fundamẽtũ, in opinione aliquorũ, realiter, & entitatiue sũt idẽ, & nihilominus multiplicata relatione potest nõ multiplicari fundamentũ; vna enim albedo in Petro existens est fundamentum quamplurium relationum similitudinis, & dissimilitudinis: Ad hoc enim, vt vnum multiplicetur, alio non multiplicato sufficit, quod inter ipsa reperiatur distinctio realis formalis, cum igitur actio, & motus formaliter distinguantur poterit multiplicari actio absque eo, quod multiplicetur motus, vt constat in exemplo posito in prima conclusione.

Secundum argumentum. Ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica termini ad quem; sed spatium, seu locus est terminus ad quem motus localis: ergo saltim ad vnitatem numericam motus localis, necessaria erit vnitas numerica loci.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera de termino intrinseco, qui recipitur in ipso mobili; nõ autem de termino extrinseco. Iam verò locus est terminus extrinsecus motus localis, terminus enim intrinsecus est vbi.

QVAESTIO IV.

Vtrum ea, quæ sunt diuersæ speciei possint continuari?

SIt conclusio: Quæ sunt diuersæ speciei continuari non possunt;

Ita Arist. cap. 4. huius libri. Ratione probatur; continuitas est accidens quoddam, sed ad vnitatem accidentis requiritur vnitas subiecti: ergo ad continuitatem requiritur vnum subiectum; sed quæ sunt diuersæ speciei sunt plura subiecta: ergo quæ sunt diuersæ speciei continuari non possunt. Probatur secunda minor; quæ sunt diuersæ speciei â fortiori distinguntur numero; sed quæ distinguntur numero sunt distincta subiecta: ergo quæ sunt diuersæ speciei, sunt distincta subiecta.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ascensus, & descensus sunt motus specie distincti; & tamen possunt continuari: ergo, quæ sunt diuersæ speciei possunt continuari. Probatur minor; supponamus, quod dum aliquis lapis paruus sursum proiectus ascendit, descēdat aliquod magnum saxum, quod secum trahat prædictum lapidem ascendentem, tunc lapis paruus ascenderet, & descenderet vnico motu continuo: ergo ascensus, & descensus possunt continuari.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus; quod ibi dantur duo motus realiter distincti; nam quamuis inter ascensum, & descensum lapidis non mediet quies priuatiua; quia illi motus sunt contigui; at tamen alius est terminus ad quem ipsius ascensus, & alius est terminus ad quem ipsius descensus.

Secundum argumentum. Interdum contingit quod ramus arboris inseritur cum arbore alterius speciei, & continuatur cum ipsa: ergo quæ sunt diuersæ speciei possunt continuari.

Respondetur negando antecedens: Ramus enim, & arbor cui inseritur non continuantur, sed solum contiguantur; vt enim viuat ramus insertus sufficit contiguitas cum arbore, quæ habet radices in terra.

Tertium argumentum. Baculus, seu ramus arboris cuius medietas est arida, & sica; alia verò viridis, & animata, est vnus numero ramus continuus; & tamen pars sicca specie distinguitur à parte viridi, sicut animatum, & inanimatum: ergo quæ sunt diuersæ speciei possunt continuari.

Respondetur negando maiorem: In ramo enim, cuius medietas est arida, & alia est viuens dantur duo corpora contigua, non autem vnum corpus continuum: Hinc quando ramus iste mouetur dantur duo motus realiter distincti propter distinctionem realem mobilium.

CAP.

CAPVT QVINTVM.

De contrarietate motuum.

ALia proprietas motus est contrarietas, de qua disputat Arist. in hoc cap. & sequenti. In præsenti igitur cap. hanc conclusionem proponit: Illi motus proprié dicuntur contrarij, qui fiunt à termino contrario, in contrarium, ordine inuerso; v. g. Motus ab albedine ad nigredinem, qui dicitur nigrefactio contrariatur motui, qui est à nigredine ad albedinem, & appellatur albefactio: Ascensus etiam, & descensus contrariantur; quia ascensus est ab inferiori loco ad superiorem, descensus autem è contra.

CAPVT SEXTVM.

DE CONTRARIETATE MOtus, & quietis.

DOcet Arist. in hoc cap. quod motui contrariatur quies, quæ est eiusdem generis cum motu; v. g. motui ad locum contrariatur quies in loco, cum autem in motu duplicem quietem possimus distinguere: Alteram in termino â quo, quæ motum antecedit: Alteram verò in termino ad quem, quæ motum subsequitur; Prædicta Doctrina de prima quiete intelligenda est: Quies enim, quam habet mobile in termino â quo contrariatur motui; nam quies, quam habet in termino ad quem, non contrariatur motui, imo potius est perfectio, & finis ipsius motus. Proinde enim mobile mouetur, vt quiescat in termino ad quem.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM CONTRARIETAS MOtuum desumatur à contrarietate terminorum?

PRima conclusio: Contrarietas motuum desumitur formaliter à contrarietate terminorum ad quos tenduut: Vnde illi motus dicentur contrarij, quorum termini ad ques contrariantur; v. g. frigefactio, & calefactio contrariantur, quia frigiditas, & calor, quæ quidem sunt termini ad quos, contrariantur: Ita Arist. cap. 5. & communiter omnes Philosophi. Ratione probatur, motus realiter identificatur cum termino ad quem, & ab ipso specificatur: ergo eadem contrarietas, quæ reperitur inter terminos ad quos, reperitur etiam inter motus.

Confirmatur hæc ratio constitutiuum, & distinctiuum idem sunt; sed motus constituuntur per termines ad quos: ergo per eosdem distinguntur; sed contrarietas nihil aliud est, quam distinctio magis directa, & cum specialiori modo: ergo motus desumunt suam contrarietatem à contrarietate terminorum.

Secunda conclusio: Idem numero mobile non potest simul secundum se totum, & per se moueri motibus contrarijs: Ita Arist. cap 6. huius libri. Ratione probatur; nam duo actus etiam imperfecti, si sint contrarij, non possunt esse simul in eodem numero subiecto; sed motus est quidam actus, vt constat ex diffinitione ipsius motus: ergo duo motus contrarij non possunt esse simul in eodem numero subiecto.

Dixi; *simul*, nam successiue, & diuersis temporibus, non est dubium, idem mobile interdum moueri motibus contrarijs, idem enim homo augetur, & decrescit, ascendit, & descendit.

Dixi etiam: *idem mobile secundum se totum*; nam secundum diuersas partes nullum est inconueniens aliquid simul moueri motibus contrarijs: Potest enim aliquis moueri manum sursum, & simul pedem deorsum, & frigefieri in manu, & simul calefieri in pede.

Dixi denique: *per se moueri*; nam per accidens bene potest idem mobile simul secundum se totum moueri motibus contrarijs, vt est manifestum in eo, qui nauigium ferat versus orientem, nauigans vero de ambulet versus occasum simul mouebitur motibus

tibus contrarijs, videlicet ab ortu, ad occasum per se, & ratione sui, & ab occasu ad ortum per accidens ad motum videlicet nauigij. Similiter omnes Cœli mobiles præter primum mouentur motibus contrarijs, vt dicemus in libris de Cœlo. Disp. 2.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Motus â viridi ad nigredinem, & motus â viridi ad albedinem contrariantur; & tamen non sunt inter terminos contrarios: ergo contrarietas motuum non desumitur â contrarietate terminorum. Probatur minor; nam vterque motus incipit â viridi, tanquam â termino à quo: ergo prædicti motus non sunt inter terminos contrarios.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus iuxta Doctrinam adductam cap. 4. præcedenti q. 1. in solutione tertij argumenti, quod viride, cum sit medius color inter albedinem, & nigredinem; si referatur ad vnum extremum inducit rationem alterius: Ac per consequens in motu, qui fit â viridi, ad nigredinem, viride habet rationem albedinis, in motu verò, qui fit à viridi, ad albedinem, viride habet rationem nigredinis.

Secundum argumentum. Motus sursum, & deorsum sunt contrarij; & tamen possunt terminari ad eundem terminum ad quem: ergo contrarietas motuum non desumitur a contrarietate terminorum ad quos. Probatur minor; nam si lapis moueretur a concauo Lunæ, vsque ad regionem aeris, & alter lapis proijceretur a terra vsque, ad eandem regionem aeris haberent eundem terminum ad quē: ergo vera est minor.

Respondetur distinguendo minorem: Quamuis enim motus sursum, & deorsum possint habere eundem terminum ad quem materialiter, non tamen formaliter in ratione termini: Eidem igitur regio aeris respectu lapidis descendentis a concauo Lunæ, est locus inferior: Respectu verò lapidis a terra ascendentis, est locus superior: Locus autem superior, & inferior opponuntur. Iam verò contrarietas motuum, quemadmodum & specificatio, desumitur a termino formaliter, & in ratione termini considerato.

QVAESTIO II.

Vtrum quies contrarietur motui?

OBseruandum est primo: Triplicem esse quietem, videlicet positiuam, priuatiuam, & negatiuam: Quies positiua nihil aliud est, quam consistentia, seu permanentia rei in suo loco naturali, & hæc quies potest esse simul cum motu. Cœli enim quiescunt positiue, cum semper permaneant in suo loco naturali; & tamen circulariter mouentur, de hac igitur quiete, quæstio non procedit. Quies priuatiua est, carentia motus in subiecto, quod erat aptum, vt moueretur, & poterat moueri, quando

do quiescit, & hæc quies sicut, & motus mensuratur tempore: Quies negatiua est, carentia motus in subiecto, quod proillo tunc non potest moueri, & ista quies est instantanea, cum enim motus proprié dictus debeat fieri successiuè, & in tempore, in quolibet instanti erit verum dicere, quod res non mouetur, hoc enim est quiescere negatiue. Sola autem hæc quies negatiua, non sufficit ad discontinuandos motus; nam quando aliquid mouetur vnico motu continuo per vnam integram horam tot dantur quietes negatiuæ, quo sunt instantia in illa hora.

Obseruandum est secundo: Duplicem dari contrarietatem; alteram positiuam, quæ est inter terminos positiuos, vt inter albedinem, & nigredinem, & alteram priuatiuam, quæ reperitur inter formam, & eius priuationem, vt inter lucem, & tenebras.

Sit conclusio: Quies priuatiua, quæ est in termino a quo, priuatiuè opponitur motui. Ita Arist. capite 6. Ratione probatur; nam forma, & priuatio priuatiue opponuntur; sed motus est forma quædam accidentaria, Quies verò priuatiua est priuatio talis formæ, cum sit carentia motus in subiecto apto: ergo quies, & motus opponuntur priuatiuè.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ad veram contrarietatem vtrumque extremum debet esse positiuum, vt dicitur 1. Metaph; sed quies non est aliquid positiuum: ergo non contrariatur motui.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera de contrarietate positiua, quæ reperitur inter duas formas positiuas, non autem de contrarietate priuatiua, quæ reperitur inter formam, & eius priuationem, qualis est contrarietas vitæ, & mortis, motus, & quietis.

Secundum argumentum. Ex Arist. 1. de Cœlo. Vnum, vni contrariatur, sed motui contrariatur motus, vt ostensum est quæstione præcedenti: ergo motui non contrariatur quies.

Respondetur interpretando maiorem: Vni enim vnum est contrarium, secundum vnã, & eandem rationem; attamen secundum diuersam rationẽ bene possunt plura vni cõtrariari; v. g. prodigalitati positiue contrariatur auaritia, prouatiuè autem opponitur liberalitas, quæ est virtus prodigalitati opposita: Ita similiter motus positiuè contrariatur motui, Quies autem opponitur eidem motui priuatiuè: Quemadmodũ, vitium, & peccatum priuatiuè opponitur virtuti, & charitati per quam efficitur homo amicus Dei. Op. Max. qui, est super omnia benedictus in secula Amen.

LIBER

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

POst quam egit Arist. de speciebus motus, quæ sunt partes subiectiue ipsius incipit disputare de partibus quantitatiuis, & integrantibus ipsius; Quia verò motus est de genere continuorum, agit in præsenti, de compositione, & diuisione continui. Sunt autem huic libro capita 10.

In primo, probat Arist. continuū non componi ex indiuisibilibus. In secundo, id ipsum prosequitur; præcipue autem hoc probat de tempore, quod est vna species quantitatis continuæ.

In tertio, probat; Motum non fieri in instanti, sed mensurari tempore. In quarto, docet: Motum esse diuisibilem ad diuisionem subiecti, & temporis. In quinto, agit de inceptione, & desitione motus: In sexto, explicat; quem ordinem obseruent inter se partes motus. In septimo ostendit: Quomodo se habeant finitum, & infinitum in motu.

In octauo explicat, quid sit insistere, seu stare. In nono, & decimo, dissoluit rationes, quas faciebat Zenon contra naturam motus, omnia autem obseruatione digna in quæstionibus exponentur.

QVAES-

QVESTIO PRIMA.

VRVM IN CONTINVO DENTUR actu indiuisibilia?

OBseruandum est primo: Quod continuum, vt diximus in Logica cap. de quantitate diffinitur, *cuius partes copulantur termino communi*, nomine autem termini communis intelligitur, indiuisibile quoddam coniungens partes continui, appellaturque terminus communis; quia est finis vnius partis continui, & principium alterius.

Obseruandum est secundo: Quod libet continuum habere suum terminum communem: Terminus igitur communis ipsius lineæ est punctum: superficiei linea: corporis superficies: temporis instans; & denique terminus communis ipsius motus appellatur mutatum esse.

Obseruandum est tertio: Quod indibisibile continui est in quolibet differentia: Aliud dicitur indiuisibile simpliciter, & omnibus modis, quod videlicet nullo modo diuidi potest, huiusmodi sunt punctum, instans, & mutatum esse: Aliud est indiuisibile secundum quid, quod nimirum secundum aliquam extensionem est indiuisibile, absolutè tamen, & simpliciter diuidi potest; v. g. linea est terminus communis superficiei, quia est indiuisibilis, secundum latitudinem, & profunditatem; quamuis sit diuisibilis secundum longitudinem, & idem dicendum est de superficie, quæ est terminus communis ipsius corporis.

Obseruandum est vltimo: Ex indiuisibilibus, quædam esse copulantia, quæ videlicet coniungunt vnam partem continui cum altera parte; quædam verò esse terminata, quæ videlicet terminant partes ipsius continui; v. g. puncta existentia intra lineam dicuntur indiuisibilia continuantia; duo verò puncta existentia in extremitatibus lineæ vocantur indiuisibilia terminantia.

Sit conclusio: In quolibet continuo dantur actu indiuisibilia continuantia, & terminantia, quæ quidem sunt aliquid reale. Ita D. Tho. opusc. 26. cap. 2. Capreolus, Soncinas, Petrus Niger, & quamplures alij. Ratione probatur; partes continui debent esse coniunctæ, & copulatæ; sed non possunt copulari nisi indiuisibilibus: ergo de facto dantur indiuisibilia copulantia in continuo. Probatur minor; nam si continuatiuum, & copulatiuum partium continui esset diuisibile haberent partes, & rursus illæ partes haberent aliud

copu-

copulatiuum, & sic in infinitum: ergo continuatiuum, & id quod coniungit partes continui debet esse indiuisibile.

Secundo probatur conclusio: Quēadmodum esse calidum est effectus formalis caloris; ita esse continuum est effectus termini communis; sed nō potest dari calidum sine calore: ergo neque continuum sine termino communi: Terminus autem communis in ratione termini communis est quid prius indiuisibile: ergo in continuo dantur actu indiuisibilia.

Tertio probetur conclusio: De indiuisibilibus terminantibus: Impossibile est quod detur aliquod continuum interminatum, & infinitum, vt probauimus supra lib. 3. ergo omne continuum debet esse finitum, & terminatum; sed finitur, & terminatur indiuisibilibus: ergo in quolibet continuo dantur indiuisibilia terminantia.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Partes lineæ; v. g. possunt immediate vniri, & copulari interse sine punctis: ergo non sunt necessaria puncta ad copulandas partes lineæ. Probatur antecedens; maior proportio reperitur inter duas partes lineæ; quam inter vnam partem, & punctum; sed vna pars lineæ vnitur puncto: ergo à fortiori duæ partes lineæ poterunt immediate vniri, & copulari interse: idem argumentum fieri potest de alijs indiuisibilibus respectu suorum continuorum.

Respondetur negando antecedens: Vna enim pars lineæ non potest immediate vniri alteri parti; & ratio est; quia vna pars quantitatis debet esse extra aliam: Hoc enim est essentia quantitatis: Si autem vna pars lineæ immediate vniretur alteri non esset extra aliam, quemadmodum gradus qualitatis, v. g. calor, vt duo, & calor, vt tria, quia immediate vniuntur interse, non ita se habent, vt possimus dicere, quod vnus gradus est extra alium. Ad probationem antecedentis: Dico, quod licet duæ partes lineæ in ratione quantitatis, habeant maiorem proportionem, quā pars lineæ, & punctum; attamē in ratione copulantis, & copulati, maiorem proportionem habent pars lineæ, & punctum, vt constat ex Doctrina huius solutionis.

Secundum argumentum. Quamuis linea esset sine punctis remaneret finita, & terminata: ergo linea non indiget punctis, vt sit terminata, & finita.

Respondetur: Quod indiuisibilia non possunt realiter separari à continuo, vt dicemus quæstione sequenti: Si autem per operationem in his separentur puncta terminantia à linea, remanebit linea terminata, & finita negatiuè; idest non infinita, punctis autem terminatur, & finitur possitiue tanquam proprijs, & possitiuis terminis.

Tertium argumentum. Indiuisibilia, cum sint accidentia, vel in hæ-

rent subiecto indiuisibili, vel diuisibili; sed neutrum est dicendum: ergo non dantur indiuisibilia. Probatur minor; indiuisibilia sunt in continuo; sed nullum continuum est indiuisibile: ergo indiuisibilia non sunt in subiecto indiuisibili. Præterea neque in subiecto diuisibili; nam accidens debet habere proportionem cum subiecto cui inhæret; sed indiuisibile, & diuisibile nullam habent proportionem: ergo indiuisibilia non inhærent subiecto diuisibili.

Respondetur negando maiorem: Indiuisibilia enim inhærent subiecto diuisibili; v. g. puncta inhærent lineæ, & instantia inhærent tempori: Ad huius autem impugnationem distinguenda est maior; quamuis enim accidens completum debeat proportionē habere cū suo subiecto; nō autem hæc proportio est necessaria inter accidens incompletum, & suum subiectum. Iam verò indiuisibilia continui sunt accidentia incompleta, & imperfecta, quam ob causam non collocantur directe, sed reductiue in Cathegoria quantitatis.

Dices: Accidens inhærens subiecto diuisibili, & extenso, extenditur saltim per accidens, ad extensionem subiecti: ergo si punctum inhæret subiecto diuisibili erit extensum, & diuisibile, saltim per accidens, quod quidem est absurdum.

Respondetur distinguendo antecedens: Est enim verum de accidente completo, & perfecto, non autem est necesse, quod verificetur de accidente incomplecto, & imperfecto huiusmodi sunt indiuisibilia continui.

QVAESTIO II.

Vtrum continuum possit realiter existere sine indiuisibilibus, & indiuisibilia sine continuum?

NOn procedit quæstio de potentia naturali: Certum enim est non dari potentiam naturalem, quæ possit separare realiter indiuisibilia a continuo, vel é contra. Procedit igitur difficultas de potentia Dei absoluta, secundum quam fieri potest quidquid contradictionem non implicat.

Prima conclusio: Impossibile est, quod continuum existat realiter sine indiuisibilibus; v. g. linea sine punctis, superficies sine lineis, &c. Probatur conclusio: Implicat contradictionem, quod linea existat sine extensione partium; sed non potest habere extensionem partium sine punctis: ergo implicat, quod linea existat sine punctis. Probatur minor; impossibile est, quod linea habeat partium extensionem, nisi eius partes sint coniunctæ: Hoc enim est de ratione continui; sed non possunt coniungi nisi punctis indiuisibilibus, vt probauimus quæstione præcedenti: ergo linea non potest habere partium extensionem sine punctis. Et idem argumentum fieri potest de alijs continuis.

Secun-

Secundo probatur conclusio: Essentia continui, vt constat ex eius definitione, est habere partes copulatas aliquo termino communi: Hic autem terminus communis, vt sæpius dictum est, debet esse quid piam indiuisibile: ergo impossibile est, quod detur continuum sine indiuisibilibus copulantibus.

Tertio probatur conclusio: Impossibile est quod detur continuum, cuius partes non sint finitæ, & terminatæ; sed finiuntur, & terminantur indiuisibilibus terminantibus: ergo impossibile est, quod detur continuum sine indiuisibilibus.

Secunda conclusio: Impossibile est etiam, quod dentur indiuisibilia realiter separata à continuo; v. g. quod dentur puncta sine linea, vel instantia realiter separata à tempore. Probatur conclusio; nam illa indiuisibilia sunt minime entitatis; ita vt ad sui existentiam necessario requirant aliquod subiectum cui inhæreant. Quemadmodum figura, non potest existere sine quantitate, neque relatio sine fundamento, etiam in opinione probabili nostra qui dicimus: relationem, & fundamentum distingui realiter, vt res à re: ergo vera est conclusio.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Quæ realiter distinguuntur possunt realiter separari inter se; sed indiuisibilia realiter distinguuntur a continuo: ergo possunt realiter separari ab ipso.

Respondetur negando absolute maiorem; nam etiam materia, & forma distinguuntur realiter vt res a re, & tamen nulla ratione potest existere materia prima sine forma; vt supra ostensum est, & similiter quantitas distinguitur realiter a quacumque figura saltim realiter formaliter, & tamen non potest existere absolute sine aliqua figura.

Dices: Quamuis materia prima, non possit existere sine forma absolute, potest tamen sine hac, vel illa forma, v. g. sine forma hominis, vel leonis: ergo similiter quamuis linea v. g. non possit existere absolute sine punctis, potest tamen sine his punctis determinate.

Respondetur concedendo totum: Existimo enim, quod potest Deus facere, quod existat realiter linea destructis his numero punctis dummodo alia puncta de nouo produceret in ipsa linea. Immo si Deus destrueret puncta alicuius lineæ naturali resultantia producerentur in eadem linea alia puncta de nouo.

Secundum argumentum. Quælibet res potest conseruari, saltim per potentiam Dei sine his rebus, quæ non sunt de eius essentia; sed indiuisibilia non sunt de essentia continui, vel è contra: ergo virtute diuina poterit existere continuum sine indiuisibilibus, & è contra.

Respondetur negando absolute maiorem: Filius enim non est de essentia Patris, & tamen impossibile est, quod existat Pater, quin existat Filius; quia licet Filius non sit de

essentia Patris, est tamen de conceptu essentiali ipsius : Similiter quamuis indiuisibilia non sint de essentia continui, sunt tamen de conceptu essentiall ipsius, ingrediunturque diffinitionem continui, si quidem continuum diffinitur : *Cuius partes copulantur termino communi;* ideſt aliquo indiuisibili. Indiuisibilia etiam non possunt existere sine continuo; quia licet continuum non sit de essentia ipsorum, est tamen subiectum à quo indiuisibilia propter suã minimam entitatem necessario dependent. Quemadmodum quamuis quantitas non sit de essentia figuræ, non potest figura existere sine quantitate; quia est minimæ entitatis.

QVAESTIO III.

Vtrum continuum componatur ex indiuisibilibus tanquam ex partibus integrantibus?

SIt conclusio : Continuum non componitur ex indiuisibilibus tanquam ex partibus integrantibus. Hanc conclusionem habet Arist. cap. 1. & 2. huius libri, quem sequuntur omnes eius interpretes. Et probatur Rationibus eiusdem Arist. si continuum componeretur ex indiuisibilibus, v. g. linea ex punctis, vel talia indiuisibilia essent interse continua, vel contigua; sed neutrum est dicendum: ergo continuum non componitur ex indiuisibilibus. Probatur minor; nam continua dicuntur; quorum extrema sunt idem; Contigua verò, quorum extrema se tangunt; sed indiuisibilia non habent partem extremam sicut, & primam; alioquin non essent indiuisibilia: ergo indiuisibilia non possunt inter se continuari, vel contiguari.

Secundo probatur conclusio: Quælibet pars continui est continua; nam continuum est totum homogeneum, seu similare; sed quodlibet cõtinuum est diuisibile in semper diuisibilia: ergo quælibet pars continui est diuisibilis: ergo nullum indiuisibile potest esse pars continui, & per consequens continuum non componitur ex indiuisibilibus.

Tertio probatur conclusio: Si continuum componeretur, ex indiuisibilibus, sequeretur, quod darentur plures magnitudines, quæ non possẽt diuidi in duas medietates æquales; sed hoc est falsum; nam omne continuum est diuisibile in partes æquales: ergo nullum continuum componitur ex indiuisibilibus. Probatur sequela; nam quantitas constans, ex quinquæ punctis; v. g. non posset diuidi in duas medietates æquales, medietas enim huius magnitudinis sunt duo puncta, & dimidium; cum autem punctum sit omnino indiuisibile nullas habet partes in quas posset diuidi. Idem argumentum potest fieri de magnitudine trium punctorum, vel septem, vel nouem, &c.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Vnũquodque componitur ex his in quæ

resoluitur per diuisionem; sed continuum si diuiditur resoluitur in indiuisibilia: ergo componitur ex indiuisibilibus. Probatur minor; si continuum diuidatur in partes tandem deueniendum erit ad partes minimas, quæ non possunt vlterius diuidi: ergo continuum resoluitur in indiuisibilia.

Respondetur negando minorem: Probationi dicimus: Quod in quolibet continuo quamtumuis minimo dantur plures partes proportionales se communicantes, & quodlibet continuum est diuisibile in infinitum; si igitur diuideretur continuum deueniremus tandem ad aliquas partes ita minimas, quæ non possent vlterius diuidi in partes æquales, & per se existentes, possent nihilominus diuidi in partes proportionales, & in existentes.

Dices: Frustra est potentia quæ non reducitur ad actum: ergo si quælibet pars continui potest diuidi in infinitum poterit hæc potentia reuocari ad actum, dareturque infinitum actu; sed hoc est impossibile, vt ostensum est supra lib. 3. ergo non quælibet pars continui est diuisiuilis in infinitum.

Respondetur explicando illud axiomma positum in antecedenti, ad hoc enim, vt aliqua potentia non sit frustra, non requiritur, quod reuocetur ad omnem actum, quem potest producere, alioquin diceremus, quod potentia, quam habet Deus ad saluandos homines est frustra in Deo, cum omnes homines saluari possint, non tamen omnes saluentur, & similiter habet Deus potentiam ad faciendos plures Cœlos, quæ tamen non est frustra in Deo licet Deus plures Cœlos non creet: Ad hoc inquam, vt aliqua potentia, non sit frustra sufficit, quod reuocetur ad aliquem actum. Iam verò potentia quam habet continuum ad diuisionem reuocatur ad actum, quotiescumque diuiditur continuum, non autem est necesse, quod ad omnem actum reducatur.

Secundum argumentum: In qualibet linea; v. g. dantur puncta immediata: ergo linea componitur ex punctis tanquam ex partibus. Probatur antecedens; inter punctum, & punctum non mediat pars lineæ: ergo nihil mediat: ergo dantur puncta immediata. Probatur antecedens; vel linea, quæ mediat tangit punctum in aliquo diuisibili, vel in aliquo indiuisibili: Non in aliquo diuisibili; nam in puncto non est aliquid diuisibile: ergo tangit punctum in aliquo indiuisibili: Ac per consequens dabuntur duo indiuisibilia immediata.

Respondetur negando antecedens; probationi negamus etiam antecedens, & ad huius probationem. Dico, quod supponit falsum, videlicet partem lineæ tangere punctum, cum enim illa se tangant, quorum extrema sunt simul, & punctum non habeat partes, & ex consequenti, neque extrema; absolute dicendum erit, quod nihil potest tangere punctum: Dicetur itaque pars lineæ vti-

ri

ri puncto, & medio illo copulari alteri parti lineæ, non autem dicemus, partem lineæ tangere punctum.

Tertium argumentum: Arist. 1. topic. cap. 14 affirmat, *quo lita se habet punctum respectu lineæ, sicut vnitas respectu numeri*; sed numerus componitur ex vnitatibus, tanquam ex partibus integrantibus, ergo etiam linea componitur ex punctis.

Respondetur interpretando Arist. non enim ponit similitudinem inter vnitates numeri, & puncta lineæ, in hoc quod est esse partes componentes, sed solum in hoc, quod sicut vnitas est principium numeri, ita punctum est principium lineæ.

QVAESTIO IV.

Vtrum in continuo dentur infinitæ partes?

OBseruanda est diuisio partium continui, quam proposuimus supra lib. 3. in partes æquales, non se communicantes, seu per se subsistentes, & in partes proportionales se communicantes, & in existentes. Si enim loquamur de partibus aequalibus per se existentibus, certissimum est, huiusmodi partes esse actu finitas, cum non detur, nec possit dari etiam per potentiam Dei absolutam infinita quantitas, vt diximus: solum igitur procedit quæstio de partibus proportionalibus continui.

Prima conclusio: *Partes proportionales continui sunt actu, & Cathegorematicè finitæ*: Ita Iabellus Ferrariensis, & alii, & est expressa sententia Arist. multis in locis præcipuè verò 3. Physicor. vbi docet in cõtinuo esse infinita media, non actu, sed potestate solum. Ratione probatur; infinito actu non potest fieri additio in illo genere in quo est infinitum; sed continuo potest fieri additio secundum partes proportionales: ergo partes proportionales continui non sunt actu infinitæ. Maior est D. Tho. 3. p. q. 10. art. 3 ad 3. Minor constat; nam si aquæ addatur aqua continuabitur cum illa: ergo continuo potest fieri additio secundum partes proportionales. Probatur consequentia; nam etiam illa aqua, quæ additur habet partes proportionales distinctas à partibus illius aquæ cui additur.

Secundo probatur conclusio: Implicat contradictionem, quod detur multitudo actu infinita, vt probauimus supra lib. 3. dum de infinito agebamus: ergo partes proportionales continui non sunt actu infinitæ.

Secunda conclusio: Partes proportionales continui sunt infinitè in potentia, & sin Cathegorematicè. Probatur conclusio: Nam quodlibet continuum est diuisibile in infinitum in partes proportionales, & in existentes, neque partes illæ exhauriri possunt, ita vt deueniamus ad aliquam partem, ita minimam, quæ non posset vlterius diuidi in partes proportionales: ergo partes continui proportionales possunt in infinitum per diuisionem multiplicari, quatenus videlicet; facta qualibet diuisione

sione continui, quælibet pars est vlterius diuisibilis in partes proportionales.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si partes continui essent actu finitæ diuisio continui posset exhauriri; nam omne finitum per detractionem finiti tandem consumitur; sed diuisio continui non potest exhauriri cum continuum sit diuisibile in infinitum: ergo partes continui non sunt actu finitæ.

Respondetur negando maiorem: Est enim vera de partibus æqualibus ipsius continui: illæ enim possunt exhauriri per detractionem: non autem est vera absolute loquendo de omnibus partibus; nam partes proportionales cum sint potestate, & sin Cathegorematicé infinitæ non possunt exhauriri, quamuis actu finitæ sint.

Secundum argumentum. In continuo non est aliqua pars, quæ sit simpliciter prima, vel vltima: ergo partes continui sunt actu infinitæ. Probatur antecedens; data qualibet parte continui illa est diuisibilis in alias partes: ergo data qualibet parte continui, datur alia prior, & posterior: ergo nulla pars continui est simpliciter prima, vel vltima.

Respondetur negando consequentiam; nam ad affirmandum, quod in continuo non datur aliqua pars simpliciter prima, vel vltima sufficit quod partes continui sint infinitæ in potentia, & sin Cathegorematicé.

Tertium argumentum. Ex eo probamus, virtutem, & potentiam Dei esse actu infinitam; quia producto quolibet effectu quamtumuis perfecto, potest Deus effectum perfectiorem producere; sed etiam abstracta, qualibet parte in continuo possunt abstrahi aliæ partes: ergo partes continui sunt actu infinitæ.

Respondetur negando consequentiam; est enim longè dispar ratio de virtute Dei, & de potentia, quàm habet continuum ad diuisionem; nam virtus Dei est causa efficiens productiua omnium effectuum: ac per consequens colligitur, quod virtus Dei est actu infinita; quia potest producere effectus magis, ac magis perfectos in infinitum, at vero potentia, quam habet continuum ad diuisionem nō est potentia actiua, sed passiua: ac per consequens à potentia actiua Dei ad potentiam passiuam continui, nō bene valet argumentum. Quemadmodum quamuis hoc enthymema sit verum: Deus potest hominem magis, ac magis perficere in infinitum: ergo potentia actiua Dei est actu infinita: Non tamen valet; homo potest perfici a Deo in infinitum: ergo potentia passiua hominis est actu infinita.

QVAES-

QVAESTIO V.

Vtrum motus Physicus possit fieri in instanti?

OBseruandum est: Quæstionem non procedere de motu impropriè vsurpato, qua ratione complectitur omnem mutationem, siue successiuam, siue instantaneam; certum est enim, quod mutatio instantanea debet fieri in instanti: Procedit igitur quæstio de motu propriè dicto, de quo egimus libro præcedenti: Diximusque cum Arist. de tria tantum prædicamenta dari talem motum, ad quantitatem videlicet, qualitatem, & vbi.

Prima conclusio: Motus propriè dictus, si fiat successiue, nulla ratione poterit fieri in instanti. Hæc conclusio est certissima; nam ad successionem, requiritur, quod partes motus non sint simul, sed vna alteri succedat, & vna dicatur prior, & alia posterior, sed in instanti, cum sit omnino indiuisibile, non datur prius, nec posterius: ergo motus successiuus, vt successiuus est non potest fieri in instanti.

Secunda conclusio: Motus proprie dictus, qui ex sua natura habet successionem, non potest fieri naturaliter in instanti. Ita Arist. cap. 3. huius libri. D. Tho. Beatus Albertus Magnus, & communiter omnes interpretes. Ratione probatur; successio est veluti quædam proprietas motus propriè dicti; sed proprietas non potest separari à subiecto cuius est proprietas viribus naturæ: ergo motus propriè dictus non potest naturaliter fieri sine successione; sed quod fit successiue non potest fieri in instanti; quia necessario mensuratur tempore, vt diximus in conclusione præcedenti: ergo motus propriè dictus non potest fieri in instanti.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Adquisitio loci est motus localis; sed potest aliquid adquirere locum in instanti: ergo potest dari motus successiuus, & localis in instanti. Probatur minor; nam per potentiam Dei absolutam potest fieri, quod aliquid in instanti adquirat aliquem locum, ita vt toto tempore præcedenti sit alibi, & in instanti sequenti sit in illo loco, quem adquisiuit; v. g. quod homo existens per totam horam Ilerdæ in vltimo instanti sit Barchinonæ.

Respondetur negando minorem. Probationi dicimus; quod argumentum procedit de potentia Dei absoluta, in hac autem quæstione solum loquimur de hoc quod fieri potest viribus naturalibus. An autem viribus supernaturalibus possit fieri motus localis in instanti? explicabitur quæst. sequenti. Nunc autem. Respondetur impossibile esse, quod aliquod mobile existat per totam horam Ilerdæ, & in vltimo instanti ipsius horæ sit Barchinonæ: Debet enim necessario pertransiri medium, & spatium, quod est inter Ilerdam,

& Barchinonem, quæ quidem pertransitio nulla ratione potest fieri in instanti; quamuis per potentiam Dei absolutam possit fieri brevi temporis interuallo.

Vltimum argumentum. Quando, ex aere fit aqua, aqua occupat minorem locum, quam aer, quia est magis densa, quam aer, & tum temporis ne detur vacuum, aer circunstans extendit se motu locali; & occupat simul cum aqua producta illum locum, quem antea occupabat aer, ex quo fit aqua. Hoc igitur supposito tanquam certo, sic efficitur argumentum: ille motus localis aeris circunstantis, quo se extendit ad occupandum locum efficitur in instanti: ergo viribus naturæ poterit motus fieri in instanti. Probatur antecedens in eo instanti in quo generatur aqua, vel datur vacuum in eo loco in quo antea erat aer, vel non datur vacuum: Primum dici non potest; nam non potest dari vacuum viribus naturæ: ergo si non datur vacuum aer circunstans occupabit per motum localem illud spatium; sed ille motus localis non fuit factus in tempore, quod præcessit instans generationis; nam toto illo tempore erat aer corruptus in illo spatio: ergo necessario dicendum est, quod motus localis aeris circunstantis fuit factus in instanti.

Respondetur illam generationem aquæ non fieri in instanti; sed in tempore: Ac per consequens motus localis aeris circunstantis non fit in instanti, sed in tempore, simul enim generatur aqua, & extenditur aer per motum localem, vnde negatur datur vacuum, neque motus localis fit in instanti.

Dices: Generatio aquæ est generatio substantialis; sed generatio substantialis ex natura sua fit in instanti: ergo generatio illius aquæ debet fieri in instanti, & non in tempore.

Respondetur distinguendo minorem: aqua enim potest dupliciter considerari: Primo, secundum naturam propriam, & peculiarem, & hac ratione solum est generabilis, & producibilis in instanti: Secundo consideratur, secundum naturam communem; v. g. vt est pars vniuersi, & hac ratione, non ei repugnat produci, & generari in tempore, ne igitur detur vacuum in rerum natura, quod est maxima perfectio vniuersi, generabitur aqua in tempore, quemadmodum ascendit, quamuis grauis sit, ne detur vacuum.

Respondetur secundo similiter distinguendo minorem: Est enim vera de generatione substantiali, quæ non est coniuncta cum motu successiuo, attamen illa generatio aquæ est coniuncta cum motu locali successiuo aeris circunstantis, ac per consequens etiam fit successiue: Quemadmodum nutritio est motus successiuus, quia comcomitatur augmentationem, quæ motus successiuus est: Hoc argumentum facile poterit applicari ad probandum posse dari vacuum naturaliter.

QVAESTIO VI.

Vtrum per potentiam Dei absolutam possit fieri motus propriè dictus in instanti?

OBseruandum est primo: Quod vt supra diximus libro præcedenti quæst. 1. quatuor requiruntur, & sufficiunt ad motum propriè dictum: videlicet latitudo terminorum: quod mobile sit ens actu: quod termini sint positiui; & contrarij: non autem est de intrinseca ratione motus propriè dicti esse successiuum, & tempore mensurari, vt inter alios sentit Magister Soto 5. lib. Physicor.

Obseruandum est secundo: Quod motus propriè dictus, vt etiam constat ex libro præcedenti ad quæ diuiditur in motum ad quantitatem, qualitatem, & vbi, de quibus omnibus præsens procedit quæstio.

Prima conclusio: Motus ad quantitatem, & qualitatem per potentiam Dei absolutam potest fieri in instanti: Itaque virtute diuina poterit homo â minori quantitate ad maiorem procedere in instanti. Probatur conclusio: Si quantitati, & qualitati repugnaret hoc, quod est adquiri in instanti, vel hæc repugnantia esset ex parte ipsius Dei, vel ex parte ipsius mobilis, vel ex parte quantitatis, & qualitatis, vel ex parte ipsius motus; sed ex nullo capite repugnat: ergo motus ad quantitatem, & qualitatem poterit virtute diuina fieri instanti. Probatur minor; Imprimis non repugnat ex parte Dei, cuius virtus est infinita, & immensa, & cui nihil est impossibile. Deinde neque ex parte mobilis; nam mobile post augmentationem, & alterationem, simul, & in instanti, habet quantitatem, & qualitatem: ergo non ei repugnat simul, & in instanti eas recipere, & adquirere.

Præterea neque repugnat ex parte quantitatis, & qualitatis; nam in generatione substantiali, simul, & in instanti producuntur quantitas, & qualitas. Denique neque repugnat ex parte motus: Si enim motui repugnaret maximè; quia ex natura sua est successiuus; sed esse successiuum, non est de intrinseca, & essentiali ratione motus, quamuis habeat modum proprietatis consequentis ipsum motum: ergo ex parte motus non repugnat, quod quantitas, & qualitas adquirantur in instanti.

Confirmatur hæc ratio; nam quantitas producta per mutationem instantaneam, & quantitas producta per motum successiuum, sunt eiusdem rationis, & speciei; sed motus specificatur â termino ad quem: ergo augmentatio facta in instanti est eiusdem speciei cum augmentatione, quæ fit in tempore: ergo non est de ratione augmentationis, quod fiat in tempore, vel in instanti.

Secunda conclusio: Motus localis, neque per potentiam Dei absolutam potest fieri in instanti, sed necessario debet fieri, & mensurari tempore. Probatur conclusio; de intrinseca ratione

tione motus propriè dicti est, quod terminus ad quem habeat latitudinem; sed tota latitudo termini motus localis nulla ratione potest haberi, simul, & in eodem instanti: ergo motus localis neque per potentiam Dei poterit fieri in instanti. Probatur minor; latitudo termini motus localis consistit in maiori, & minori aproximatione ad vltimum vbi, quod vltimo adquiritur; sed neque per potentiam Dei potest idem mobile simul, & in eodem instanti esse magis, & minus â proximatum ad vltimum vbi: ergo tota latitudo termini motus localis non potest haberi simul, & in eodem instanti. Probatur minor; implicat contradictionem, quod idem mobile simul, & in eodem instanti sit in proxime, & in remoto loco alioquin esset simul in duobus locis: ergo vera est minor.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. De intrinseca ratione motus propriè dicti est successio; sed quod fit successiue nullo modo potest fieri in instanti: ergo motus propriè dictus; neque per potentiam Dei absolutam poterit fieri in instanti. Probatur minor; de ratione motus propriè dicti, vt diximus libro præcedenti, est quod fiat inter terminos positiuos latitudinem habentes; sed motus inter istos terminos necessario debet esse successiuus: ergo vera est maior.

Respondetur negando maiorem. Probationi negatur minor; quamuis enim successio motus naturaliter sequatur, tanquam proprietas, ex hoc quod sit motus inter terminos positiuos latitudinem habentes: non tamen ista successio est essentialis motui, & potest suppleri à Deo: Ita vt detur augmentatio, vel alteratio sine successione.

Secundum argumentum. Quemadmodum instans temporis correspondet mutato esse, ita tempus correspondet motui; Sed implicat contradictionem, quod mutatum esse non fiat in instanti: ergo etiam, quod motus non fiat in tempore: ergo neque per potentiam Dei absolutam potest fieri in instanti.

Respondetur distinguendo maiorem: Si enim intelligatur de motu successiuo, vt successiuus est formaliter, vera est, & in hoc sensu vsurpatur motus in diffinitione temporis, vbi dicitur, quod tempus est numerus, & mensura motus: Si autem intelligatur maior de motu absolute, & simpliciter vsurpato, & secundum suam essentiam, falsa est: Accidit enim motui esse successiuum, & tempore mensurari.

QVAESTIO VII

De inceptione, & de sitione rerum.

ANtequam deueniamus ad speciales difficultates, quæ de inceptione, & de sitione rerum â Philosophis exagitari solent aliqua præmittenda erunt in ista quæstione.

Obserua igitur primo: Quod duo sunt modi incipiendi rerum alter dicitur, primum sui esse: Et alter dicitur, vltimum sui non esse. Primum sui esse, est instans intrinsecum in quo est verum dicere, nunc res est, & immediate toto tempore præcedenti non erat. Vltimum non esse est instans extrinsecum, in quo est verum dicere nunc in hoc instanti res non est, & immediate in tempore sequenti erit.

Obseruandum est secundo: Duos etiam esse modos desinendi rerum: Alter est intrinsecus, qui dicitur vltimum sui esse, & alter est extrinsecus, qui dicitur, primum sui non esse. Vltimum sui esse est instans intrinsecum in quo est verum dicere; nunc in hoc instanti res est, & immediate tempore sequenti non erit: Primum sui non esse, est instans extrinsecum in quo est verum dicere nunc in hoc instanti res non est, & immediate tempore præcedenti erat.

Obseruandum est tertio: Inter istos modos incipiendi, & desinendi, hoc reperiri discrimen; nam quæ incipiunt per primum sui esse incipiunt in instanti: Quæ verò incipiunt per vltimum non esse incipiunt esse in tempore, vt ex diffinitionibus vtriusque modi constare potest: Similiter quę de sinunt esse per vltimū sui esse desinunt in instanti: quæ verò per primum non esse, in tempore. Aliud præterea reperitur discrimen; nam quæ incipiunt per primum sui esse, & de sinunt per vltimum sui esse habent esse in illo instanti in quo incipiunt, vel de sinunt; nam sunt instantia in quibus est verum dicere, nunc res est, vt constat ex eorum diffinitionibus, & ob hanc causam, primum sui esse dicuntur instantia intrinseca; quæ verò incipiunt per vltimum sui non esse, & de sinunt per primum sui non esse non habent esse quando incipiunt, vel de sinunt; vt etiam ex eorum diffinitionibus manifeste apparet.

Obseruandum est vltimo: Ex rebus quasdam esse successiuas, vt motus, & tempus: Quasdam verò permanentes, vt homo, & leo. Insuper quasdam incipere cum motu, & per motum successiuum: Quasdam verò per mutationem instantaneam.

QVAESTIO VIII.

Vtrum res successiuæ incipiant per vltimum non esse, & desinant per primum non esse?

PRima conclusio: Res successiuæ cuiusmodi sunt motus, & tempus incipiunt esse per vltimum sui non esse. Communis est conclusio. Ratione probatur; nulla res successiua potest esse in instanti; sed quod incipit per primum sui esse, est in instanti, vt diximus quæstione præcedenti: ergo nulla res successiua incipit per primum sui esse: ergo debet incepere per vltimum non esse; non enim datur alius modus incipiendi. Probatur maior; res successiua non potest habere omnes partes simul, sed necessario debet habere partem

tem post partem, vt priorem, & posteriorem: ergo nulla res successiua potest esse in instanti: ergo neque incipere per primum sui esse; nam de re quæ incipit per primum sui esse, est verum dicere, nunc in hoc instanti res est.

Secundo probatur conclusio: Si res successiua inciperet per primum sui esse, vel illa pars, quæ incipit esset diuisibilis, vel indiuisibilis; non indiuisibilis; nam quælibet pars successiui, est successiua: Omne autem successiuum est diuisibile in partes: Si autem est diuisibilis: ergo non potest incepere per instans indiuisibile: ergo non incipiet per primum sui esse, sed per vltimum sui non esse.

Secunda conclusio: Omnes res successiuæ desinunt per instans extrinsecum, videlicet per primum non esse. Hæc etiam conclusio est communis, quam probant duæ rationes adductæ pro præcedenti conclusione; quæ enim desinunt per vltimum sui esse sunt in instanti; sed rei successiuæ repugnat esse in instanti: ergo etiam desinere esse per vltimum sui esse: ergo res successiuæ desinent esse per primum sui non esse, non enim datur alius modus desinendi. Quæ diximus in his duabus conclusionibus de rebus successiuis eadem cum proportione dicenda sunt de rebus permanentibus, quæ cum motu, & per motum incipiunt, & desinunt esse.

Tertia conclusio: Indiuisibilia rei successiuæ, qualia sunt instantia temporis, & mutata esse ipsius motus incipiunt, & desinunt per instantia intrinseca, videlicet per primum sui esse; & per vltimum sui esse. Probatur conclusio: Huiusmodi indiuisibilia habent esse simul, & indiuisibiliter: ergo incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse, & idem est in istis instans inceptionis, & desitionis, in eodem que instanti est verum dicere: Nunc est mutatum esse, & immediate tempore præcedenti non erat: nunc est mutatum esse, & immediate tempore sequenti non erit.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Demus, quod mulier grauida, seu pregnans moueatur continue motu locali, & in medio motus animetur fœtus, qui gestatur in vtero, tum temporis fœtus incipit per primum sui esse: ergo etiam incipit moueri successiue per primum sui esse. Probatur consequentia; cum primum est animatus fœtus incipit moueri localiter; sed incipit esse per primum sui esse: ergo incipit moueri per primū sui esse.

Respondetur negando consequentiam: Quamuis enim fœtus incipiat esse, & animari per primum sui esse, & in illo instanti animationis fœtus moueatur, non tamen inde sequitur, quod motus localis incipiat per primum sui esse; incipit enim motus ipsius fœtus animari per vltimum non esse, videlicet per instans extrinsecum,

cum, quod quidem instans identificatur realiter cum instanti intrinseco in quo incipit esse fœtus animatus; idem igitur instans est primum esse animationis fœtus, & vltimum non esse motus ipsius fœtus animati; nam in eodem instanti in quo est verum dicere, nunc est animatus fœtus, & immediate non erat, est etiam verum dicere; nunc non mouetur, & immediate mouebitur.

Vltimum argumentum. Minimus calor productus per calefactionem successiuam in aqua incipit esse cum motu successiuo; & tamen incipit per primum sui esse: ergo, quæ incipiunt cum motu possunt incipere per primum sui esse. Probatur minor; omne indiuisibile debet incipere in instanti intrinseco; sed minimus calor est indiuisibilis, si enim diuisibilis esset, iam non esset minimus: ergo minimus calor debet incipere in instanti intrinseco, quod dicitur primum sui esse.

Respondetur negando maiorem; non enim, quælibet productio qualitatis est motus, sed solum productio illius qualitatis, quæ habet latitudinem: Vnde minimus calor non producitur successiue, sed in instanti, & ex consequenti non incipit per vltimũ non esse, sed per primũ sui esse, vt optimé probat argumentum.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum res permanentes incipiant per primum sui esse, & desinant per primum sui non esse?

OBseruandum est primo: In præsenti non esse sermonem de rebus permanentibus, quæ per motum, vel cum motu incipiunt; de his enim iam diximus quæstione præcedenti, quod incipiunt, & desinunt per instantia extrinseca, sicut, & motus: Solum igitur procedit quæstio de rebus permanentibus, quæ incipiunt, vel desinunt per mutationem instantaneam.

Obseruandum est secundo: Ex rebus permanentibus, quæ incipiunt, vel desinunt per mutationem instantaneam: quasdam incipere per creationem, vt Angeli, Cœli, & anima rationalis, materia prima, quæ non possunt desinere esse, nisi per annihilationem, quæ est destructio totius entitatis: quasdam verò incipere esse per generationem, & desinere per corruptionem, vt homo, & leo, & de omnibus procedit quæstio.

Obseruandum est etiam: Illa diuisio quietis, in priuatiuam, & positiuam: Quies priuatiua *est carentia motus, quam habet mobile in termino à quo.* Quies autem positiua *est permanentia rei in suo loco, & perfectione naturali.*

Prima conclusio: Omnes res permanentes, quæ incipiunt esse per generationem, vel creationem incipiunt

pinnt per instans intrinsecum videlicet per primum sui esse. Probatur conclusio: Generatio, & creatio sunt mutationes instantaneæ, & ex consequenti, quæ fiunt per generationem, & creationem, fiunt & incipiunt in instanti; sed quæ in instanti incipiunt, incipiunt per primum sui esse: ergo vera est conclusio.

Secundo probatur conclusio: De qualibet re, quæ fit per generationem, vel creationem verum dicere, quando generatur, vel creatur, nunc in hoc instanti est, & immediate toto tempore antecedenti non erat: ergo quæ incipiunt per generationem, vel creationem incipiunt per primum sui esse: Constat consequentia ex diffinitione.

Secunda conclusio. Res permanens, quæ desinit per corruptionem, desinit per primum sui non esse. Probatur conclusio efficacite nam si non desineret per primum sui non esse, desineret per vltimum sui esse, non enim datur alius modus desinendi, sed hoc est impossibile: ergo & illud ex quo sequitur. Probatur minor; si quod desinit per corruptionem desineret per vltimum sui esse, sequeretur vnum de duobus, videlicet quod materia prima, esset aliquo tempore sine vlla forma, vel quod sit in eodem instanti reperiuntur duæ formæ in vna numero materia; sed vtrumque est impossibile: ergo est minor. Probatur sequela maior; nam si forma, quæ corrumpitur desinit per vltimum sui esse esset verum dicere, quod in illo instanti esset alia forma in materia, vel igitur in eodem instanti est etiam in eadem materia forma generanda, vel non; Si primum: ergo dantur simul duæ formæ in eadem numero materia: Si autem dixeris quod in illo instanti adhuc non est forma generiræ. Ergo in illo instanti erit materia sine aliqua forma. Probatur prima sine consequentia; nam forma generanda incipit esse per primum sui esse: ergo non potest incipere in tempore immediate sequenti: ergo incipiet in alio instanti, quod sequitur per primum tempus; non enim dantur duo instantia immediate: ergo erit tempore, quod mediat inter duo instantia existeret materia prima, sine aliqua forma. Dicendum igitur est, res quæ desinunt per corruptionem desinere per instans extrinsecū, videlicet per primum non esse.

Tertia conclusio: Res quæ desinunt per anihilationem desinunt etiā per primum non esse. Probatur conclusio, anihilatio fit per subtractionē concursus Dei: ergo in instanti in quo est anihilatio non est concursus diuinus, sed quando non est diuinus concursus nō existit res ipsa, implicat enim, quod aliqua res existat sine concursu diuino: ergo in instanti anihilationis erit verum dicere de re, quæ anihilatur; nunc hæc res non est, & immediate tempore præcedenti erat: ergo quæ desinunt per anihilationem desinunt per primum non esse.

Dices: Quomodo incipiunt, & desi-

desinunt mutationes instantaneæ, videlicet, creatio, annihilatio, generatio, & corruptio.

Respondetur; quod incipiunt, & desinunt per instanti intrinseca, videlicet per primum sui esse, & per vltimum sui esse ea ratione, qua diximus quæstione præcedenti de indivisibilibus rerum successiuarum, in tempore enim instanti est verum dicere, nunc est creatio, & immediate non erit, nunc est creatio, & immediate non erit.

Quarta conclusio: Quies priuatiua incipit per vltimum non esse, & desinit per primum non esse sicut diximus de motu. Probatur conclusio; de illa re, quæ incipit per primum esse, & desinit per vltimum esse est verum dicere, quod in aliquo instanti est, vt constat ex diffinitionibus horum modorum; sed de quiete priuatiua non est verum dicere, quod in aliquo instanti est: ergo quies priuatiua non incipit per primum sui esse, neque desinit per vltimum sui esse: ergo incipit, & desinit per instantia extrinseca. Probatur minor; quies priuatiua, cum sit carentia motus in subiecto apto nato, vt moueatur, solum potest esse, quando potest esse motus; sed motus non potest esse in instanti, sed in tempore: ergo idem erit dicendum de quiete priuatiua: Quies autem positiua cum sit permanentia rei in sua perfectione naturali, eodem modo incipit, & desinit esse, quo incipit, & desinit lis res esse in tali perfectione. Et

stanti in quo non potest esse, motus incipit, & desinit eo modo, quo instans

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Pars substantiæ quæ producitur per nutrionem est permanens; & tamen non incipit esse per primum sui esse: ergo res permanentes non incipiunt per primum sui esse. Probatur minor: nutritio, supra diximus, est motus successiuus quemadmodum, & augmentatio, qua fit; sed quod fit per motum successiuum non incipit per primum sui esse; sed per vltimum non esse, diximus quæstione præcedenti: ergo vera est minor.

Respondeur negando consequentiam: In illa enim quæstione loquimur de re permanente, quæ non incipit per motum, vel cum motu; nutritio autem semper incipit cum motu, videlicet cum augmentatione, quæ est motus ad quantitatem.

Respondetur secundo; negando similiter consequentiam; in conclusionis enim locuti sumus de re permanente, quæ producitur per generationem totalem; at verò pars substantiæ, quæ per nutritionem procitur, non producitur per generationem totalem; nam nutritio non est totalis, sed partialis generatio, quæ à Philosophis aggeneratio appellatur.

Secundum argumentum. Forma alimenti, quæ desinit per corruptionem

nem est ens permanens; & tamen non desinet per primum sui non esse; ergo res permanentes non desinunt per primum non esse. Probatur minor forma alimenti desinit per vltimum sui esse: ergo non desinit per primum sui non esse. Probatur antecedens; forma alimenti incipit esse in materia alimenti per vltimum sui non esse: ergo forma alimenti, quæ expellitur, & corrumpitur desinit esse per vltimum sui esse, alioquin materia prima in aliquo instanti esset sine vlla forma.

Respondetur negando consequentiam: in conclusionibus enim, quando dicimus: ea, quæ desinunt esse per corruptionem, desinere in instanti extrinseco, videlicet per primum non esse, loquimur de corruptione, quæ simul est generatio totalis alicuius rei; corruptio autem alimenti non ordinatur ad totalem, sed ad partialem generationem, nimirum ad nutritionem rei viuentis, & hæc dicta sunt de hac quæstione, & capitibus, & lib. 6.

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

EGit hactenus Arist. de ente mobili, & proprietatibus eiusdem, præcipue verò de motu, qui est omnium proprietatum præcipua proprietas, in hoc autem, & sequenti libro de motore, seu mouente, præcipuè verò de Deo Op. Max. qui est supremus Auctor naturæ, & primus motor. Hic autem 7. lib. est veluti præludium, & introductio sequentis, suntque huic libro cap. 5.

CAP. 1.

Quidquid mouetur ab alio moueri dicitur.

DVo præstat Aristoteles in hoc capite: Ostendit prius quidquid mouetur ab alio moueri, & postea ostendit in mouētibus, & mobilibus non dari progressū, & infinitum.

CAP.

CAPVT SECVNDVM.

MOVENS, ET MOTVM DEBERE esse simul.

INtres præcipuas partes distribuitur caput; cum enim tria sint genera motus, ad vbi, ad qualitatem, & quantitatem: Probat in prima parte, quod mouens, & id quod mouetur motu locali debent esse simul. In secunda, hoc probat de motu, ad qualitatem: In tertia, id ipsum demonstrat de motu ad quantitatem.

CAPVT TERTIVM.

ALTERATIONEM ESSE AD qualitates tertiæ speciei.

TRia etiam præstat Philosophus in hoc cap. Primo enim probat, alterationem non esse in qualitatibus quartæ speciei. Deinde, neque in habitibus corporis. Denique neque in habitibus animæ, sed solum dari motum alterationis ad qualitates tertiæ speciei, quæ dicuntur patibiles qualitates, & perturbationes.

CAPVT QVARTVM.

VTRVM OMNES MOTVS SINT comparabiles inter se?

IN prima parte huius capitis arguit Aristoteles pro vtraque parte quæstionis propositæ. In secunda verò adhibitis duabus regulis; quæstioni satisfacit.

CAPVT QVINTVM.

IN QVO QVASDAM CONCLVsiones proponit?

PRoponit Arist. in hoc cap. quasdam conclusiones spectantes ad naturam mouentium, & mobilium. In prima igitur parte conclusiones ad motum localem spectantes proponit. In secunda verò alias conclusiones pertinentes ad augmentationem, & alterationem adducit.

QVESTIO PRIMA.

VTRVM QVIDQVID MOVETVR ab alio moueatur?

OBseruandum est primo: Quod sensus huius quæstionis est. An mouens, id est id quod mouet, & motum, seu id quod mouetur debeant distingui realiter; An verò possit idē â se ipso moueri.

Obseruandum est secundo: Dupliciter aliquid moueri, videlicet per se, & ratione sui, vel per accidens, seu ratione alterius, quam diuisionem explicuimus supra. Titulus igitur quæstionis, non procedit de eo quod mouetur per accidens, certum enim est, quod idem potest âse ipso per accidens moueri, anima enim rei viuentis per se mouet corpus, & per accidens mouet se ipsam, ad motum videlicet corporis in quo est.

Obseruandum est tertio: Quod motus, vt ad præsens attinet institutum, est duplex; alius est Physicus, & materialis, per quem aliquod ens materiale producitur, vel corrumpitur, & hic motus est actio transiens; & alius est motus Methaphysicus, & spiritualis, qui quidem est actio immanens, huiusmodi sunt intellectiones, & volitiones.

Prima conclusio: Quidquid mouetur motu Physico, mouetur ab alio, ita vt inter mouentem, & id quod mouetur reperiatur realis distinctio. Ita Arist. cap. 1. & lib. sequenti cap. 4.

& est

& est commune axiomma omnium Philosophorum. Ratione probatur; id quod mouet debet esse ens actu, & habere illam formam ad quam mouet, vel formaliter, vel eminenter saltim: qua ratione dicimus, quod Sol est eminenter calidus cum causet calorem in his inferioribus: quod autem mouetur, non habet actu formam ad quam tendit sed solum habet illam in potentia; sed idem respectu eiusdem formæ non potest esse simul in actu, & in potentia: ergo idem non potest esse id quod mouet, & id quod mouetur: ergo quidquid mouetur ab alio mouetur: Hæc ratio est Arist. cap. 4. lib. sequentis.

Secundo probatur conclusio: Quæ mouentur motu Physico, vel sunt viuentia, vel non viuentia, sed nihil istorum mouetur à se ipso: ergo quidquid mouetur ab alio mouetur. Probatur minor; in rebus viuentibus anima est pars mouens, corpus autem est pars mota, & etiam inter partes integrales corporis, cor est pars mouens, & aliæ partes corporis mouentur à corde: ergo in viuentibus non mouetur idem à se ipso. Præterea neque in non viuentibus, non viuentia enim mouentur ab extrinsecis motoribus à quibus recipiunt impulsum, & virtutem, vt moueantur, vt constabit in lib. sequenti, vbi de motu grauium, & leuium erit sermo.

Secunda conclusio: Loquendo de motu spirituali, & Methaphysico, idem potest à se ipso moueri. Ita D. Tho. 1. p. q. 77. art. 6. & idem Caietanus. q. 79. art. 2. & quam plures alii Thomistæ. Ratione probatur; intellectus, & voluntas eliciunt, & producunt suas actiones, videlicet intellectionem, & volitionem secundum totam entitatem, & recipiunt etiam in se easdem met actiones cum sint immanentes: ergo in motu spirituali, & Methaphysico idem mouetur à se ipso. Probatur consequentia; nam id quod elicit aliquam actionem mouet, & id quod recipit talem actionem mouetur: ergo si idem intellectus, & eadem voluntas eliciunt suas actiones, & recipiunt eas, idem mouebitur à se ipso.

Respondent aliqui negando; quod idem intellectus eliciat intellectionem, & recipiat ipsam; dicunt enim, quod intellectus simul cum specie intelligibili producit intellectionem; solus autem intellectus nude sumptus recipit in se intellectionem ipsam, intellectus autem vsurpatus cum specie intelligibili distinguitur realiter tanquam includens, & inclusum ab intellectu nude sumpto.

Hæc tamen solutio est omnino falsa; nam intellectus secundum se totum, elicit intellectionem, & secundum se totum recipit illam: ergo idem est intellectus eliciens, & recipiens actionem elicitam. Insuper ad distinctionem realem includentis, & inclusi, requiritur, quod inclusum sit pars includentis; sed species intelligibilis non est pars intellectus: ergo intellectus vsurpatus cum specie intelligibili non distinguitur realiter à se ipso nude sumpto.

Rursus: Intellectus quatenus dis-

tin-

stinguitur ab specie intelligibili habet aliquam actiuitatem: ergo absque specie intelligibili, vel absque eo, quod mendicat ab ipsa, ab intellectu aliquid producitur in actione: ergo secundum istam rationem erit mouens, & motum. Denique Angelus sine specie intelligibili se ipsum intelligit, vt docent Theologi cum D. Tho. in materia de Angelis: ergo saltim respectu intellectus Angelici idē. erit mouens, & motum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum Grauia, & leuia mouentur â se ipsis, v. g. quando lapis descendit à se ipso, & non ab alio mouetur deorsum: ergo non quidquid mouetur ab alio mouetur.

Respondetur negando antecedens, vt probabimus libro sequenti; grauia enim, & leuia quando naturaliter mouentur, mouentur à generante, videlicet ab eo, qui illa produxit.

Secundum argumentum. Anima respectu proprietatum est agens, seu mouens; est enim causa efficiens illarum, & etiam est passum, seu mobile; nam proprietates recipiuntur tanquam in subiecto in ipsa anima à qua fluunt: ergo idem potest esse mouens, & motum.

Respondetur negando consequentiam: In conclusione enim prima loquimur de eo quod mouet, & agit per veram, & propriam motionem, & actionem Physicam; Iam verò proprietates quamuis profluant ab essentia in genere causæ efficientis, vt docet D. Tho. 1. p. q. 77. art. 6. non tamen producuntur per veram, & Physicam actionem, sed solum per quandam emanationem, & naturalem resultantiam.

Tertium argumentum: Quamplures qualitates dantur, quæ se ipsas intendunt: ergo idem potest esse mouens, & motum. Probatur antecedens; nam frigiditas aquæ existentis in puteo, vel fonte in æstate intenditur, quando videlicet aer circundans radijs Solis est maxime calidus; sed hæc frigiditas non potest intendi nisi à se ipsa: ergo verum est antecedens. Probatur minor; nam si ab alio intenditur maxime ab aere circunstante; sed aer circunstans est calidus, vt supponimus: ergo non intendit frigiditatem aquæ. Probatur consequentia; nam qualitates. Contrariæ non se intenduut ad inuicem, sed potius se intereunt, & destruunt.

Respondetur negando antecedens, probationi dicimus, quod frigiditas aquæ in fontibus, & puteis tempore æstatis non intenditur à se ipsa neque à contrarijs qualitatibus, videlicet à caliditate existente in aere circunstante, sed intenditur ab aliquo extrinseco agente, videlicet à Sole, Sol, & enim æducit à terra vapores calidos, & ficos, ab aqua verò humidos, & frigidos; isti igitur vapores ascendunt à terra, & aqua, & recipiuntur in aere, & cum aer in æstate sit calidus recipit, & conseruat vapores.

res calidos non, autem recipit, imo resistit vaporibus frigidis, qui quidem fugientes â contrario, videlicet ab ipso aere calido, latent in cauernis terræ, & in locis profundis, & ideo in frigidant illa in quibus recipiuntur; & hæc est causa, quare aqua putei est frigidior tempore æstatis, & propter contrariam rationem, aquæ fontium, & puteorum in hyeme sunt calidæ; quia cum aer circunstans sit frigidus, resistit vaporibus calidis, qui fugientes â frigiditate aeris detinentur, & recipiuntur in aqua, eamque calidam reddunt.

Ex hac Doctrina poterit reddi ratio: Quare tempore hyemis, vt in plurimum magis fame fet homo, quod etiam contingit in his, qui natant, calor enim naturalis intra corpus existens, & cibum consumens est maior, & intensior in hyeme; quia frigiditas circunstans corpus restringit poros, & spiracula, & detinet intra corpus spiritus vitales, qui quidem cum calidissimi sint, magis intendunt intrinsecum calorem, qui quidem calor est causa consumptionis cibi ad quam sequitur fames.

Vltimum argumentum. Viuentia non mouentur ab alio; sed â se ipsis: ergo non quidquid mouetur ab alio mouetur. Probatur antecedens; nam inter viuentia, & non viuentia hoc præcipué differimen, est quod viuentia augentur â se ipsis, non viuentia autem ab extrinseco.

Respondetur negando antecedens: Nam vt constat ex his quæ diximus in secunda ratione primæ conclusionis: In quolibet viuente datur pars essentialis mouens, quæ est anima, quæ quidem habet rationem principij actiui, & datur pars per se mota, videlicet corpus. Tum etiam inter partes integrantes datur pars per se mouens, videlicet cor, reliqui autem partes â corde mouentur: Discrimen autem inter viuentia, & non viuentia consistit in hoc, quod non viuentia mouentur ab extrinseco agente: Viuentia verò mouentur ab aliqua parte sibi intrinseca, quæ quidem pars etiam se ipsam mouet per accidens.

QVAESTIO II.

Vtrum mouens, & motum debeant esse simul?

OBseruandum est primo: Quod mouens est in duplici differentia: Aliud mouet Methaphoricè, vt finis: Aliud verò propriè, & est actiue. Non procedit quæstio de eo quod mouetur Methaphorice; hoc enim mouens non requiritur, quod sit simul cum re, quæ mouetur.

Obseruandū est secundo: Quæstionem non procedere de agente primo, & supernaturali, quod est Deus; nam, vt diximus supra lib. 2. Deus immediate immediatione virtutis, & suo positi est simul cum qualibet te creata: Procedit igitur quæstio de agente naturali.

Obseruandum est tertio: Quod ex agentibus naturalibus, quædam sunt corpórea, vt Cœli, & elementa,

ta; & aliæ res sublunares, alia sunt incorporea, & spiritualia, vt Angeli, & anima rationalis.

Obseruandum est denique: Quod in præsenti illa dicuntur esse simul, inter quæ nihil mediat, imo potius se tangunt, hæc autem simultas, & contactus est duplex: Alius est contactus quantitatiuus, qui reperitur inter duo corpora, quæ ita se tangunt, vt vltima eorum sint simul: Alius est contactus secundum virtutem, quando virtus agentis tangit passum.

Sit conclusio: Mouens, & motum, seu agens, & passum semper debent esse simul, ita vt mouens contingat motum, vel contactu quantitatiuo, vel virtuali. Ita Arist. cap. 2. huius libri; & libro sequenti cap. 4 & 1. de generatione cap. 6. B. Albertus Magnus, Soto, & quam plures alij. Ratione probatur; operatio sequitur ad esse: ergo nullum agens potest operari vbi non est; sed agens operatur in passo: ergo debet esse simul cum passo: ergo mouens, & motum, seu agens, & passum debent esse simul.

Secundo probatur conclusio: Proinde natura detestatur vacuum; quia si daretur vacuum corpora inferiora non possent recipere virtutem dimanantem à corporibus Cœlestibus, quæ quidem virtus transmittitur inter corpora inter media: ergo signum euidens est, quod mouens, & motum debent esse simul saltim virtute.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Grauia, & leuia mouentur à generante; sed potest contingere; quod generans distet, vel interierit, quando grauia, & leuia mouentur: ergo mouens, & motum, non debent esse simul.

Respondetur distinguendo consequens: Si enim intelligatur de simultate quantitatiua, & de immediatione suppositi, verum est; Si autem de immediatione, & simultate virtutis falsum est: In grauibus enim, & leuibus remanet virtus motiua causata à generante, ratione cuius virtutis grauia, & leuia mouentur.

Secundum argumentum, Ignis calefacit aquam, à qua distat, & magnes, vt experientia comprobatur, attrahit ferrum longe distans, Arist. etiam lib. 9. de Historia animalium, & Plutarcus libro de animalium industria testatur dari quendam piscem paruulum, qui vocatur turpedo, qui quidem si contingit retem, vel arundinem qua piscatur reddit stupidam, vel immobilem manum, & brachium piscatoris, Fascinatores etiam solo visu infantibus distantibus nocent: Basiliscus denique aspectu interficit: ergo mouens, & motum non debent esse simul.

Respondetur distinguendo similiter consequens: Omnia enim mouentia quæ ponuntur in antecedenti sunt simul cum rebus, quas mouent simultate, & immediatione virtutis: Ignis igitur distans ab aqua eam calefacit, & est coniunctus cum ea coniunctione virtutis, calefacit, & enim aerem, & aer calefactus calefacit aquam;

quam; magnes etiam producit qualitatem quandam in aere inter medio, & ista qualitas in aere existens, producit aliam qualitatem in ipso ferro, per quam ferrum mouetur, & vi quadam naturali attrahitur. Insuper torpedo producit quandam qualitatem, in arundinem vel retem, & hæc qualitas producit aliam in manu, & brachium piscatoris perquam redditur immobilis. Denique oculi facinantis, & Basiliſci ex vehementiori visu emittunt in aere quandam qualitatem malignam, & nosciuam rei, quæ atali aere tangitur: Omnia igitur ista mouentia sunt cõiuncta cum rebus quas mouent contactu virtutis.

Dices: Impossibile est; quod aliquid agat in extremum quin prius operetur in medium; sed aer; v. g. non attrahitur â magnete: ergo neque ferrum.

Respondetur negando consequentiam: Virtus enim alicuius agentis operatur diuersos effectus, secundum variam dispositionem materiæ, & subiecti in quo recipitur talis virtus, magnes igitur aliquam qualitatem producit in aere, & aer cum tali qualitate aliam producit in ferro, & tamen ferrum attrahitur, & non aer, quemadmodum virtus solis indurat lutum, & liquefacit terram.

Tertium argumentum: Sol, & alij planetæ agunt in hæc inferiora sublunaria à quibus non maxime distãt: ergo motum, & mouens debent esse simul.

Respondetur distinguendo antecedens: Distant supposito concedo, virtute nego; sol enim, & alia corpora cælestia agunt in hæc inferiora per virtutem quam transmittunt per corpora intermedia.

Dices: Sol non potest producere aliquam qualitatem in corporibus Cœlestibus sibi inferioribus: ergo non potest aliquid producere in rebus sublunaribus per virtutem transmissam per corpora intermedia. Probatur antecedens: Receptio qualitatis non potest fieri sine alteratione; sed corpora Cœlestia cum sint incorruptibilia nullatenus possunt alterari: ergo neque aliquam qualitatem recipere.

Respondetur negando antecedens: Probationi distinguimus minorem: Duplex enim est alteratio: Alia perfectiua, quæ perficit subiectum in quo est, & alia corruptiua, quæ ducit ad interitum, quamuis igitur Cœli non sint alterabiles alteratione corruptiua: Alterantur tamen alteratione perfectiua recipiendo videlicet illuminationem à Sole.

Quartum argumentum. Sagitta â sagitario transmissa in medio, & fine sui motus mouetur à sagitario, & tamen non est simul cum ipso, vt constat: ergo mouens, & motum non debent esse simul.

Respondetur distinguendo minorem: Quamuis enim sagitarius non sit simul simultate suppositi, & quantitatis cum ipsa sagita, quando est in medio, & fine sui motus, est tamen simul cum ipsa simultate virtutis; tam diu enim mouetur sagita quandiu perseuerat in ipsa impulsus motibus â sagitario causatus.

Quintum argumentum. Angelus non est simul cum Cælo quod mouet: ergo mouens, & motum non debent esse simul. Probatur antecedens, nam illa sunt simul, quorum vltima se tangunt; Angelus autem cum sit omnino indiuisibilis non habet vltimum quo tangat Cœlum.

Respondetur negando antecedens; probationi dicimus: Quod illa diffinitio eorum, quæ sunt simul, solum verificatur de rebus materialibus: Quando autem docet Arist. in præsenti mouens, & motum debent esse simul; per esse simul non intellexit in rigore, quod mouens, & motum debeant se tangere, & esse contigua; sed quod debent esse â proximata, siue â proximatione quantitatiua, siue virtuali: Angelus autem est simul cum Cœlo, quod mouet, non contactu quantitatiuo, sed virtuali, & immediatione suppositi.

QVAESTIO III.

In qua aliquæ difficultates expiicantur?

PRima est; an alteratio tantum sit in qualitatibus tertiæ speciei.

Obseruandum est: Quod alteratio propriè dicta, de qua loquimur in præsenti debet fieri inter qualitates positiue contrarias, quæ possunt suscipere magis, & minus, & vna expellitur per introductionem alterius: Quo posito.

Respondetur cum Arist. cap. 3. quem secuntur communiter omnes Philosophi: Alterationem solum esse terminari ad qualitates tertiæ speciei, videlicet ad patibiles qualitates, & perturbationes, huiusmodi sunt caliditas, & frigiditas, albedo, & nigredo, & aliæ huiusmodi, ad alias autem species qualitatis, non datur alteratio propriè dicta, sicut neque motus, non tamen omnis patibilis qualitas per alterationem comparatur, frigiditas enim, & albedo niuis, caliditas, & raritas ipsius ignis non producuntur per alterationem, sed simul cum suis substantijs in generatione substantiali producuntur; terminare igitur alterationem erit proprietas primo modo qualitatum tertiæ speciei; nam conuenit Soli, non tamen omni. Videnda sunt quæ diximus supra lib. 5. q. 2.

Secunda difficultas est: Quæ possint inter se comparari.

Obseruandum est: Quod comparatio est duplex: Alia impropria: Et alia propria, cum enim, quælibet comparatio fundetur in aliqua conuenientia, & quælibet conuenientia dicat vnitatem illa propriè comparantur, quæ habent propriam vnitatem, qualis est vnitas vniuocorum, quæ conueniunt in nomine, & etiam conueniunt æqualiter in ratione significata per nomen: Illa verò comparantur impropriè, quæ non habent eandem vnitatem simpliciter, sed secundum quid, qualis est vnitas analogiæ, & proportionis. Hoc posito.

Res-

Respon etur quæstioni illa præcipué comparantur inter se, quæ sunt eiusdem speciei athomæ, & infimæ: Ita Aristoteles cap. 4. quem D. Thomæ, & omnes interpretes sequuntur. Et probatur ratione; nam comparatio fundatur in conbenientia, & vnitate; sed quæ sunt eiusdem speciei athomæ habent vnitatem vniuocam, quæ est præcipua inter vnitates, & conuenientias: ergo quæ sunt eiusdem speciei athomæ propriè comparantur. Dixi comparatione propria; nam si de impropria comparatione sit sermo, bene poterit esse comparatio inter ea quæ non sunt eiusdem speciei athomæ. Dixim us enim cum Aristotele substantiam esse magis ens, quam accidentia, comparamus etiam hominem esse perfectius animal, quam bruta animalia, cum tamen substantia, & accidens solum conueniant in vnitate analoga, & homo, & bruta in vnitate generica animalis, non autem in vnitate speciei infimæ. Et hæc de hac quæstione capitibus, & libro.

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

IN hoc libro (ordine quidem vltimo, dignitate autem, & præstantia primo.) Agit Arist. de æternitate motus, & de supremo rerum omnium artifice Deo op. Max. de eius immutabilitate, & æternitate, loco, & virtute, suntque in ipso cap. 10.

CAP. I.

De æternitate motus.

QVæstionem difficilem proponit in hoc cap. Arist. inuestigans, An motus sine, & principio careat, ita vt non habuerit suæ durationis initium, neque sit habiturus finem? Cui difficultati occurrit Arist. dicens: motum esse æternum â parte ante, & â parte post, neque habuisse aliquando suæ durationis exordium, neque habiturum esse finem, quod probat Aristoteles multis rationibus, quæ quia claræ sunt in capite videantur.

CAP. II.

In quo reprehenduntur sententiæ antiquorum Philosopherum.

POstquam in capite præcedenti explicuit Arist. quid ipse senserit de æternitate motus in hoc secun-

do

do capite refert Antiquorum Philosophorum sententiam negantem æternitatem motus, & asserentem, motum habuisse suæ durationis principium. Proponit igitur horum Philosophorum rationes, easque dissoluit.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM MVNDVS SIT CREAtus à Deo?

OBseruandum est: Quod nomine mundi intelligimus collectionem omnium creaturarum, tam materialium, quam spiritualium. Nomine etiam creationis intelligimus productionem rei ex nihilo, qua ratione disputant de creatione Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 45. & sequentibus.

Sit conclusio: Mundus verè, & propriè est creatus à Deo, idest factus ex nihilo, & ex nulla præsuppositâ materia. Conclusio est certa hoc tenenda, & est vnus ex articulis Fidei nostræ, habeturque multis in locis Scripturæ Sacræ: Dicitur enim Genesis 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram* & ad Colossenses. 1. *In ipso creata sunt omnia, siueque in Cœlo, siueque in terra, visibilia, & inbisibilia:* Idem confitetur Ecclesia in Symbolo Apostolorum: Vbi dicitur: *Credo in Deum creatorem Cœli, & terræ.* Ratione probatur: si mundus non esset creatus à Deo, & productus ex eo esset, quia fuisset factus ex aliqua materia præexistenti; sed quælibet materia, & quodlibet subiectum est factum, & creatum à Deo; nam quodlibet ens præter Deum est ens per participationem: ergo vera est conclusio.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Creatio est productio entis ex nihilo; sed nihil potest fieri ex nihilo: ergo nihil potest creari à Deo. Probatur minor; nam vt docet Arist. 1. Physic. cap. 8. hoc est commune axiomma ex nihilo nihil fit.

Respondetur negando minorem: Probationi Dicimus, quod ex nihilo nihil fit, per motum. & per mutationem propriè dictam; nam ad motum, & mutationem propriè dictam requiritur subiectum, quod præsupponatur mutationi, & motui, creatio autem non est motus, nec mutatio propriè dicta sed simplex quædam emanatio entis à Deo.

Respondetur secundo: negando minorem: Probationi dicimus: Quod

ex

ex nihilo, nihil fit ab agente naturali: Ab agente autem supernaturali, qualis est Deus bene potest fieri aliquid ex nihilo.

Secundum argumentum. Antequam fieret, mundus, erat possibilis, alioquin numquam fuisset factus: ergo non fuit factus ex nihilo, sed ex illo esse possibili, quod habebat: ergo non fuit creatus.

Respondetur negando consequentiam. Possibile enim tribus modis vsurpatur, teste Arist. 9. Methap. cap. 1. primo enim, dicitur aliquid possibile à potentia actiua ipsius agentis, qua ratione possibile est ignem calefacere aquam: Secundo, à potentia passiua existente in passo; qua ratione possibile est aquam calefieri: Tertio, dicitur aliquid possibile; quia non repugnat, neque implicat contradictionem, vt sit, & hæc potentia appellatur obiectiua, mundus itaque antequam crearetur a Deo dicebatur possibilis potentia obiectiua, quæ non est aliquid reale distinctum a potentia actiua Dei, vt prouauimus lib. 1. disputantes de potentia materiæ primæ.

Vltimum argumentum. Infinita distantia non potest pertransiri; sed inter ens, & nihil datur infinita distantia: ergo ens non potest ex nihilo fieri, & per consequens neque creari.

Respondetur distinguendo minorem: Dupliciter enim potest intelligi, quod inter ens, & nihil detur infinita distantia: Primo, quia inter ens, & nihil non datur aliqua proportio: Secundo, quia inter ens, & nihil dantur infinita media; primus sensus est verus: Secundus autem falsus; nam inter ens, & nihil non mediat aliquid; ac per consequens, quando aliquid fit ex nihilo non erunt per currenda infinita media, quando autem dicitur, quod infinita distantia non potest pertransiri intelligitur, quando infinita media sunt inter extrema distantia solutio est D. Tho. 1. p. q. 45. art. 1. ad 4.

QVAESTIO II.

Vtrum mundus sit creatus ab æterno?

Sit conclusio: Mundus non fuit ab æterno creatus sed in tempore: Hæc conclusio est de Fide Diuina, & probatur expressis testimonijs scripturæ Sacræ dicitur enim Geneſis. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: Vbi nomine, *principij*, vt communiter docent Sancti Patres, & interpretes, initium temporis est intelligendum, & facit hunc sensum: Initio temporis, vel simul cum tempore creauit Deus Cœlum, & terram: Psalmo etiam 101. dicitur: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli*: Et Prouerbiorum. 8. dicitur in nomine sapientiæ Diuinæ: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequã, quid quam faceret à principio*: Et Ioannis. 17. dixit, Christus: *Clarifica me Pater claritate quam habui antequam fieret mundus*: Ex quibus verbis manifestè colligitur mundum

non

non fuisse ab æterno ; nam non datur aliquid, quod sit prius, quam a ternum ; eadem etiam veritas fuit definita in concilio lateranensi sub innocentio. 3. & reperitur in capite firmiter de summa Trinitate, & Fide Catholica, non possunt autem adduci demonstrationes ad hanc conclusionem probandam, quæ enim sunt de Fide diuina, in demonstrabilia sunt, possunt tamen aliquæ congruentiæ in eius confirmationem proponi, quæ adducuntur a D. Tho. 1. p. q. 46. art. 1. creauit enim Deus. Op. Max. mundum in tempore, & non ab æterno, vt magis ostenderet suam omnipotentiam Deum enim confitemur mundum in tempore incepisse manifestius etiam constat creatum fuisse a Deo, quod enim aliquando non fuit, & postea est ab aliqua causa efficienti debet habere esse, ostendit etiam Deus creando mundum in tempore se libere, & non necessario mundum condidisse, & non indiguisse creaturis, quamquidem sine illis per æternitatem permansit.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Omnis motus præsupponit mobile; nam omne accidens præsupponit subiectum, cui inhæret; sed omne mobile præsupponit motum per quem mobile sit productum : ergo omnis motus, præsupponit motum : ergo non possumus assignare primum motum, neque primum mobile : ergo neque primum tempus ; nam tempus est mensura motus, & mobilis: ergo ab æterno datur motus, mobile, & tempus.

Respondetur negando minorem: Mobile enim, quod est factum per creationem, non supponit motum, neque mutationem, cum creatio, ne motus, nec mutatio sit.

Dices : Mutari est aliter se habere nunc, quam antea; sed quod creatur aliter se habet, quam antea se habebat : ergo mutatur : ergo creatio est mutatio.

Respondetur negando minorem: Nam quod creatur non erat antequam crearetur : Ac per consequens antequam crearetur non se habebat aliter.

Secundum argumentum. Cœlum non est generabile : ergo ingenerabile : ergo numquam fuit genitum: ergo ab æterno habuit esse.

Respondetur concedo totum præter vltimam consequentiam; nam inter hoc, quod est esse ingenitum, & esse ab æterno datur medium, videlicet esse creatum in tempore, Arist. autem, cuius est hoc argumentum, arguebat efficaciter contra antiquos Philosophos, qui negabant mundum esse ab æterno, & ex alia parte dicebant, omne quod factum est, esse factum per generationem.

Tertium argumentum : Vel Deus voluit ab æterno creare mundum, & non potuit, vel potuit, & noluit, vel potuit, & voluit : Si primum fuit impotens : Si secundum fuit inuidus; quia cum posset se communicare creaturis, non fecit : ergo dicendum est,

quod

quod potuit, & voluit; & ex consequenti mundum ab æterno produxit.

Respondetur; quod potuit Deus ab æterno creare mundum, non tamen voluit creare illum, sed in tempore. Nec inde sequitur, quod fuerit inuidus; cum enim Deus nulli ex debito teneatur, non est defectus inuidiæ non se communicare: Imo est effectus suæ diuinæ voluntatis, & æterni consilij, quo voluit creare mundum in tempore, vt eius omnipotentia, liberalitas, & libertas, aliaque attributa manifestoria fierent, si enim inuidus esset Deus numquam neque in tempore mundum creasset.

Quartum argumentum. Ex Arist. 2. Physicor. cap. 3. causa in actu, & effectus in actu simul sunt; sed Deus ab æterno est causa in actu ipsius mūdi: ergo ab æterno datur mundus. Probatur minor; nam Deus est causa perfectissima: ergo est causa in actu; nam causa in potentia non est ita perfecta.

Respondetur concedendo minorem: Cum enim in Deo ab æterno detur actio creandi productiua mundi ab æterno est actu causa. Interpretamur autem maiorem: Arist. enim locutus fuit de causa creata, quæ non agit per intellectum, & voluntatem; sed potius operatur per actionem formaliter transeuntem: at Deus est causa prima increata, agens per intellectum, & voluntatem, & per actionem formaliter immanentem, & solum virtualiter transeuntem.

Dices; Impossibile est: Quod non detur effectus posita causa efficiente, & actione ipsius: ergo si ab æterno Deus est causa efficax, & actualis ipsius mundi, & ab æterno etiam datur in Deo actio creandi, ab æterno datur mundum.

Respondetur: Antecedens esse verum: De causa creata, quæ necessario opperatur: Deus autem est causa efficiens increata, quæ cum deliberatione, & summa libertate operatur, & non est defectus virtutis Diuinæ, sed potius summa perfectio, & excelentia ipsius, vt actio diuina fortiatur suum effectum, quando Deus vult, & quomodo vult.

Vltimum argumentum, Deus est omnino immutabilis: ergo non voluit in tempore, quod noluit ab æterno: ergo ab æterno voluit mundum producere, ipsumque produxit.

Respondetur negando vltimam consequentiam, quantum ad id, quod dicit, Deum ab æterno produxisse mundum; hoc enim est falsum, vt ex conclusione constat: concedendum est tamen, quod Deus ab æterno voluit creare mundum, non creare mundum ab æterno, sed creare mundum in tempore: Ac per consequens, quando actu, & in tempore creauit mundum non mutauit voluntatem.

QVAESTIO III.

Vtrum mundus possit esse ab æterno?

SIt conclusio: Mundus potuit quātum ad aliquam sui partem creari ab æterno. Ita D. Tho. 1. p. q. 46. art. 2.

art. 2. & ibidem Caietanus, Bañes, & alij Theologi, Durandus, Capreolus, Heruæus, Soncinas, Iabellus, Sotus, Ferrariensis, Aquarius, & Massius qui omnes sequitur, & alios quam plures refert. Ratione probatur; non implicat contradictionem aliquam creaturam esse ab æterno: ergo potuit ab æterno creari. Consequentia euidens est. Probatur antecedens; si implicaret, vel ex parte Dei, vel ex parte productionis, vel ex parte creaturæ; sed neutrum est dicendum: ergo non implicat. Probatur minor; in primis, non ex parte Dei, cuius virtus est immensa, & infinita, & eandem potentiam, quam habuit quando mundum in tempore produxit, habuit etiam ab æterno. Deinde neque ex parte productionis; nam vt docet D. Augustl. lib. 6. de æternitate cap. 2. non repugnat cum productione rerum, vt effectus sit statim atque eius causa existit, nam splendor ab igne producitur; & tamen est simul cum igne, & si ab æterno daretur ignis, ab æterno quoque daretur splendor, & lib. 10. de vnitate Dei disputans de mundi æternitate inquit, *quod si ab æterno pes in puluere fuisset, ab æterno quoque impressisset pulueri vestigium*: ergo ex parte productionis non repugnat mundum esse ab æterno: non enim implicat aliquid ab alio esse, & esse æquale ipsi in duratione. Denique neque repugnat ex parte creaturæ: Si enim ex parte ipsius repugnaret ex eo esset, quia creatura habet esse ex nihilo; sed hoc non obstat: ergo nihil obstat. Probatur minor; nam illa dictio, *ex*, non designat successionem, vel prioritatem, seu præcedentiam, neque facit hunc sensum, *productio entis ex nihilo*, idest post nihilum, *sed ex nihilo*, idest non ex aliquo, quod præsupponatur productioni, illa enim particula *ex nihilo* dicit solam negationem materiæ, vt communiter explicant Theologi: ergo ex hoc, quod creatura sit ex nihilo non repugnat, quod fiat ab æterno.

Secundo probatur conclusio: Desumendo efficax argumentum ex exemplis aductis â D. August. potentia Dei est infinite maior, quam potentia alicuius creaturę; sed si ab æterno daretur ignis, ab æterno produceret splendorem, & si daretur pes caularet vestigium: ergo â fortiori potuit Deus mundum ab æterno producere.

Respondent aliqui negando consequentiam: Dicunt enim, quod est dispar ratio; nam ignis, & pes sunt causę naturales necessario operantes, quę non possunt suos effectus suspendere, vel impedire, at vero Deus est causa libera.

Hęc tamen solutio solum probat, quod Deus potuit absolute non creare mundum ab æterno cum sit liber, sicut de facto non creauit: non autem probat, quod non potuerit creare; nam vt ait D. Tho. Op. 27. quod est de mundi æternitate *libertas non tollit potestatem operantis*. Præterea non est minoris virtutis Deus ex hoc quod operatur libere, quam si necessario ageret, & operaretur;

sed si ageret necessario ab æterno produxisset mundum, vt omnes fatentur: ergo absolute potuit ipsum ab æterno producere. Quænam autem creaturæ potuerint produci ab æterno, & quæ non? In sequentibus dicemus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si aliqua creatura fuisset ab æterno, darentur duæ contradictoriæ simul veræ, videlicet, quod incepisset, & non incepisset; sed implicat, quod dentur duæ contradictoriæ veræ: ergo implicat, qnod aliqua creatura sit ab æterno. Probatur sequela maioris; nam esset ab æterno, vt supponimus: ergo non incepisset. Insuper, talis creatura haberet esse a Deo, per veram productionem: ergo incepisset.

Respondetur negando maiorem; probationi dicimus; quod de illa creatura esset verum dicere, quod non incepisset: Falsum autem, quod incepisset, quod enim semper fuit, & ab æterno, numquam incepit esse; nam vt aliquid incipere dicatur, non sufficit, quod habeat esse ab alio, sed requiritur quod habeat esse cum nouitate essendi, idest post non esse, quod non contingeret si res esset ab æterno.

Secnndum argumentum. Nulla creatura potest habere infinitam virtutem, vel essentiam: ergo neque infinitam durationem: ergo nulla res potuit esse ab æterno; si enim esset ab æterno infinitam durationem haberet.

Respondetur negando consequentiam: Est enim dispar ratio, de virtute, & essentia, & de duratione; nam si aliqua res haberet infinitam virtutem, & essentiam, haberet etiam infinitam perfectionem: Ac per consequens esset Deus, solus enim Deus est infinite perfectus; at verò ex hoc quod aliqua res habeat infinitam durationem, non proinde esset infinite perfecta.

Tertium argumentum. Deus omnia producit, & creat libere: ergo nihil potuit creari ab æterno. Probatur consequentia: Si Deus aliquam creaturam creasset ab æterno, non potuisset non creare illam: ergo necessario, & non libere illam creasset. Probatur antecedens; si potuisset non creare illam, vel hoc potuisset ante creationem, vel post creationem, vel dum actu crearet; sed neutrum est dicendum: ergo non potuisset non creare illam. Probatur minor; in primis non potuisset ante creationem; nam ante creationem æternam non potest esse duratio, neque creatio æterna habet prius. Insuper neque post creationem; nam ad præteritum reuocandum, nulla prorsus datur potentia. Denique neque dum crearetur; nam quando res creatur iam est; sed quando res est necessario debet esse, & est impossibile, quod non sit: ergo vera est minor, quo ad omnes partes.

Respondetur negando consequentiam; probationi negatur minor; ad

cuius

cuius probationem dicimus, quod Deus, quando actu crearet rem illam haberet potentiam ad nō creandum; nam poterat pro illo tunc non creare. Quemadmodum dum homo actu currit habet potentiam ad non currendum; quia pro illo tunc poterat non currere. Verum est tamen, quod suppositio, quod Deus creat necessario res est, neque potest non esse; non tamen id sequitur, quod Deus creet necessario; nā quod est necessariū ex suppositione, absolute dicitur libere fieri, alioquin diceremus, quod quando Petrus ambulat non movetur libere, sed necessario; quia supposito, quod ambulet non potest non moueri.

Quartum argumentum. Omnis creatura habet principium suę durationis; sed quod habet principium suę durationis, nulla ratione potest esse ab æterno: ergo nulla creatura potest fieri ab æterno.

Respondetur distinguendo maiorem: Si enim intelligatur de eo, quod est factum in tempore concedo; si verō de re, quę fieret ab æterno nego; res enim quę crearetur ab æterno non haberet principium suę durationis; quia autem modo de facto, quidquid est factum, in tēpore factū est, verum erit, quod quidquid est factum in tēpore habet principium suę durationis.

Quartum argumentum. æternitas est attributum Diuinum Soli Deo proprium: ergo nulli creaturę potuit communicari.

Respondetur distinguendo antecedens; Esse enim æternum per essentiam est attributum proprium Deo: Si autem aliqua creatura fieret ab æterno esset æterna per participationem a Deo.

Dices: Nulla creatura potest esse omni potens, vel infinita per participationem: ergo neque æterna.

Respondetur negando consequentiam: Est enim dispar ratio; nam æternitas solum dicit negationem principij, vel finis durationis alicuius rei, at vero, omnipotentia, & infinitas cōsequuntur plenitudinem, & totalitatem esse, quę nulli creaturę communicari potest.

Sextum argumentum. In æternis idem est esse, & posse, vt ait Arist. supra lib. 3. cap. 4. ergo si mundus potuit esse ab æterno, ab æterno fuit; sed hoc est falsum, vt constat ex quæstione precedenti: ergo, & illud ex quo sequitur.

Respondetur interpretando antecedens: Est enim verum loquendo de attributis essentialibus, & de actionibus ad intra Deo conuenientibus, non autem de actionibus ad extra. Ita docet D. Tho. q. 3. de potentia art. 14. erit igitur in Deo idem posse esse bonum, & actu esse bonum, posse generare Filium æternum, & actu generare illum; non autem in actionibus ad extra, quę respiciunt creaturas, idem est esse, & posse, potest enim Deus plures mundos facere, plures effectus producere, quos non producit actu.

QVAESTIO IV.

Vtrum res permanentes potuerint esse ab æterno?

OBseruandum est: Quod res naturales, permanentes possunt dupliciter considerari: Primo, secundum naturalem ordinem, quem modo seruant, & iuxta earum proprietates naturales: Secundo, possunt considerari, quatenus mutabiles sunt â Deo secundum aliquas proprietates accidentales; v. g. homo secundum suam naturam modo de facto corruptibilis est, posset autem Deus. Op. Max. ipsum omnino incorruptibilem facere.

Prima conclusio: Nulla creatura relicta suæ naturali dispositioni, quam habet potuit creari ab æterno. Probatur conclusio: Si leo; v. g. secundum naturam, & proprietates, quas modo habet fuisset productus ab æterno, vel ab æterno fuisset mortuus, vel vixisset tempore æterno, vel vixisset per aliquam durationem finitam, v. g. per spatium decem annorum: Primum est impossibile; nam fieret consequens, quod ab æterno esset, & non esset. Secundum est contra naturam leonis, qui cum ex natura sua sit corruptibilis non potest viuere æterno tempore. Denique dicere, quod vixisset finitam durationem est contra naturam æterni. Duratio enim rei æternæ est infinita, vel â parte ante, vel â parte post: Idem argumentum potest fieri de qualibet re permanente, quæ corruptibilis est.

Secundo probatur conclusio: Angelus ex sua natura habet varietatem, atque successionem in suis operationibus liberis, quales sunt actiones intellectus, & voluntatis: ergo Angelus consideratus secundum naturam, & actiones, quas modo habet, non potuit creari ab æterno. Probatur antecedēs, vel Angelus creatus ab æterno fuit creatus cum aliqua operatione libera intellectus, vel voluntatis, vel fuit creatus sine aliqua operatione libera; non secundum; nam est contra naturam Angeli esse sine aliqua operatione libera: Si autem fuit creatus cum aliqua operatione libera; sic arguo, talis operatio naturaliter est corruptibilis: ergo desineret esse: vel igitur, quando desineret esse duraret per infinitam durationem, vel per finitam; primum est contra naturam libertatis Angeli, cuius actiones finita duratione mensurantur: Si autem duraret finita duratione: ergo talis operatio haberet principium, & finem: ergo non fuisset ab æterno.

Dices: Quod Angelus non fuisset creatus cum operatione libera, sed solum cum cognitione naturali, & amore sui: Cognitio enim, & amor sui ipsius non sunt actiones liberæ, sed necessariæ in Angelo.

Hæc tamen solutio non obstat: Nam, vel Angelus fuit sine operatione libera per finitam durationem, vel per infinitam: Si per infinitam, hoc est cōtra naturam Angeli: Præterea si

per

per finitam : ergo non fuit ab æterno absque tali operatione : ergo Angelus relictus suæ naturæ non potuit ab æterno creari.

Denique probatur conclusio de corporibus Cœlestibus. Corpora Cœlestia naturaliter mouentur, & eorum motus ordinantur ad rerum generationes, sed ab æterno non potuisset dari generationes rerum : ergo ab æterno nō potuissent corpora Cœlestia habere motum, & influentias eiusdem rationis, cum his, quas modo habent : ergo corpora Cælestia relicta suæ naturæ non potuerunt creari ab æterno.

Secunda conclusio : Quælibet res permanens potuit absolute creari à Deo ab æterno, mutata eius natura, & proprietatibus ; v. g. si crearetur à Deo omnino inuariabilis non solum secundum esse, sed etiam secundum operationes suas. Probatur conclusio ; quod est omnino inuariabile mensuratur æternitate ; sed quælibet res permanens potest effici à Deo omnino inuariabilis per solam mutationem proprietatum, quas modo habet : ergo quælibet res permanens potuit fieri ab æterno : Maior constat ; nam, quod est omnino inuariabile secundum esse, & secundum operationem non potest mensurari tempore, vel æuo, quæ sunt mensuræ rerum mutabilium : ergo debet mensurari æternitate. Hanc eandem conclusionem, probant rationes adductæ in quæstione præcedenti.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Angelus v. g. non potest ab æterno anihilari : ergo neque creari.

Respondetur negando consequentiam : Est enim dispar ratio de creatione, & anihilatione ; nam quod anihilatur prius debet esse ; æterno autē nihil datur prius, neque aliquid potest præcedere, & quod æternum est, vnde nihil potuit ab æterno anihilari, ante creationem autem non est necesse, quod aliquid præsupponatur.

Secundum argumentum. Demus, quod res permanentes ab æterno productæ essent, v. g. duo homines, videlicet vir, & mulier, vel potuissent ab æterno generare, vel non : Si primum infinitæ generationes hominum præcessissent : Secundum autem, dici nequit, volumariè enim dici videtur : ergo daretur infinitum actu, quod vt supra diximus est omnino impossibile.

Respondetur : Quod si vir, & mulier fuissent ab æterno creati, non potuissent ab æterno generare ; nam æterno nihil datur prius, sed ante quamlibet generationem datur generans : ergo nulla generatio potest esse ab æterno. Insuper si generatio hominis esset ab æterno aliquod genitum finitum esset ab æterno : Ac per consequens, non verificaretur, quod mundus quantum ad omnes sui partes haberet esse per creationem ; Imo neque in tempore potuissent gene[illegible] nam

esset

essent omnino inuariabiles, & immutabiles, vnde semper perseuerarent in illa actione in qua creati fuissent.

QVAESTIO V.

Vtrum res successiuæ potuerint esse ab æterno?

SIt conclusio: Tempus, & motus, & quælibet res successiua non potuit fieri ab æterno. Hanc conclusionem tenent quam plures ex Sanctis Patribus, videlicet August. Ambrosius, Athanasius, Bonauentura, Damascenus, Gregorius Naciancenus, Hilarius, & alij quam plures, quos refer Magister Ona q. 1. huius lib. art. Ratione probatur; æternitas est mensura rei omnino inuariabilis, & immutabilis; sed quælibet res successiua est ex natura sua variabilis, & mutabilis: ergo nulla res successiua potuit esse ab æterno.

Probatur secundo conclusio: Omnis motus præsupponit mobile; sed quod est æternum nihil præsupponit: ergo nullus motus potuit esse ab æterno, & per consequens, nec tempus, quod cum motu idemtificatur. Probatur maior; nam motus est accidens inhærens mobili tanquam in subiecto; sed omne accidens præsupponit subiectum: ergo omnis motus præsupponit mobile.

Tertio probatur conclusio: Si tempus fuisset ab æterno, infiniti Dies, & anni præcessissent; sed in quolibet Die potuisset Deus hominem, vel Angelum producere: ergo modo darentur infiniti homines, vel Angeli; sed neque per potentiam Dei potest dari infinitum actu: ergo neque per potentiam Dei potest dari tempus ab æterno.

Sed Obijcies: tempus, & motus, & quodlibet ens successiuum potest esse æternum à parte post, ita vt numquam habeat suæ durationis finem: ergo etiam potuerunt esse æterna à parte ante, ita vt fuerint creata ab æterno.

Respondetur negando consequentiam: Est enim disparatio; nam quod est æternum, vel infinitum à parte post, est actu, & Cathegorematicè finitum, quia numquam illa duratio est omnino facta; si verò daretur duratio temporis, vel motus æterna, & infinita à parte ante, esset simpliciter, & Cathegorematicè infinita, quam dari repugnat, propter rationes dictas in conclusione.

QVAESTIO VI.

Vtrum possit euidenter, & ratione naturali probari mundum creatum esse in tempore?

PRima conclusio: Non potest demonstratiue, & rationibus euidentibus, & efficacibus probari mundum de facto incepisse in tempore. Ita D. Tho. 1. p. q. 47. art. 2. quem secuntur Ferrariensis, Capreolus, Magister Soto, & alij. Ratione probatur; veritate Fidei supernaturalis quæ sunt articuli Fidei nostræ non possunt

sunt euidenter probari, vel demonstrari; nam de ratione fidei est incuidentia, vt communiter docent omnes Theologi 2. 2. in materia de Fide; sed mundum incepisse in tempore est articulus Fidei: ergo non potest demonstrari euidenter.

Secundo probatur conclusio: Ea quę dependent à sola voluntate diuina non possunt à nobis cognosci per rationem naturalem, sed solum per reualationem Dei; sed creatio mundi solummodo dependet â voluntate diuina: ergo non potest ratione naturali demonstrari mundi creationem in tempore factam fuisse, sed solum per reuelationem diuinam, cui nititur Fides Catholica. Probatur minor; mundus potuit creari à Deo ab æterno, vt probauimus q. 3. & 4. ergo in sola voluntate diuina pendet, quod in tempore, & tali tempore creatus sit. Probatur secundo eadem minor; Deus libere produxit mundum: ergo productio mundi ex sola voluntate, & libertate Dei dependet. Antecedens ab omnibus Catholicis conceditur: Deus enim in omnibus actionibus ad extra, quę videlicet respiciunt creaturas summa cum libertate operatur.

Secunda conclusio: Euidenter potest probari mundum potuisse creari in tempore. Probatur; nam ad hoc demonstrandum, satis est probare, voluntatem Dei, quę est causa omnium rerum, in nullam rem extra ipsam Deum ferri necessario, atque ostendere, quod omnia argumenta, quę fieri possunt, quod de facto mundus fuit creatus ab æterno sunt ratione naturali solubilia; sed ratione naturali potest probari Deum operari libere; tum etiam omnia argumenta quibus Arist. probauit mundi æternitatem, sunt euidenter solubilia, vt testatur Cõcilium Lateranense secundum sec. 8. ergo probari potest euidenter, quod mundus potuit creari in tempore.

Tertia conclusio: Rationes Arist. & aliorum Philosophorum probantes mundi æternitatem non sunt demonstrationes, neque rationes probabiles. Probatur conclusio: Articulus Fidei est mundum fuisse factum in tempore, vt diximus q. 2. sed contra articulos, & veritates Fidei nullę possunt fieri demonstrationes: ergo rationes Philosophorum probantes mũdi æternitatem non sunt demonstrationes. Probatur minor; veritates Fidei ita sunt verę, vt nulla ratione possint esse falsę; demonstratio etiam semper includit verum, & necessario; sed verum non aduersatur verò: ergo contra veritatem fidei nullę possunt fieri demonstrationes.

Secunda pars conclusionis probatur, videlicet, quod tales rationes non sunt probabiles. Nam rationes probabiles cõclusionẽ probabilem inferũt; sed mundum fuisse actu ab æterno nõ est conclusio probabilis: ergo rationes, quę probant mundum esse ab æterno, non sunt probabiles. Probatur minor; probabile, vt diximus lib. vltimo compendii dicitur, quod videtur pluribus, & sapientioribus; sed omnes Catholici apud quos vera resi-

det

det sapientia mundi æternitatem negant, & Fide diuina credunt mundum in tempore conditum fuisse: ergo mundum fuisse ab æterno non est conclusio probabilis.

Dices: Existimauit ne Arist. rationes â se adductas ad probandam mundi æternitatem esse demonstrationes?

Respondetur cum D. Tho. negatiuè; quamuis enim Arist. perpetua sententia fuerit mundum numquam habuisse suę durationis exordium, sed ab æterno conditum fuisse; non tamen existimauit, se hanc conclusionem demonstrasse: Imo 1. topic. cap. 9. cum dixisset dari quędam problemmata, quorum non habemus rationes firmas, & certas, sed probabiles tantum, statim ponit exemplum de ista quęstione: Sit ne mundus æternus, nec ne? Verum est tamen, quod, vt aduertit D. Tho. 1. p. q. 44. art. 1. rationes Arist. sunt secundum quid demonstrationes; nam suppositis falsis principijs Antiquorum Philosophorum necessario, & demonstratiue concludebat mundum esse ab æterno: quemadmodum contra eos, qui concederent lapidem esse hominem, demonstratiue possemus probare lapidem esse risibilem.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Antiqui Philosophi, qui ab Arist. in hoc libro impugnatur multis rationibus probabant mundum non fuisse ab æterno: ergo rationi naturali potest probari mundum in tempore incepisse.

Respondetur distinguendo antecedens: Rationes enim Antiquorum Philosophorum, erant infirmę, & nullius roboris, & plures ex illis falsis principijs innitebantur; nos autem in conclusione prima de rationibus firmis, efficacibus, & demonstratiuis loquimur.

Dices: D. Tho. loco citato 1. partis, & 2. lib. contra gentes multis rationibus naturalibus probat mundum in tempore incepisse; sed non est dicendum prędictas rationes esse infirmas, vel falsis principijs innixas: ergo firmis rationibus potest probari mundum incepisse in tempore.

Respondetur negando maiorem: Rationes enim D. Tho. non probant directe mundum fuisse creatum in tempore; sed non esse impossibile, nec incredibile, quod mundus in tempore creatus sit. Iam vero, quamuis veritates fidei supernaturales, non possint euidenter demonstrari, potest nihilominus demonstrari euidenter, non esse incredibiles, neque implicare contradictionem, quod sint.

Secundum argumentum. Euidens est non posse dari infinitum actu, sed si tempus v. g. fuisset ab æterno daretur infinitum actu; nam transacti essent infiniti Dies: ergo euidens est, quod saltim tempus non fuit ab æterno, sed in tempore productum.

Respondetur; quod quamuis concederemus totum: Nil il concederemus contra nostras conclusiones, solum

lum enim probat argumentum, quod euidenter potest probari aliquam creaturam non fuisse ab æterno, non autem, quod mundus quo ad omnes sui partes de facto in tempore creatus sit. His adde, quod non est euidens neque certũ, apud, ad omnes, nõ posse dari infinitum actu, sunt enim, qui existimant posse dari tale infinitum. Aliæ quæstiones expectantes ad naturam mundi, & eius productionem, & durationem, in disp. 1. librorum de Cœlo proponentur.

CAPVT TERTIVM.

ALIQVA INTERDVM MOVEri, & interdum quiescere.

In prima parte huius capitis probat Arist. non omnes res naturales semper quiescere, neque omnes semper moueri. In secunda verò probat non omnia, quæ mouentur semper moueri, Neque etiam, ea quæ quiescunt semper quiescere, sed interdum moueri, & interdum quiescere.

CAPVT QVARTVM.

DE MOTV GRAVIVM, ET leuium.

Proponit Arist. in hoc capite quæstionem inuestigans â quo moueantur grauia, & leuia, exponit verò in prima parte capitis, quod iam dixerat libro præcedenti, videlicet, omne quod mouetur ab alio moueri, & in secunda satisfacit quæstioni, quatuor rationibus probans, grauia, & leuia moueri â generante.

QVESTIO PRIMA.

VTRVM GRAVIA, ET LEVIA à suo generante moueantur?

OBseruandum est primo: Quod grauia, & leuia sunt in duplici differentia: Alia viuentia, vt homo, leo, auis, &c. Alia non viuentia, vt lapis, ferrum, &c. certum est, quod omnia ista tam viuentia, quam non viuentia mouentur à superioribus causis, & vniuersalibus, vt à Deo, & à corporibus Cœlestibus, &c.

Obseruandum est secundo: Quod vt supra diximus, in quauis actione, & motu datur duplex principiũ, videlicet principium quod, & principium quo, & rursus principium quo diuiditur in principium proximum, & remotum; quæ omnia explicata sunt supra.

Prima conclusio: Viuentia in suis motibus mouentur à se ipsis, daturque in ipsis principium quod, & quo suarum actionum, & motuum. Communis est conclusio. Ratione probatur; in hoc distinguuntur viuentia, à non viuentibus, quod viuentia non mouentur ab extrinseco, sed ab intrinseco; non viuentia autem ab extrinseco mouente, videlicet à generante: ergo vera est conclusio.

Secundo probatur; quæ habent in se partem per se mouentem, & partem per se motam à se ipsis mouentur; sed viuentia habent in se partem mouentem, & partem per se motam: ergo viuentia mouẽtur à se ipsis. Probatur minor; nam vt diximus supra lib. 2. in omnibus rebus viuentibus forma est principium actiuum, materia autem est principium passiuum: ergo forma est pars per se mouens, & materia est pars per se mota, & non solum in partibus essentialibus rei viuentis, sed etiam in partibus integrantibus datur per se mouens, vt quod, & datur pars per se mota: Illa enim pars dicitur per se mouens, vt quod, in qua subiectatur virtus motiua rei viuentis, quæ quidem pars, vt docent Arist. D. Tho. & communiter omnes Philosophi, est cor, quamuis Medici, cum sapientissimo illorum Magistro Galeno existiment hanc partem esse cerebrum.

Secunda conclusio: Grauia, & leuia non viuentia, quando mouentur ad sua loca naturalia mouentur a generante: Hanc conclusionem habet expresse Arist. cap. 4. huius lib. & ibidem D. Tho. & 1. p. q. 18. art. 1. Arist. & D. Tho. sequuntur communiter omnes Philosophi. Ratione probatur; mouere se est proprium munus vitæ, & illa dicuntur se mouere,

quæ

quæ quidem animata sunt: ergo grauia, & leuia non viuentia non se mouent, sed mouentur â generante.

Secundo probatur conclusio: Quæ mouentur â se ipsis, mouent se in contraria, & diuersa loca, vt constat in motu animalium; sed grauia, & leuia inanimata tantum mouentur ad vnum determinatum locum, videlicet grauia deorsum, & leuia sursum: ergo non mouentur â se ipsis.

Tertio probatur conclusio: Quod â se mouetur habet partem per se mouentem, & partem per se motam, quæ quidem partes sunt distinctæ rationis, cum aliud sit mouere, & aliud moueri; sed grauia, & leuia inanimata, non habent partem per se mouentem, & partem per se motam: ergo non mouentur â se ipsis. Probatur minor; grauia, & leuia sunt tota similaria, quorum omnes partes sunt eiusdem rationis, & non possunt habere partem per se mouentem, & partem per se motam, non enim in aqua; v. g. est maior ratio, quare vna pars sit mouens, & altera mota: istæ rationes adducuntur ab Aristotele capite 4.

Quarto probatur conclusio: Qui dat formam, dat etiam omnia accidentia, & omnes perfectiones, quæ debentur rei productæ in instanti suæ generationis, & productionis, & quæ pertinent ad naturalem dispositionem rei genitæ; sed quiescere in suo loco naturali est perfectio naturalis grauium, & leuium, debita illis in instanti generationis: ergo generans, qui dat formam grauibus, & leuibus, dat etiam ipsis quietem in suo loco naturali; sed hæc quies non potest assequi â grauibus, & leuibus existentibus extra suum locum, nisi mouean tur ad talem locum: ergo generans, seu his, qui produxit grauia, & leuia causat motum, quo grauia, & leuia mouentur ad suum locum; & perfectionem naturalem.

Tertia conclusio: Grauitas, & leuitas, quæ reperiuntur in grauibus, & leuibus sunt qualitates, & principia actiua instrumentaria motuum naturalium. Probatur conclusio: Actu mouens, & actu motum debent se contingere, vel contactu suppositi, vel contactu virtuali; sed multoties contingit, quod quando grauia, & leuia actu mouentur ad sua loca naturalia generans non existit secundum suam substantiam, & secundum contactum suppositi: ergo saltim debet existere aliqua virtus instrumentaria ipsius generantis, quæ quidem sit principium actiuum instrumentale talium motuum, & ista virtus in grauibus est grauitas, & in leuibus est leuitas. Doctrina huius conclusionis est Aristotelis 4. lib. de Cœlo cap. 3. & D. Tho. ibidem.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Res viuentes sunt graues, vel leues; sed nulla res viuens mouetur â generante, sed â se ipsa: ergo grauia, & leuia non mouentur à generante.

Respondetur; quod solum probat istud argumentum, non omnia gra-

tia, & leuia moueri à generante, quod etiam nos libenter fatemur in concluſione prima; res enim viuentes a ſe ipſis, & non a generante mouentur.

Secundum argumentum. Qui dat formam, dat conſequentia ad formam, vt diximus in ratione vltima ſecundæ concluſionis; ſed motus rerum viuentium conſequitur formam illorum: ergo qui cauſat formam rei viuentis etiam cauſat motus illorum; ſed generans tribuit formam viuentibus: ergo, & motum: ergo viuentia a generante mouentur.

Reſpondetur explicando maiorem propoſitionem in qua conſiſtit tota difficultas huius argumenti: Sensus enim legitimus illius axiomatis: qui dat formam, dat conſequentia ad formam, talis eſt, id quod producit aliquam formam, & aliquid generat, producit etiam omnes cauſas, & omnem naturalem diſpoſitionem, & omnes perfectiones, quæ debentur rei genitæ ſemper, & omni tempore, vel ſaltim quæ debentur in eo inſtanti in quo generatur; v. g. leo generans leonem, non ſolum producit formam, ſed etiam producit omnes proprietates â tali forma dimanantes, & omnes diſpoſitiones, quæ ad conſeruationem talis formæ neceſſariæ ſunt: Cum igitur ad naturalem perfectionem rerum grauium, & leuium in animatorum ſemper, & in omni tempore pertineat eſſe in loco naturali, inde fit, quod motus, quo grauia, & leuia inanimata mouentur ad ſua loca naturalia ipſi generanti attribuendus ſit; motus autem rerum viuentium non attribuitur generanti; quia quamuis conſequatur formam a generante productam, attamen ille motus non ordinatur ad adquirendam aliquam perfectionem debitam viuenti in inſtanti generationis: Manifeſtum enim eſt, quod quantitas, quam adquirit res viuens per augmentationem non ei debebatur in eo inſtanti in quo eſt genita: Doctrina huius ſolutionis eſt maximè obſeruanda.

Tertium argumentum. Quæ habent in ſe principium actiuum motus, a ſe ipſis mouentur, & non ab alio; ſed grauia, & leuia habent in ſe principium actiuum motus, videlicet grauitatem, & leuitatem, quæ ſunt qualiiates actiuæ: ergo grauia, & leuia non mouentur a generante, ſed a ſe ipſis.

Reſpondetur diſtinguendo minorem: Si enim intelligatur de principio actiuo inſtrumentario vera eſt, non autem ſi intelligatur de principio actiuo principali. Iam verò vt aliquid a ſe ipſo moueri dicatur requiritur, quod habeat in ſe principium actiuum principale motus.

Quartum argumentum. Aqua calefacta ſeparata ab igne calefaciente ſe ipſam reducit naturaliter ad frigiditatem ſibi connaturalem; ſed aqua ex ſua natura eſt grauis: ergo aliqua res grauis a ſe ipſa, & non a generante mouetur.

Reſpondetur negando maiorem: Aqua enim calefacta remoto igne calefaciente reducitur ad frigiditatem ſibi connaturalem ab ipſo generanto

tan-

tanquam à cauſa principali; nam per talem motum redditur aqua ad perfectionem ſuam naturalem, quæ in inſtanti generationis ei debebatur, concurrit autem forma ſubſtantialis ipſius aquæ tanquam principium actiuum inſtrumentarium. Doctrina huius ſolutionis eſt Capreoli, Ferrarienſis, Magiſtri, Soto, & aliorum.

Vltimum argumentum. Motus in actu poſtulat mouentem in actu; nam mouens eſt cauſa motus; ſed poteſt contingere, quod quando grauia, & leuia mouentur ad ſua loca naturalia generans non ſit: ergo grauia, & leuia à ſe ipſis, & non a generante mouentur.

Reſpondetur diſtinguendo minorem: Nam quamuis multoties contingat, quod grauia, & leuia moueantur, non exiſtente generante formaliter, & ſecundum ſuam ſubſtantiam: Semper tamen exiſtit ſaltim virtualiter; nam remanet, quædam virtus ipſius generantis in grauibus, & leuibus, qua virtute mediante, mouentur ſurſum, & deorſum, Iam vero agens, & patiſum, ſeu mouens, & motum non eſt neceſſe, quod ſemper ſe contingant ſecundum ſubſtantiam, & ſuppoſitum; ſed ſufficit, quod ſint ſimul per contactum virtualem; vt diximus lib. 7. q. 2.

QVAESTIO II.

In qua aliquæ difficultates explicantur?

PRima difficultas eſt: A quo moueantur proiecta? v. g. quando lapis proijcitur ab homine, quænam ſit cauſa efficiens illius motus localis.

Reſpondetur: Quod proiecta mouentur ab impetu, & virtute, quam impreſsit ipſe proijciens: Vnde proijciens erit cauſa præcipua motus proiectorum. Ita D. Tho. ſecundo de Cœlo lect. 8. & q. 3. de potentia art. 2. Soto, & alij in hoc libro. Ratione probatur; quanto maior eſt virtus, & impulſus proijcientis, tanto eſt velocior motus proiecti: ergo ſignum eſt; quod virtus, & impulſus proijcientis cauſat præcipue talem motum. Mouentur etiam proiecta à commotione aeris, cum enim lapis, proijcitur partes aeris à tergo lapidis concurrentes iubant ad talem motum, qua ratione, venit interpretandus Ariſt. quando capite vltimo huius libri dixit proiecta moueri ab aere circumſtante, proijciens enim, & lapis proiectus mouent aerem, & aer concitatus mouet proiectum, non autem eſt dicendum aerem eſſe cauſam principalem talis motus cum experientia comprobetur res leuiſsimas, & tenuiſsimas, cum maiori difficultate, & cum minori velocitate moueri à proijciente, quam res, quæ ſunt moderatæ grauitatis, & ponderis: Si ve-

vero solus aer moueret proiectu facilius, & velocius moueretur res leuis, quam grauis.

Secunda difficultas est. A quo moueantur ea, quæ resiliunt? v. g. quando pila, quæ cum velocitate, & impulsu fuit proiecta in terra, postea ascendit, quæritur à quo causetur motus ille, qui quidem motus resilitionis vocatur?

Respondetur; quod omnia, quæ resiliunt mouentur à corpore in quo resiliunt, media virtute proijcientis, quam impressit mobili; v. g. pila quando reflectit, & resilit mouetur à lapide media virtute ipsius ludentis. Hinc quanto maior est virtus ipsius ludentis, & maior impulsus, quo proijcitur pila deorsum eo maior, & velocior est motus pilæ resilientis: Quod verò etiam corpus in quo resilit causet talem motum, constat manifeste; nam si tale corpus fuerit molle, v. g. aqua vel lana non resiliet pila, quamuis velocissimè proijciatur à ludente: ex virtute igitur ipsius proijcientis, & ex corpore percusso efficitur vna causa totalis ipsius motus.

Tertia difficultas est. An in puncto reflexionis detur quies? v. g. quando lapis mouetur sursum à proijciente, An in fine illius motus antequam descendat, quiescat lapis.

Respondetur affirmatiuè. Ita enim docet Arist. & communiter eius interpretes, & probari potest euidenter ex his quæ diximus supra: Nã ibi reperiuntur duo motus specie distincti, videlicet ascensus, & descensus, motus sursum, & deorsum, quorum primus est violentus, secundus autem naturalis; sed quæ sunt distinctę speciei non possunt continuari, vt probauimus supra: ergo illi duo motus in puncto reflexionis discontinuantur; atqui discontinuari non possunt nisi per quietem: ergo in puncto reflexionis concedenda est quies inter illos duos motus: Quieuerit igitur proiectum in puncto reflexionis in instanti, quod quidem instans est primum non esse ascensus, & vltimum non esse descensus rei proiectę.

Quarta, & vltima difficultas est. An motus grauium, & leuium sit velocior in fine, quam in principio?

Respondetur: Quod motus violentus, est velocior in medio, quam in fine: Et ratio est manifesta, nam motus violentus causatur a virtute, & impulsu proijcientis; sed talis virtus cum sit finita, & limitata, paulatim deficit, destruitur: ergo quo magis recedit mobile a proijciente minori velocitate mouetur. Hoc etiam constat experientia; videmus enim quod lapis proiectus maiorem ictum facit in medio sui motus, quam in fine: Si autem grauia, & leuia moueantur motu naturali, talis motus velocior est in fine, quam in medio, & in principio: Constat experientia; videmus enim, quod lapis cadens ab alto maiorem ictum facit in fine, quam faceret in principio, & medio: Causa autem huius maioris velocitatis est maior impetus, hic autem maior impetus causatur ex hoc, quod plures partes aeris sunt commotæ, & concitatæ in fine, quam in prin-

principio ; & huiosmodi partes aeris impellunt mobile cum maiori velocitate.

CAPVT QVINTVM.

DARI VNVM PRIMVM MOtorem.

PRobat Arist. in hoc capite in motibus necessario deueniendum esse ad vnum primum mouens, quod non est mobile, vel saltim non mouetur ab alio, sed a se. Sic autem hanc veritatem demonstrat : Si non datur vnum primum mouens, quod ab alio non mouetur ; sed potius quidquid mouetur, mouetur ab alio, & hoc ab alio, & sic de ceteris dabitur progressus in infinitum; sed hoc non est concedendum : ergo tandem deueniendum est ad vnum primum motorem, qui ab alio non mouetur.

CAPVT SEXTVM.

PRIMVM MOTOREM ESSE sempiternum, & immobilem.

PRimi motoris disputationem prosequens Arist. probat in hoc cap. eum esse sempiternum, vnum, & immobilem. Primum probat, ex æternitate motus, quam statuerat cap. 1. si enim motus est æternus, æternus etiam erit motor. Secundum vero ostendit ; nam natura semper facit, quod melius est: ergo cum vnum primum principium, & vnus primus motor sufficiens sit ad præstanda ea omnia, quæ plures motores possent efficere, melius est, quod vnicus tantum detur primus motor. Tertium denique, videlicet primi motoris immobilitatem probat; nam causa, quæ dum mouet aliquo modo mouetur non potest defficere motum æternum : His autem motor, motum æternum constat.

CAP.

CAPVT SEPTIMVM.

MOTVM LOCALEM ESSE OMnium primum.

SIt conclusio: Motus localis est prior omnibus alijs motibus. Probatur; alteratio est prior augmentatione; nam ante quam aliquis augeatur necesse est, quod alimentum, quo augetur alteretur; sed motus localis est prior alteratione: ergo etiam est prior augmentatione: ergo est prior omnibus motibus. Probatur minor; nam alteratio, non potest fieri nisi alterans, & alteratum, quæ antea inter se distabant, se tangant. vt autem se tangant, quæ distabant, necessarius est motus localis: ergo motus localis est prior alteratione. Rursus motus localis potest esse sine alijs motibus, & non ê contra: ergo est prior natura. Præterea motus localis est æternus, non autem alij motus: ergo motus localis est prior tempore, quam alij motus.

CAPVT OCTAVVM.

MOTVM CIRCVLAREM ESSE æternum.

PRobat in hoc capite Aristoteles motum circularem esse æternum simpliciter, & absolutê à parte ante, & a parte post: Ita vt non habuerit suæ durationis principium, neque sit habiturus finem: At verò motum rectum non posse esse infinitum, & æternum; quia requiriret magnitudinem, & spatium infinitum in quo fieret; sed non datur, nec dari potest magnitudo infinita, vt constat ex dictis libro 3. ergo neque motus rectus infinitus. Et quia aliquis posset dicere motum rectum reflexum posse esse æternum, & infinitum: Hoc etiam negat Aristoteles nam motus æternus, & infinitus debet esse continuus; motus autem rectus reflexus non est continuus: nam in puncto reflexionis interrumpitur.

CAP.

CAPVT NONVM.

MOTVM CIRCVLAREM ESSE continuum, & præstantiorem.

MOtus in orbem, seu circularis est, qui ex eodem ad idem fit; Rectus autem per lineam intermediam ab vno extremo ad alterum extremum procedit: Motus igitur rectus æternus esse non potest, vt constat ex capite præcedenti, bene tamen motus circularis, qui non fit inter extrema contraria, sed vnum, & idem punctum est principium, & finis talis motus. In alia parte capitis, post quam diuisit motum localem in circularem, rectum, & mixtum, qui habet aliquid de vtroque, probat motum localem circularem esse omnibus aliis motibus localibus priorem, & præstantiorem; nam est infinitus, & æternus. Alij autem motus sunt finiti, infinitum autem, & prius, & præstantius est, quam finitum.

CAPVT VLTIMVM.

PRIMVM MOTOREM ESSE in corporeum, & infinitæ virtutis.

IN hoc capite 10. & vltimo, probat Philosophus. Primum Motorem esse in corporeum, & omnis magnitudinis expertem, Nam si haberet magnitudinem, vel esset finita, vel infinita; nō primum, nam Primus Motor est infinitæ virtutis, & mouetur tempore infinito: ergo si haberet magnitudinem, talis magnitudo esset infinita. Deinde nec secundum; nam vt constat ex 3. Physicor. non datur magnitudo, vel qnantitas, quæ sit actu, & Cathegorematicè infinita: ergo primus motor nullam habet quantitatem; sed est omnino incorporeus. Concludit hoc capite Aristoteles dicens proiecta non moueri à se ipsis, sed à virtute, quam ipsis impressit proijciens. Hæc sunt quæ præcipuè habet Arist. in contextu.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum detur Primus Motor, qui sit vnus, æternus, immobilis incorporeus, & infinitæ virtutis?

OBseruandum est: Quod difficultates, quæ insinuantur in titulo quæstionis spectant directe ad Methaphysicum, & Theologum, qui per se, & ex professo, & directe disputant de Deo tanquam de proprio obiecto, & eius attributa considerant. Quando verò Aristoteles dum de primo motore disputat in hoc libro, hæc omnia attributa illi tribuit, non erit extra rem hanc quæstionem sub breuibus explicare.

Prima conclusio: Necessario concedendus, & admittendus est vnus primus motor, qui sit causa prima omnium motuum, & ad quem omnes motus reuocentur, & hic primus motor est Deus. Op. Max. Hãc veritatem agnouit Arist. in hoc libro cap. 3. 56. & 7. & vlt. & potest probari, ex his quæ diximus supra lib. 2. dum de concursu causæ primæ, cum secundis agebamus. Deus enim dedit virtutem causis secundis ad agendum, talem virtutem conseruat, eas applicat ad operandum, & vna cum ipsis producit effectum, quẽ attingit immediate immediatione virtutis, & suppositi: ergo omnis motus causarum secundarum primo motori attribuendus est. Antecedens probatum est supra: Consequentia constat; nam si motus grauium, & leuium, attribuitur generanti propter virtutem, quam receperunt ab ipso, à fortiori omnis motus causæ secundæ primo motori attribuendus erit.

Secunda conclusio: Primus motor est vnus. Probatur, ex illo Deuteronomij. 6. *audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est*: Et Isaiæ. 44. *ego Deus, & non est alius*; & 1. Corinthiorum 8. *nullus est Deus, nisi vnus*. Ratione probatur; Deus ita est perfectus, vt comprehendat in se omnem perfectionem; sed si essent plures Dij, cum oporteret illos differre inter se, aliqua perfectio conueniret vni, quæ non conueniret alteri: ergo vnus tantum est Deus, & vnus primus motor.

Tertia conclusio: Primus motor est æternus. Probatur ex illo Psalmi. 101. *tu autem idem ipse es, & anni tui non defficient*: Et in Symbolo Diui Athanasij. *æternus Pater. æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus*, Hanc conclusionem probat D. Tho. 1. p. q. 10. art. 2. nam æternitas sequitur immutabilitatem omnimodam ad modum proprietatis, & sicut effectus causam; est enim omnimoda immutabilitas causa æternitatis virtualis, modo explicato in procœmialibus Logicæ; sed Deus est omnino immutabilis: ergo etiam æternus.

Quarta conclusio: Primus motor est omnino immobilis, per se videlicet, & per accidens, ita vt nullo modo possit moueri, vel mutari. Probat ex illo Malachiæ 3. *ego Deus, & non mutor*: Et Iacobi. 1. *apud quem non*

non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio. Hanc conclusionem probat D. Tho. 1. p. q. 9. art. 1. nam quod mouetur aliquo modo est in potentia, vt constat ex diffinitione motus; sed Deus est purus actus omnem potentiam excludens: ergo nullomodo est mobilis.

Secundo probatur conclusio: Quod mouetur, aliquid denouo adquirit; sed Deus cum sit infinitus, & comprehendat omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid de nobo adquirere: ergo neque moueri.

Quinta conclusio: Primus motor est omnino incorporeus. Probatur ex illo Ioannis. 4. *Spiritus est Deus*: â Diuo Thoma probatur 1. p. q. 3. art. 5. nam omne corpus cum sit continuum est in potentia, vt diuidatur; sed Deus cum sit purissimus actus nihil potentialitatis habet: ergo non est corporeus.

Secundo probatur: Nullum corpus potest esse vbique secundum se totum, ita vt sit totum in toto, & totum in qualibet parte; sed primus motor est totus in toto mundo, & totus in qualibet parte mundi: ergo non est corporeus: Minorem probauimus lib. 4. in disp. de loco: Vbi ostensum est Deum esse repletiuè in omnibus locis realibus, & immaginarijs.

Sexta, & vltima conclusio: Primus motor est infinitæ virtutis. Probatur ex illo Psalmi 144. *magnitudinis eius non est finis*; sed ista verba non possunt intelligi de magnitudine molis: ergo de magnitudine virtutis, & perfectionis.

Secundo probatur conclusio: Deus est id quo maius excogitari non potest; sed data quacunque virtute finita, potest alia maior excogitari: ergo virtus Dei infinita est. Potest etiã probari hæc conclusio: Ex his quæ diximus q. 1. de infinito, virtus enim Dei, est eius essentia; sed Dei essentia est infinita: ergo, & virtus. Omnes istæ conclusiones, sunt de fide, & habentur expresse *in Scriptura Sacra*, vt constat ex locis adductis, puniturque, vt hereticus qui illas negaret. Exactior autem illarum cognitio spectat ad Theologos locis citatis primæ partis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ad motus omnium rerum sufficit natura, & ratio: ergo non est necesse admittere primum motorem, vbi enim pauciora sufficiunt frustra adhibentur plura. Probatur antecedens; omnis actio, & motus, vel est naturalis, vel liber; Si primum, sufficit natura; Si secundum, ratio sufficit: ergo ad motus omnium rerum sufficit natura, & ratio.

Respondetur negando antecedens. Probationi dicimus, quod cum natura semper agat propter finem, & non possit dirigi in finem à se ipsa debet dirigi â primo motore: Ac per consequens ad opera naturalia non sufficit natura ipsa, ratio etiam, & intellectus creatus cum sit mutabilis.

potest à suo fine deficere: Ac per consequens debet etiam dirigi, & gubernari ab aliquo superiori principio, videlicet à primo Motore: Solutio est D. Tho. 1. p. q. 2. art. 3. ad. 2.

Secundam argumentum. Vnitas, vel est quauritatiua, quæ est pars numeri discreti, vel est transcendentalis, quæ conuertitur cum ente; sed Primus Motor nō est vnus aliquo ex his modis: ergo primus Motor nullo modo est vnus. Probatur minor; Primus Motor, qui est Deus, non est quantus: ergo non est vnus vnitate quantitatiua. Insuper vnitas, quæ conuertitur cum ente dicit priuationem, priuatio verò imperfectionem; sed à Deo est remouenda omnis imperfectio: ergo etiam vnitas transcendentalis est a Deo remouenda.

Respondetur negando minorem, probationi dicimus: Quod Deus est vnus vnitate transcendentali, & quāuis in Deo non sit aliqua priuatio, tamen secundum modum apprehensionis nostræ non cognoscitur a nobis nisi per modum priuationis, & remotionis, & sic nihil prohibet, quod aliqua priuatio prædicetur de Deo, videlicet, quod sit vnus, incorporeus, &c. Solutio est D. Tho. 1. p. q. 11. art. 3. ad 2.

Tertium argumentum. æternitas est mensura durationis alicuius rei; sed Deus cum sit immensus non potest aliqua mensura mensurari: ergo Deus non est æternus.

Respondetur cum D. Tho. 1. p. q. 10. art. 2. ad 3. quod æternitas Dei, non est aliud, quam ipsemet Deus, vnde non dicitur Deus æternus, quasi sit aliquo modo mensuratus, sed accipitur ibi ratio mensuræ secundum apprehensionem nostram tantum.

Quartum argumentum. Deus modo est in mundo in quo non erat ante creationem mundi: ergo Deus est mutabilis: Ac per consequens non est immobilis.

Respondetur negando consequentiam: Per solam enim mutationem mundi, qui cum antea non esset, & postea fuit, dicitur quod Deus nunc est in mundo in quo antea non erat absque vlla mutatione ex parte Dei, qui semper eodem modo se habet, & nihil de nouo ei aduenire potest.

Quintum argumentum. Primo Motori attribuitur trina dimensio. Dicitur enim in libro Iob. cap. 11. *quod Deus est excelsior Cælo, & profundior inferno, longior terra, & latior Mari*; sed quod habet trinam dimensionem est corporeus: ergo Primus Motor est corporeus.

Respondetur interpretando maiorem, cum enim Scriptura Sacra tradat spiritualia sub similitudine corporalium, explicat nobis quantitatem virtualem Dei per dimensiones quantitatis corporeæ; nam vt ait Diuus Gregorius lib. 10. moralium cap. 11. exercet Deus latitudinem amando, longitudinem tolerando, celsitudinem vota nostra, & intelligentiam superando, profunditatem intima iudicando.

Vltimum argumētum. Ex Aristoteles

tele 1. Physicorum finitum, & infinitum conueniunt quantitati; sed Deus primus motor non est quantus: ergo neque infinitus.

Respondetur distinguendo maiorem, finitum enim, & infinitum secundum magnitudinem mollis conuenit substantiæ ratione quantitatis, & hac ratione est intelligendus Aristoteles: finitum autem, & infinitum secundum magnitudinem virtutis, & perfectionis non conueniunt substantiæ ratione quantitatis. Iam verò infinitas virtutis est, quæ attribuitur Deo; cui infinitas, & ingentes gratias referamus, qui inter alia in numera beneficia hoc vnum addere voluit, vt huic libro 8. Physicorum felicem imponeremus exitum.

SECVN-

SECVNDA PARS PHILOSOPHIÆ

CONTINENS QVAESTIONES SVPER QVATVOR LIBROS de Cœlo, & mundo

QVATVOR DISPVTATIONIBVS comprehenditur.

PROEMIVM.

QVatuor libri de Cœlo, octo Physicorum libros sequuntur: Optima enim Methodus postulabat, vt post consideratio nem de ente mobili in communi, quod traditur in octo Physicis, statim ad minus vniuersalia fieret descensus, & hinc est, quod in his libris disputat præcipuè Arist. de ente mobili motu circulari. Obiectum horum librorum teste D. Tho. Alexander, & alijs, est vniuersum, seu mundus, disserit enim Philosophus de præcipuis partibus vniuersi. Nec obstat quod libri inscribantur de Cœlo, desummitur enim denominatio a nobiliori parte. Quatuor ergo libros Aristotelis, quatuor disputationibus complectemur. In prima, de mundo in communi agemus. In secunda, de Cœlo disputabimus. In ter-

tertia, de Astris. In quarta denique, de natura elementorum sermo erit.

DISPVTATIO I.
DE MVNDO.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM MVNDVS SIT PERfectus?

OBseruandum est primo: Quod nomen, *mundus*, quinque modis vsurpari potest: Primo, dicitur mundus Archetyphus, seu intelligibilis, qui à D. August. 1. retractationum cap. 3. dicitur: *Ratio sempiterna, & incommutabilis, qua Deus fecit mundum*: Secundo vocatur mundus Angelicus, qui extriplici Ierarchia conflat, & in vna quaque Ierarchia tres Angelorum ordines reperiuntur; Tertiò, appellatur mundus elementalis, qui ex quatuor elementis, & ex corporibus Cœlestibus, quæ etiam ab Arist. in libris de Cœlo elementa nuncupantur, resultat: Quarto, quem Græci, *microcosmos*, latini verò, *hominem*, dicunt, cum habeat esse cum lapidibus, viuere, cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis, & quod maximum est, fuit ad Dei imaginem creatus, merito mundus paruus; seu abrebiatus dicitur; Quinto, qui proprie dicitur vniuersum, & mundus magnus, est tota rerum omnium collectio. In præsenti quæst. & sequentibus de mundo in quarta solum acceptione fiet sermo.

Secundo obseruandum est: Quod mundus in hac quinta acceptione ad huc dupliciter summi potest: Primo, pro vniuersis rebus, includendo etiam Deum. Op. Max. qua ratione loquitur de mundo, Arist. 12. Methaph. cap. vlt. Secundo, pro omnibus rebus creatis; secundum quam significationem, Deum esse mundi Authorem profitemur. Non est dubium de perfectione mundi in prima acceptione;

cet-

certum enim est, & de Fide tenendum, mundum secundum hanc significationem esse infinite perfectum, cum Deum includat.

Tertio obseruandum est: Perfectũ aliquid esse dupliciter: Primo simpliciter, & in omni genere, & hæc perfectio est Soli Deo propria: Secundo dicitur aliquid perfectum secũdum quid, & in aliquo genere, quia habet perfectionem suæ naturæ debitam, in præsenti loquimur de perfectione hoc secundo modo sumpta.

Sit conclusio: Mundus est perfectus in suo genere: Ita Arist. cap. 1. primi libri de Cœlo. Probatur primo; quia Genesis. 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*: Et Deuteronomij 32. *Dei perfecta sunt opera*.

Secundo probatur, causa perfecta, perfectum effectum producit; nisi ab alio impediatur, vel propter auaritiam, aut inuidiam opes suas communicare renuat; sed mundi Opifex Deus est causa perfectissima, quæ non potest ab alio impediri, cum sit infinitæ virtutis, est etiam liberalissimus bonorum suorum largitor: ergo mundus, qui est effectus ipsius, erit maxime perfectus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ex D. Dionisio 4. cap. de diuinis nominibus, pulchrum, & perfectum conuertuntur, & sola ratione differunt; sed vniuerso magna deest pulchritudo: ergo, & perfectio. Probatur minor; nam in vniuerso reperiuntur monstrua, quæ â Philosopho 2. Physicor. diffiniuntur *omnia naturalia aliena suæ speciei deformitatem habentia*: ergo vniuerso deest pulchritudo: ergo, & perfectio.

Respondetur negando minorem; probationi dicitur; etiam monstrua ad vniuersi perfectionem spectare, quatenus ex eorum deformitate aliarum creaturarum formositas, & pulchritudo magis elucet, & magna pars pulchritudinis vniuersi in hac varietate consistit.

Secundum argumentum. Duo entia perfecta, plus habent perfectionis, quam vnumquodque eorum seorsum; sed aggregatum ex Deo, & vniuerso, non est quid perfectius Deo præcisse sumpto: ergo vniuersum non est perfectum.

Respondetur maiorem esse veram: Quando vnum ens perfectum non prehabet aliquo modo perfectionem alterius. Cœterũ Deus continet eminenter omnes perfectiones cuiuslibet creaturæ, & omnium creaturarum simul sumptarum: Ac per consequens non dicit maiorem perfectionem egregatum ex Deo, & vniuerso, quam Deus præcisse sumptus, vt explicant Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 4. art. 1. & 2.

Tertium argumentum. Vniuersum caret nobilissima creatura intellectuali: ergo maxima deest ei perfectio. Probatur antecedens; Angeli appellantur â D. Dionisio cap. 5. Cœlestis Ierarchiæ, *mentes supermundanæ*: Hoc est extra mundi ordi-

nem

nem existentes : ergo Angeli non sunt partes vniuersi. Item ex Arist. 1. politicorum. cap. 5. *homo est finis mundi* ; sed finis non est pars eius cuius est finis : ergo homo non est pars mundi. Probatur minor ; nam finis est perfectior eo quod est ad finem, pars autem est imperfectior eo cuius est pars : ergo finis non est pars eius, cuius est finis.

Respondetur negando antecedẽs, probationi dicitur : D. Dionisium nomine mundi intellexisse creaturas corporeas, & materiales, ob quam causam Angelos super mundanos vocari, idest materiæ, & corporeitatis expertes. Ad Authoritatem Arist. dicitur : Quod homo etiam est pars vniuersi, & finis ipsius, iuxta diuersas considerationes : Pars quidem quatenus ex eo, cæterisque rebus creatis mundus resultat : Finis autem; quia sensibilia omnia eius gratia condita sunt, & ei omnia subiecit Deus; quando dixit Arist. hominem esse finem mundi vsurpat mundum impropriè, quatenus, videlicet omnes creaturas sensibiles continet, & homini condiuiditur.

QVAESTIO II.

Vtrum Deus possit mundum hunc perficere, vel alium perfectiorem producere?

SIt prima conclusio : Potest absque vllo dubio Deus mundum magis, ac magis perficere, vel addendo plures partes integrantes, vt plures condendo Cœlos, plura astra, &c. Vel intendendo perfectionem rerum actu existentium, v. g. efficiendo, quod motus Cœli sit celerior, & quod Sydera vberiorem emittant lucem, & alia huius generis. Probatur, in hoc nulla inuoluitur contradictio, vt constat : ergo potest à Deo fieri.

Secunda conclusio: Qualibet re perfectissima data potest Deus aliam perfectiorem producere in infinitum sin Cathegorematicè. Vnde potest Deus vnum, vel plures mundos perfectiores hoc mundo visibili condere : Hæc conclusio constat ex his, quæ in Physicis de infinito edocentur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Posse melius facere, & non facere vitium est facientis, sed impium est aliquod vitium in Deo admittere: ergo Deus non potest facere meliora his, quæ semel fecit : ergo non potest mundum hunc perficere. Probatur maior ; nam D. August. lib. 3. contra Maximum cap. 7. hoc argumento demonstrat non potius se Deum Filium meliorem gignere ; quia si voluit, & non potuit infirmus est, & si potuit, & noluit inuidus : ergo pari ratione : Si potest Deus meliorem efficere mundum, quam semel effecerit inuidus fuit in prima mundi creatione.

Respondetur negando absolute maiorem ; non enim est vitium facientis, non facere melius, sed non face-

re bonum: Imo argueretur impotentiæ si faceret effectum creatum tantæ perfectionis, vt non posset perfici ab ipso, exhauriretur enim Dei potẽtia ab aliquo effectu creato, & finito.

Ad confirmationem dicitur. Quod Filius Diuinus est per omnia Patri æterno æqualis, & consubstãtialis Vnde ei debetur tota perfectio essencialis, quæ in Patre reperitur, esset que inuidus Pater si aliquid non communicasset Filio. Coeterũ Creaturæ non debetur tanta perfectio, vt non possit effici melior. Vnde non est par ratio. Solutio est D. Tho. 1. p. q. 25. art. 6.

Secundum argumentum. Species rerum consistunt in indiuisibili, vt ait Arist. 8. Methaphysicæ cap. 3. *species rerum sunt sicut numeri*, à quibus si detrahitur, vel additur vnitas omnino deperduntur; sed perfectio mundi in perfectione specierum maxime consistit: ergo perfectio mundi consistit in indiuisibili.

Respondetur cum Arist. & D. Tho. duplicem dari perfectionem: Alteram essentialem, sicut rationale est perfectio essentialis hominis: Alteram verò accidentariam, vt respectu eiusdem hominis esse studiosum, vel sapientem: Prima perfectio consistit in indiuisibili de qua loquebatur Arist. cum dicit species rerum sunt sicut numeri: Secunda autem perfectio non consistit in indiuisibili; imo potest à Deo magis, ac magis intendi. De perfectione autem accidentaria locuti sumus in conclusione.

QVAESTIO III.

Vtrum mundus sit vnus?

SIt conclusio: Vnus tantum datur mundus. Hæc conclusio adeo certa est, vt oppositum illius tanquam temerarium, & erroneum, tam in Philosophia, quam in fide iudicetur; eam probat Arist. 1. de Cœlo. cap. 8. eam etiam tuetur D. Tho. 1. p. q. 47. art. 3. Et probatur; quia Scriptura Sacra semper loquitur de mundo singulariter. Vt Ioannis. 1. *mundus per ipsum factus est, & mundus eum cognouit.* Ratione autem naturali efficaci suaderi non potest, cum mundum esse vnum, vel plures, ex libera Dei voluntate dependeat, & non ex necessitate naturæ.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Deo maius bonum est tribuendum; sed maius bonum est plures condidisse mundos, quam vnum tantum: ergo plures dantur mundi.

Respondetur: Quod productio creaturarum nullam nouam perfectionem ponit in Deo; sed solum est bonum, & commodum creaturarum; cum autem Deus nulli creaturæ teneatur, non est necesse, quod semper producat, quod melius est creaturis.

Secundum argumentum. Ex Arist. 1. Metheororum, cap. 2. *oportet mũ-*

dum

dum hunc inferiorem lationibus superioribus esse coniunctum: ergo datur mundus superior, & inferior: ergo plures.

Respondetur: Arist. vsurpasse mundum partialiter, & impropriè, quatenus videlicet est collectio rerum sub lunarium tantum.

Tertium argumentum. Mundus est animatus, anima intelligenti: ergo nullius virtutis erit indiguus, cum sit maximè perfectus: ergo etiam habebit iustitiam, & amicitiam; quæ sunt virtutes maximè decentes creaturam intellectualem; sed neque iustitia, neque amicitia potest exerceri nisi saltim inter duos: ergo saltim dabuntur duo mundi. Probatur antecedens; res viuens est multo nobilior, re non viuente, ex Arist. 2. de anima cap. 1. sed dantur plures partes vniuersi viuentes, vt plantæ, & animalia omnia: ergo si mundus non est viuens, & animatus, partes ipsius erunt ipso nobiliores, quod est absurdum.

Respondetur negando antecedens, probationi dicitur: Quod licet mundus non sit animatus secundum se totum est tamen viuens, & animatus, ratione multarum partium viuentium, quæ in mundo sunt, quod sufficit, vt dicamus mundum esse perfectiorem qualibet parte ipsius. Item quamuis mundus careat anima informante, habet nihilominus mentem quandam rebus omnibus assistentem, & eas gubernantem, videlicet Deum: Qua ratione venit intelligendus Plato dum docet; *Totum mundum esse animatum.*

QVAESTIO IV.

Vtrum possint esse plures mundi?

OBseruandum est: Arist. 1. de Cœlo cap. 8. & Platonem existimasse vnicum tantum esse mundum, neque plures esse posse. Verior tamen sententia, quam omnes Philosophi Christiani complectuntur est: Quamuis vnus tantum de facto detur mundus, posse tamen Deum pro sua libertate plures efficere mundos.

Sit conclusio: Potest Deus plures mundos creare, vel simul, vel successiuè. Probatur; nam potentia Dei est infinitæ virtutis, & eius actio à materia non pendet: ergo quibuscumque rebus creatis potest plures efficere, & qua ratione mundum hunc creauit, posset alios plures, vel simul, vel successiuè producere.

Secunda conclusio: Vnitas mundi, est vnitas ordinis. Probatur duplex ordo in mundo reperitur: Vnus, quo inferiora subijciuntur superioribus: Alter, quo omnia vni primo principio subiecta sunt: ergo vnitas mundi est vnitas ordinis. Probatur antecedens; ex Arist. 1. Metheologiorum cap. 2. subijciente hæc inferiora corporibus Cœlestibus, vt inde gubernentur, & 1. politicorum cap. 1. affirmat, *plantas esse propter animalia, & animalia propter hominem, quibus additur hominem esse propter Deum*; quamuis igitur mundus non

sit vnus vnitate naturali, & continuitatis sicut Petrus, non enim partes mundi sunt continuæ, sed contiguæ, est tamen vnus vnitate ordinis, sicut plures homines efficiunt vnum exercitum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Non datur nisi vnus Primus Motor, neque etiam dari potest, vt demonstrat Arist. 8. Physicor. ergo neque potest dari nisi vnum primum mobile: ergo neque mundus potest esse multiplex.

Respondetur negando consequentiam; nam Primus Motor, non mouet solus primum mobile, sed media aliqua intelligentia, & ita licet Primus Motor sit vnus, Motores tamen primorum mobilium possent esse plures. Rursus licet Deus per se solum moueret primum mobile, non inde sequitur, quod non possit dari multiplex primum mobile, cum enim sit infinitæ virtutis, innumerabiles Cœlos si esset mouere posset.

Secundum argumentum. Mundus ex eo dicitur vniuersum, & perfectus, quia suo ambitu omnia complectitur: ergo est manifesta implicatio, quod simul detur alius mundus alioquin mundus iste non complecteretur omnia.

Respondetur: Quod mundus iste dicitur vniuersum, quia omnes gradus essendi, nempe esse, viuere, sentire, & intelligere complectitur: Tum etiam, quia in ipso sunt omnia suprema rerum genera, in quæ ens proximè distribuitur, videlicet substantiam, & accidens, causam, & effectum, corporeum, & incorporeum, animatum, & inanimatum, necessarium, & contingens: & has easdem perfectiones complecteretur quamuis alij mundi producerentur.

Tertium argumentum. Vnitas mũdi, est vnitas ordinis; sed quamuis variæ essent causarum series, & rerum species omnes dicerent ordinem ad vnam numero supremam causam, quæ est Deus: ergo vnus tantum daretur mundus.

Respondetur: Quod ad vnitatem mundi non sufficit vnitas ordinis ad eundem primum motorem; sed amplius requiritur vnitas ordinis inter partes ipsius, ita vt inferiora superioribus subdantur, vt constat ex secunda conclusione: quamuis enim plures mundi si darentur dicerent ordinem ad eundem primum motorem, nullum tamen inter se ordinem retinerent, quemadmodum licet substantia, & quantitas dicant ordinem ad ipsum ens, non tamen inde sequitur quod eandem Cathegoriam constituant, cum inter se nullum habeant ordinem, non enim substantia prædicatur de quantitate, vel è contra.

QVAESTIO V.

Quo anni tempore mundus inceperit?

OBseruandum est: Quod Abulensis, Lira, & alij tenent mundum

dum fuisse conditum mense septembris. Nihilominus creatum fuisse mense martio sententia est. D. Athanasij, Augustini, Gregorij Nacianceni, Damasceni, Cirilli, Leonis Papæ, Caietani, & aliorum, quos refert Masius lib. 8. Physic.

Sit prima conclusio: Mundus fuit creatus mense Martio, existente Sole in primis gradibus arietis, hoc est, Vigesimo quinto Die præcisi mensis. Probatur; nam maximè decuit, quod Deus, qui omnia maxima suauitate disponit, eo mense mundum createt, quo post modum erat ipsum reparaturus; sed reparauit ipsum vigesimo quinto Die Martij, vt constat ex consensu Ecclesiæ celebrantis hac Die verbi diuini in carnationem, quæ fuit nostræ reparationis initium: ergo eodem etiam Die fuit conditus mundus.

Secundo probatur; Nam Hæbreis lege præceptum erat, vt ab eo tempore, quo Sol ingreditur signum arietis annum inciperet, vt pascuæ celebritatem agerent: ergo hoc tempore conditus est mundus.

Secunda conclusio: Prædicta Dies: Scilicet vigesimo quinto Martij fuit Dominica. Ita D. Augustinus. D. Leo Papa, & alij. Ecclesia etiam in hymno Dominicali sic dicit: *Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus, &c.* Ratione probatur; nam Deus. Op. Max. vt dicitur Genesis. cap. 1. *Sex diebus fabricatus est mundus. & die septimo requieuit ab omni opere quod patrauerat*; sed hic Dies septimus fuit dies sabbati, ob quam causam Dies sabbati celebris erat apud Iudeos: ergo sexto Die ante sabbatum, cepit Deus mundum creare; sed sex dies ante sabbatum est Dies Dominica, vt constat: ergo Die Dominica conditus est mundus.

Sed rogabis; Quot anni præterierunt ex quo factus est mundus.

Respondetur: Quod in hac ficut, & in alijs magni facienda est autoritas Romanæ Ecclesiæ, in Callēda, quæ in vigilia Natiuitatis cantari solet, vbi testatur felicissimū ortum Christi Domini ab vtero virgineo, fuisse anno â creatione mundi, quinquies millesimo centesimo, & nonagesimo nono, quibus si addantur anni mille sexcenti quinquagesimum, & tertium, qui â Christi natiuitate vsque ad præsentem annum præcesserunt, comperiemus ex quo mundus est factus, vsque ad præsentem annū transactos fuisse, sex mille octingentos, & quinquagesimum secundum annos. 6852.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Eo tēpore videtur conditus mundus, quo arbores fructibus abundant, vt constat ex esu pomi veriti; sed non in Martio, sed in septembri fructus arborum matureſcere experimur; ergo mense septembri conditus est mūdus.

Respondetur: Quod si historijs finem damus reperiemus in permultis regionibus arbores bis in anno, in

verē

veré scilicet, & autumno fructus edere, vel producere. Vnde nihil absurdi erit hoc ipsum in paradiso terræ in quo Primus Parens de ligno vetito gustauit concedere.

Secundum argumentum. Hæbrei initium anni summebant à mense septembri: ergo signum est hoc mense mundum incepisse, non est enim credibile Populum à Deo dilectum in hac re errasse.

Respondetur: Apud Hæbreos duos fuisse annos alter dicebatur ciuilis, qui initium summebat à septembri, & mense augusti finiebatur, eratque negotijs destinatus: alter verò dicebatur naturalis, qui festibitatibus, & ieiunijs erat dicatus, & mense martio huius anni principiũ ex Dei præcepto Hæbrei celebrabant, dicitur enim exodi. 12. *mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.*

QVAESTIO VI.

Vtrum mundus sit corruptibilis, & finem habiturus?

OBseruandum est primo: Dupliciter aliquid dici corruptibile: Primo, quia potest desinere esse, & hoc modo totus mundus, & etiam ipsi Angeli corruptibiles sunt: cum enim quidquid est præter Deum, sit à Deo factum, & ab eo pendeat, non potest existere nisi cõseruetur à Deo, vnde si Deus conseruationem suspenderet omnia in nihilum ruerẽt: Secundo dicitur corruptibile, quod habet principium naturale corruptionis.

Obseruandum est secundo: Quod hoc principium corruptionis, vel est internum, vel externum: Internum principium est compositio ex contrarijs elementis, quod quidem in solis corporibus mixtis reperitur: Externum verò principium est receptio impressionum contrariarum externarum, quæ quidem impressiones non solum reperiuntur in mixtis, sed etiam in corporibus simplicibus, cuiusmodi sunt elementa, aqua enim calefacit, & terra humectatur: in corporibus autem Cœlestibus non reperitur aliquod principium corruptionis intrinsecum, cum non coalescant ex quatuor elementis, neque extrinsecum, quia corpus Cœleste non est capax impressionum contrariarum vt docet Arist.

Prima conclusio: Mundus est incorruptibilis secundum aliquas sui partes: Ita Arist. 1. de Cœlo. cap. 10. & 12. Ratione probatur mundus componitur tanquam ex partibus ex Angelis, ex corporibus Cœlestibus, & animabus rationalibus, tum etiam ex quatuor elementis; sed hæc sunt incorruptibilia: ergo mundus quo ad aliquas sui partes est incorruptibilis: Minor probatur; nam Angeli, corpora Cœlestia, & animæ rationales, neque ab intrinseco sunt corruptibiles; cum non resultent exmixtione contrariorum elementorum; neque ab extrinseco, cum contrarijs impressionibus eorum partes non subijciantur: elementa etiam, quantum ad aliquam

quam sui partem possunt ad inuicem transmutari, & corrumpi, non tamen secundum se tota.

Secunda conclusio: Motus Cœlorum cessabit post vltimum Iuditij diem: Ita D. Tho. in 4. dist. 48. q. 2. art. 2. & 4. contra Gentes cap. vlt. & probatur ex illo Isaiæ cap. 6. vbi dicitur: *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua, non minuetur*; sed occasus Solis, & diminutio Lunæ ex motu Cœli causantur: ergo motus Cœli etiam cessabit.

Secundo probatur conclusio: Ex eodem Isaia cap. 33. *erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter, sicut lux septem Dierum, nec tendent ad Occasum sed stabunt ordine, quo creati fuerunt.* Probatur ratione, motus Cœli est propter continuationem generationis in ipsis inferioribus, ex Arist. 2. de ortu. tex. 58. maximè verò propter multiplicationem generis humani ad quam plantæ, & alia animalia ordinantur; sed post diem iudicij cessabit hominum generatio: ergo etiam motus Cœlorum.

Tertia conclusio: Post vltimum Iudicij diem, neque plantæ, neque alia animalia præter hominem, neque mixta aliqua remanebunt. Probatur; nam omnia mixta sunt ab extrinseco, & intrinseco corruptibilia, & post vltimũ Iudicij Diem ad nullũ vsum erunt homini necessaria: ergo nullatenus remanebunt.

Quarta conclusio: Mundus est in perpetuam duraturus, renouabitur autem post vltimum Iuditij Diem: Ita D. Tho. in 4. dist. 48. q. 2. art 1. Diuus Chrisostomus, Ambrosius' & alij. Probatur, ex illo Psalmi. 148. vbi de Sole, & Luna, & de Stellis dicitur: *Statuit ea in æternum, & Seculum Seculi*, Ratione probatur; voluntas Dei est omnino immutabilis; sed Deus res, quas fecit compositionis expertes voluit semper durare, dedit enim eis naturam, vt semper sint: ergo istæ res corruptibiles perpetuo durabunt.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Quod naturaliter senescit est naturaliter corruptibile; sed mundus in dies senescit, plantarum enim vires minuuntur, hominum vita est multo breuior, de bilioraque, & minora sunt hominum corpora: ergo mundus est naturaliter corruptibilis.

Respondetur: Quod mundus dicitur senescere Methaphoricè; quia terra quasi de fatigata, non ita vbertes reddit fructus, sicut in mundi initio, breuioris autem vitæ hominum, sola voluntas Dei est causa, qui omnia suo consilio moderatur.

Secundum argumentum. Ex Arist. libro 2. de ortu sub fine, *motu orbium Cœlestium mundus conseruatur*; sed motus orbium Cœlestium est finem habiturus, non enim monebuntur Cœli post Iuditij Diem: ergo, & mundus est finem habiturus.

Respondetur: Dictum Arist. posse habere verum, in hoc scilicet, quod cessan-

cessante motu Cœli, etiam generationes hominum, & rerum naturalium cessabunt, in quo etiam sensu, nos dicimus, quod dies Iudicij est finis mundi.

Tertium argumentum. Totus mũdus corporeus in vsum hominis in carne corruptibili viuentis factus erat; sed homo in carne corruptibili viuens est naturaliter corruptibilis: ergo, & totus mundus corporeus corruptibilis erit.

Respondetur cum D. Tho. loco citato, quod omnia corporalia ordinantur ad hominem propter duo: Primo, propter sustentationem vitæ corporalis: Secundo, vt homo per hæc corporalia, & visibilia, inuisibilia Dei conspiciat: Quamuis autem homo in corpore corruptibili viuens egeat vtroque ministerio creaturarum; viuens autem in corpore incorruptibili, cuiusmodi erit corpus humanum post generalem resurrectionem, solum indigebit creaturis corporalibus, & pulchritudine earum vt visus recreetur, & in omnibus laudetur Deus.

DISPVTATIO II.
DE COELO.

QVESTIO PRIMA.

VTRVM AD PHYSICVM SPECTET de Cœlo disputare?

SIt conclusio: Disputatio de Cœlo Physica est, & ad Physicum spectat. Ita Arist. 3. de Cœlo cap. 1. & 8. Methaphysicæ. cap. 3. vbi Cœlum enumerat inter substantias naturales. Et Ratione probatur; quæcumque mouent, & mouentur, siue corruptibilia sint, siue incorruptibilia Physica sunt; & sub naturalis scientiæ consideratione cadunt; sed Cœli mouent, & mouentur: ergo ad Physicum spectat de Cœlo disputare: Maior est Aristoteles 2. Physic. cap. 7 & 12. Metha. cap. 2.

CON-

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Cœli sunt omnino incorruptibiles; sed ad Philosophum naturalem solum spectat agere de rebus corruptibilibus: ergo ad ipsum non pertinet de Cœlo disputare: Minor probatur; nam Arist. In 8. Physicor. tradit principia omnium rerum ad Physicam considerationem spectantium; sed solum egit de principiis rerum corruptibilium, videlicet de materia, forma, & priuatione: ergo ad Physicum solum spectat agere de rebus corruptibilibus.

Respondetur negando minorem, probationi dicitur Arist. in 8. Physicor. solum tradidisse principia rerum corruptibilium, quia hæc principia facilius explicantur. De principijs autem Cœlorum, egit Arist. 1. lib. de Cœlo, vbi de eorum materia, & incorruptibilitate differit.

Secundum argumentum. Eiusdem scientiæ est tractare de forma, & de materia alicuius rei. *teste Arist.* 2. *Physicor. cap.* 2. sed ad Physicum non spectat disputare de intelligentia, quæ est forma Cœli: ergo neque ad Physicum spectauit agere de materia Cœli.

Respondetur duplicem esse formam Cœli, alteram assistentem, alteram informantem, quamuis enim ad Physicum non spectet disputare de forma assistente, quæ est intelligentia, spectat tamen ad ipsum disputare de forma informante, de qua intelligendus venit Aristoteles scitatus in materi propositione argumenti.

QVAESTIO II.

Vtrum Cœli componantur ex quatuor elementis?

SIt prima conclusio: Cœlum, non est mixtum, nec compositum ex quatuor elementis: *Ita Arist. 1. de Cœlo cap. 2. & 3.* & Probatur; nam quæcumque componuntur ex elementis dissolubilia sunt, & contrarias impressiones habere possunt; sed Cœlum cum sit incorruptibile, nulla ratione est dissolubile, neque contrarijs impressionibus subiectum: ergo nulla ratione est mixtum, vel ex elementis compositum.

Secundo probatur: Mixta non mouentur naturaliter, sed ad motum elementi prædominantis; sed Cœlum non mouetur secundum motum alicuius elementi: ergo non componitur ex elementis. Probatur minor: nam ignis, & aer mouentur sursum cum sint leues, aqua, & terra mouentur deorsum cum sint graues: Cœlum autem naturaliter mouetur circulariter, qui motus perfectissimus est, & ideo corpori perfectissimo tribuitur: ergo non componitur ex quatuor elementis.

Sit secunda conclusio: Cœlum non est igneæ naturæ: Ita Arist. 1. Metheororum cap. 3. Probatur: Si Cœlum esset igneæ naturæ, omnia elementa, & omnes res naturales,

quas suo ambitu complectitur adureret, & consumeret; sed experientia constat hoc non ita euenire: ergo Cœlum non est igneæ naturæ.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum contra primam conclusionem. Cœlum est coloratum: ergo mixtum ex elementis. Consequentia probatur; nam qualitates secundæ, inter quas enumeratur color, oriuntur ex temperie primarum qualitatum; sed primæ qualitates solum reperiuntur in mixtis, & compositis ex quatuor elementis: ergo etiam color semper reperitur in mixtis.

Respondetur; negando Cœlum esse coloratum; Tum quia non componitur ex quatuor elementis; Tum etiam, quia licet ex eis componeretur, cum sit corpus translucidum nullius est capax coloris, videtur autem Cœlum nobis ceruleo colore affectum ex deceptione visus; sed de hoc plura infra.

Secundum argumentum contra secundam conclusionem. Cœlum lucet, calefacit, supereminet cæteris corporibus; sed hæc accidentia sunt propria igni: ergo Cœlum est igneæ naturæ.

Respondetur: Lucere non solum conuenire igni, sed etiam alias formas consequi; nam oculi felis, & leonis nocte lucent, & capilli præcisi: calefacere etiam conuenit aliis ab igne, motus enim caloris causa dicitur; Deinde hoc, quod est supereminere omnibus non est proprium igni; ignis vero solum supereminet alijs elementis.

Tertium argumentum contra rationem secundæ conclusionis: Elementum ignis suo ambitu complectitur aerem; sed aerem non comburit: ergo nulla est ratio secundæ conclusionis, videlicet, quod Cœlum non est igneæ naturæ, quia omnia elementa, & res naturales comburet.

Respondetur negando consequentiam, & ratio discriminis est; quia ignis elementalis habet maximā raritatem, propter quam causam, neque siccat, neque adurit: quemadmodum flamma, quia rarior est igne existente in ferro candenti, non ita adurit sicut ignis in ferro existens, vnde Cœli sunt solidi, & densissimi, & ita si essent igneæ naturæ omnia elementa consummarent.

QVAESTIO III.

Vtrum Cœlum componatur ex materia, & forma?

SIt conclusio: Cœlum componitur ex materia, & forma. Hæc conclusio est D. Tho. 1. p. q. 66. art. 2. & 1. de Cœlo lect. 6. quem sequuntur Capreolus in 2. dist. 12. q. 1. Caietanus loco citato primæ partis, Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 24. Soncinas, 12. Methaph. q. 7. Probatur primo, ex Arist. 1. de Cœlo cap. 2. vbi ait, *Spheras Cœlestes circulariter moueri; quia ex naturis con-*

constat, naturæ autem sunt materia, & forma.

Ratione probatur secũdo: Substantia, vt docet Arist. 2. de anima c. 1o. *vel est materia, vel forma, vel compositũ ex vtraque*; sed Cœlum, non est materia sola, cum materia non possit per se existere sine forma; neque potest esse forma sine materia; nam forma sine materia vocatur ab Arist. intelligentia, Cœlum autem intelligentia non est: ergo Cœlum est compositum ex materia, & forma.

Tertio probatur: Cœlum est quantum, quantitate moli; sed quantitas sequitur materiam: ergo Cœlum componitur ex materia. Rursus quantitas Cœli est determinata; sed determinata accidentia, sequuntur determinatam formam: ergo Cœlum est compositum ex materia, & forma.

CONTRA SVPERIORA,

¶. Primum argumentum. Materia prima est subiectum privationis, vt dicitur 1. Physicor. & subiectum transmutationis, vt dicitur 8. Methap. cap. 5. & est principium interitus, vt dicitur 1. de Cœlo cap. 12. Item in his reperitur solum, quæ habent contrarium, vt dicitur in lib. de longitudine, & brevitate vitæ cap. 1; sed Cœlum non subest alicui privationi alicuius formæ substantialis, cũ nullam formam appetat, & privatio sit causa appetitus. Item Cœlum non est cap. x interitus, vt dicitur 1. de Cœlo cap. 3. Rursus non est transmutabile Cœlum secundum substantiam. Denique Cœlum non habet contrarium: ergo Cœlum non constat ex materia prima.

Respondetur: Maiorem propositionem venire intelligendam de materia elementali, & sublunari, a qua maximé differt materia Cœlestis, vt dicemus q. sequenti.

Secundum argumentum. Ex eo intelligentiæ ex Arist. 12. Metaph. cap. 6. sunt expertes materiæ, quia sempiternæ sunt, incorruptibiles, & indissolubiles; sed etiam Cœli sunt indissolubiles, sempiterni, & incorruptibiles: ergo, & materiæ expertes.

Respondetur Arist. loco citato non assignare tanquam causam adæquatam, & propriam æternitati intelligentiarum, hoc quod est carere materia, sed tanquam causam remotam: quemadmodum non esse animal est causa non respirandi, & ita fieri potest, vt aliquid sit æternum, & tamen habeat materiam.

Tertium argumentum. Motus circularis est simplicior motu recto; sed motus sequitur substantiam mobilis: ergo mobile, cui debetur motus circularis est simplicius mobile cui debetur motus rectus; sed elementa, quibus est connaturalis motus rectus, sunt corpora simplicia non habentia compositionem ex quatuor elementis: ergo Cœli, qui sunt corpora simpliciora elementis non modo carebunt compositione ex quatuor elementis, sed etiam compositione, ex materia, & forma.

Respondetur: Cœlum esse corpus;

simplicius elementis; quia cum non sit elementum, neque ex elementis compositum, caret primis qualitatibus, videlicet frigiditate, caliditate, &c. Item alijs accidentibus, videlicet grauitate, leuitate, colore.

QVAESTIO IV.

Vtrum materia cœli sit eiusdem rationis, cum materia sublunari:

OBseruandum est: quod Auicena lib. 1. suæ sufficientiæ cap. 3. D. Bonauentura, AEgidius, & alij. Materiam cœlestem, & sublunarem faciunt eiusdem speciei: oppositæ tamen sententiæ adhærent, D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. & ibidem Cajetanus, Capreolus, & alij.

Sit conclusio: Materia cœlestis, specie distinguitur a sublunari: hæc conclusio, est Arist. 1. de ortu cap. 6. vbi docet: ea tantum in materia conuenire, quæ in se mutuo agunt vicissimque transmutantur; sed inter corpora cœlestia, & sublunaria non fit vicissim transmutatio: ergo non habent materiam communem, & eiusdem speciei, lib. etiam 12. metha. cap. 2. docet cœlestia corpora materiam obtinere, ab ea qua res dissolubiles constant planè diuersam. Probatur ratione: materia prima est pura potentia ad formas substantiales, sed hæc potentia est diuersæ speciei in materia cœlesti, & sublunari: ergo, & materia cœlestis specie distinguitur a sublunari. Probatur minor; nam materia prima cœlestis, nõ dicit potentiam ad aliquam formam, præterquam ad formam, quam habet a qua plenè, & perfectè eius desiderium satiatur: Materia autẽ prima sublunaris dicit potentiã, ad omnes formas sublunares a quibus successiue informari potest: ergo diuersa est potentia in materia prima cœli, & in materia prima sublunari.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Omnis distinctio prouenit ab aliquo actu; sed materia prima cœlestis, & materia prima sublunaris, cum sint puræ potentiæ omnem actum excludunt: ergo non possunt inter se specie differre: ergo sunt eiusdem rationis; maior est Arist. 7. metha. cap. 13.

Respondetur distinguendo minorem: si enim intelligatur de actu intrinseco materiæ connaturali vera est; nam materia prima est pura potentia omnis actus ignara. Si verò intelligatur de actu extrinseco falsa est; distinguitur itaque materia prima cœlestis, & sublunaris per actum extrinsecum, per formam, videlicet, qua informantur, & informari possunt, nam materia prima sublunaris dicit potentiam ad omnes formas, non sic autem materia cœlestis.

Secundum argumentum. Materia prima, *teste D. Aug. 12. confessionum cap. 7. est prope nihil*: ergo, & materia cœli erit prope nihil; ergo non est perfectior materia sublunari; ergo sunt eiusdem rationis, & speciei. Probatur secunda consequentia; nam si materia prima cœli esset nobilior materia sublunaris

blunari, longius distaret a nihilo, & non esset prope nihil.

Respondetur: quod materia cœlestis, sicut, & sublunaris dicuntur prope nihil; quia nulla est substantia, quæ minus habeat entitatis, quam materia prima secundum suum genus expectata, cum hoc tamē beneſtat materiam cœlestem esse præstantiorem sublunari.

Tertium argumentum: in quolibet genere causarum, datur vna prima causa, vt docet *Arist. 2. Metaph. cap. 6.* ergo etiam in genere causæ materialis deueniendum est ad vnam materiam primam: ergo tunc materia prima Cœlestis, & sublunaris sunt eiusdem ordinis, & speciei, alioquin non daretur vna materia prima, sed duplex.

Respondetur: Iam dari vnam materiam primam secundum genus; quāuis eadem sit multiplex secundum speciem; neque est incombeniens, quod non detur in genere causæ materialis vna materia prima, sicut in genere causæ finalis, & efficientis datur vnus vltimus finis, & vna prima causa efficiens, quæ est Deus.

QVAESTIO V.

Vtrum Cœli sint dissolubiles, & corruptibiles?

OBserua; quatuor modis dici aliquid indissolubile, & incorruptibile: Primo, quia nulla ratione, neque ab intrinseco, neque ab extrinseco potest desinere esse, qua ratione solus Deus est immutabilis, & incorruptibilis: Secundo, quia est omnino immateriale, idest materia expers, qua ratione Angeli sunt incorruptibiles: Tertio, quia quamuis constet materia, ea tamen est huiusmodi, vt nullam formam præter eam, quam habet appettat, qua ratione, vt dicemus, Cœli sunt incorruptibiles: Quarto, dicitur aliquid incorruptibile; quia licet materia illius alias formas appetat, tamen ratione alicuius qualitatis ā Deo super additæ efficitur omnino incorruptibile, qua ratione corpora Beatorum, vt docet D. Tho. 1. p. q. 97. art. 1. erunt omnino incorruptibilia, & immortalia.

Sit prima conclusio: Cœli, & omnia corpora cœlestia sunt indissolubilia, & incorruptibilia tertio modo in obseruatione exposito. Probatur primo; experientia, qua comprobamus sublunaria interdum oriri, interdum interire, corpora autem cœlestia semper perseuerare.

Secundo probatur conclusio: nam forma cœli modo quodam indiuisibili, & indissolubili vnitur materiæ primæ ipsius, plenè, & perfectè satiando ipsius appetitum; ergo cœlum est omnino incorruptibile.

Tertio probatur: corpora cœlestia non componuntur ex quatuor elementis: ergo non sunt ab intrinseco corruptibilia: Item corpora cœlestia non possunt ab extrinseco alterari alteratione corrumpente; ergo non sunt corruptibilia ab extrinseco: ergo sunt absolute incorruptibilia.

Sit secunda conclusio: Corpora Cœ-

Cœlestia post Diem Iudicij non immutabuntur, quantum ad substantiam; illustrabuntur tamen nouæ lucis accessione: Primam partem habent D. Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ. cap. 2. & habetur cap. 3. Ecclesiastes, vbi sic dicitur: *Quod omnia opera, quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum*: Secunda pars probatur; ex illo Isaiæ 3. *erit Lux Lunæ sicut Lux Solis, & Lux Solis erit septempliciter*, idest, *septuplo maior quo modo est.*

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Multi Sancti Patres docuerunt: *Orbes Cœlestes, esse natura sua dissolubiles, & corruptibiles*: ergo ita se res habet.

Respondetur cum D. Tho. 1. p. q. 66. art. 2. Sanctos Patres locutos fuisse secundum mentem Platonis, qui docuit Cœlos secundum suam naturam esse corruptibiles, & solo Dei beneplacito incorruptos conseruari. Vel dicito Sanctos Patres loqui de corruptibili prout opponitur incorruptibili primo modo in obseruatione proposito.

Secundum argumentum desumitur ex variis locis Scripturæ Sacræ; nam Psalmo 102. dicitur: *Opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum, veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.*: Et luce 22. *Cœlum est terra transibunt.*: Et Apocalipsis 21. *vide Cœlum nouum, & terram nouam, prius enim Cœlum & terra prior iam abijt*: ergo Cœli sunt dissolubiles.

Respondetur primo cũ D. August. 3. lib. super Genesim cap. 2. & 3. interdum in Scriptura Sacra, nomine *Cœlum* intelligendum esse aereum; iuxta illud Psalmi 18. 3. *Volucres Cœli*, idest, *aereas.*

Respondetur secundo: Prædictas Authoritates venire interpretandas de mutatione accidentaria; non verò de mutatione substantiali iuxta sensum secundæ conclusionis.

Tertium argumentum. Virtus finita, vt docet Arist. 8. Phisicor. cap. 10. non potest tempore infinito perseuerare; nam inter virtutem alicuius rei, & eius durationem, debet reperiri proportio; sed virtus Cœli est finita: ergo duratio Cœli finita erit: ergo Cœlum est dissolubile, & corruptibile.

Respondetur cum D. Tho. 1. contra gentes. cap. 2. *id* quod non mensuratur tempore, neque à tempore dependet, quamuis sit finitæ virtutis, posse infinitè durare, vt videre est in Angelis, corpora autem Cœlestia licet secundum sui motum mensurentur tempore, tamen quantum ad sui substantiam mensurantur ęuo; vnde possunt infinitè durare, cum autem, vt dicit D. Tho. 1. p. q. 10. art. 5. est medium inter æternitatem, & tempus, quia esse, quod mensurat æternitas, nõ est mutabilitati adiunctum; nec mutabile: esse autem, quod mensurat ęuum, est mutabilitati adiũctum cum prius; & posterius ei coniungi pos-

possint, esse autem, quod mensurat tempus est prius, & posterius secundum se.

QVAESTIO VI.

Vtrum Cœlum sit animatum?

SIt conclusio: Nullum corpus cœleste est animatum. Ita Arist. 2. de coelo cap. 1. Vbi docet, *corpora cœlestia nõ moueri ab anima*: ergo coelum non est animatum. Ratione probatur; anima est actus corporis organici, vt dicitur secundo de anima, cap. 1. Sed coelum nõ est corpus organicum; non enim in ipso manus, brachia, vel pedes cõspicimus: ergo in corporibus cœlestibus non est anima.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Quod est primum in genere mobilium, est mouens se ipsum, vt docet Arist. 3. Physic. cap. 2. Sed corpora coelestia sunt priora in genere mobilium: ergo mouent se ipsa; ergo sunt animata.

Respondetur, quod coelum duplici ter considerari potest. Primo, quatenus vna cum intelligentia ipsius motrice efficit vnum, quasi compositum. Secundo, potest considerari, sine intelligentia. Primo modo dicimus, quod coelum mouetur a se, non autem secundo modo, quod sufficit, vt absolute dicamus primum in genere mobilium, mouere se ipsum: Si coelum consideretur primo modo est animatum, cum includat intelligentiam, tãquam sui partem, secundum quam acceptionem venit interpretandus Arist. 2. de cœlo cap. 2.

Secundum argumentum: Mundus inferior a corporibus cœlestibus gubernatur, & regitur; sed indecorum est valde, vt gubernetur a re insensibili, & inanimata: ergo corpora coelestia sunt animata.

Respondetur mundum inferiorem non gubernari â corporibus Cœlestibus per se sumptis, sed ab eisdem motis virtute intelligentiarum, quæ viuentes sunt, & omnibus viuentibus nobiliores.

Tertium argumentum. Omnis causa est præstantior, quam suus effectus; sed corpora Coelestia sunt causa viuentium: ergo sunt præstantiora viuentibus: ergo sunt animata; nam inanimata non sunt præstantiora viuentibus.

Respondetur eadem solutione. Corpora Cœlestia non esse causam horum inferiorum, si per se sola considerentur, bene tamen si considerentur, vna cum intelligentia.

QVAESTIO MII.

Vtrum Cœlum sit quantum quantitate continua?

SIt prima conclusio: Cœlum est quantum quantitate continua. Probatur; nam vt demonstrat Arist. In Physicis: Omne mobile est corpus; sed Cœlum est mobile: ergo cor-

corpus: ergo quantum, quantitate continua.

Dices: Cœlum Empireum est immobile; ergo falsum de hoc Cœlo nihil probat ratio.

Respondetur negando antecedens; quamuis de facto non moueatur, mobile tamen dicitur; quia si extra heretur ad alium locum naturaliter rediret ad centrum, in quo est modo, quemadmodum terra secundum se tota dicitur mobilis; quia licet de facto non moueatur: Si tamen extraheretur à loco in quo est modo naturaliter tenderet in ipsum.

Secunda conclusio: Quantitas Cœli est finita. *Ita Arist. 1. de Cœlo, cap. 5.* & probatur Cœlum mouetur circulariter; sed nullum corpus circulariter motum est infinitum: ergo Cœlum non est corpus infinitum. Probatur minor; motus circularis est qui fit circa medium, & qui ab eodem puncto reddit ad idem punctum; sed infinitum neque habet medium, neque est pertransibile: ergo vera est minor. Hanc conclusionem; probant rationes, quibus in Phyticis probatur non posse dari infinitum Cathegorematicè secundum quantitatem.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Cœlum non est visibile; ergo neque quantum quantitate continua.

Respondetur negando consequentiam; nam etiam aër non est visibilis, & tamen est corpus, & vniuersaliter omnia corpora trãslucida vix, vllum terminare possunt cum tamen sint, quantitate affecta.

Secundum argumentum: res quanta est tangibilis; sed cœlum non est prædita aliqua qualitate tangibili, cum neque sit frigidum, neque calidum; ergo cœlum non est quantum.

Respondetur negando minorem; nam licet cœlum non habeat calorem, nec frigiditatem est tamen maximè durum, & solidum, solidtas autem tangibilis est.

QVAESTIO VII.

Vtrum Cœlum sit nobilius, quolibet corpore subiunari?

OBseruandum est: quod gradus essendi sunt tres; *esse, viuere, & intelligere.* Rursus gradus essendi diuiduntur, *incorruptibile & in incorruptibilia.* Item res subiunares, diuidũtur in viuentes, & non viuentes. Deinde viuentes, subdiuiduntur, in vegetãtes, cuiusmodi sunt plantæ, sentientes, vt bruta, & intelligentia, vt homines. Demique ex brutis, quædam sunt perfecti, quæ solo semine, & interuentu aliorum animalium gigni possunt: alia sunt imperfecta, cuiusmodi sunt, quę virtute Solis, & ex putrefactione terræ producuntur, vt vermes, & ranæ, &c.

Sit prima conclusio: corpora cœlestia sunt absolutè in perfectiora cunctis viuentibus qualibet vita, siue sint perfecta, siue imperfecta; ita D. Thom. 1. p. q. 3. art. 1. & q. 70. artic. 3. ad 2. & eisdem locis eius interpretes Aberues

2. lib. de Cœlo, cap. 61. Ratione probatur; gradus essendi sunt esse, viuere, & intelligere: itavt viuere sit perfectius, esse, quia includit esse, & aliquid amplius; sed corpora coelestia nō habent gradum vitæ, cum sint inanimata, vt dictum est q. 7. ergo quælibet viuenti. sunt perfectiora corporibus cœlestibus. Rationē hanc late prosequitur D. Aug. 11. de ciuitate Dei, cap. 16.

Secunda conclusio: corpora cœlestia sunt perfectiora viuentibus, si solum attendatur ad modum essendi. Probatur; nam omnia viuentia sublunaria sunt dissolubilia, & corruptibilia, corpora autem Coelestia habent esse indissolubile, & incorruptibile; sed in corruptibile est præstantius corruptibili: ergo si solum attendatur ad modum essendi, corpora Coelestia sunt nobiliora quolibet viuenti sublunari.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ex nobilitate accidentium dignitas substantiæ colligenda est; sed accidentia corporum Coelestium sunt nobiliora accidentibus rerum sublunarium: ergo, & substantia corporum Coelestium est nobilior quolibet corpore sublunari. Probatur minor; nam corporibus Coelestibus conuenit figura rotunda omnium figurarum præstantissima; motus circularis omnium motuum princeps: Lux omnium qualitatum pulcherrima: Denique efficientia tanta, vt per omnes mundi partes se diffundat: ergo vera est minor.

Respondetur negando minorem. Nam potentiæ cognoscitiuę; tum etiam actiones vitales sunt nobiliora accidentia, & nobilioris substantiæ signa, quam omnia alia accidentia, quæ reperiuntur in Coelo, & hæc accidentia conueniunt viuentibus. Insuper viuentia mouentur ãse ipsis, & ab intrinseco, corpora autem Coelestia ab extrinseco, videlicet ab intelligentia.

Secundum argumentum. Arist. 1. de partibus animalium cap. 1. vocat corpora Coelestia nobilissima, eorumque succensu cadunt: ergo corpora coelestia sunt nobiliora sublunaribus.

Respondetur: Arist. venire intelligendum de nobilitate, & perfectione secundum quid, quæ attenditur quantum ad modum essendi, non verò de perfectione simpliciter, quæ desummitur, ex gradibus essendi

QVAESTIO IX.

Vtrum dentur plures cœli?

Diuus Chrisostomus, homil. 4. de opere sex dierum reprehendit, qui multos coelos cõcedunt, eosque non ex diuina scriptura, sed contra ipsam loqui tellatur, cum Moyses vnum tantum cœlum esse doceat, cum ait Genesis 1. *Fiat firmamentum &c.* Probabilior tamen sententia cũ Arist. & eius sectatoribus, plures cœlos admittit.

Sit conclusio: Plures dantur cœli; Probatur ex Arist. 2. de cœlo, cap. 8. Stellæ, & Astra non mouentur per se, sed motis cœlis, quib⁹ sunt infixa, quemadmodum nodi in tabula lignea; sed experientia comprobatur in Astris reperiri diuersos motus: ergo in coelo reperiuntur diuersi motus, & oppositi; sed vnum, & idem mobile non potest simul diuersis, & oppositis motibus moueri: ergo coelum non est vnum, sed multiplex. Probatur prima minor; nam ad sensum patet, Solem, & Lunam (vt de alijs Planetis fileamus) diuersis motibus moueri, cum non sint semper inter se æque distantes; nam in nouilunio sunt hi duo Planetæ coniuncti, in plenilunio autem sunt ad inuicem ex diametro oppositi: ergo vera est minor.

Secundo probatur conclusio: Si vnicum tãtũ daretur coelum in quo essent omnia Astra, & Planetę: omnes Planetæ æquali motu mouerentur, ad motum videlicet ipsius coeli; sed hoc est falsum: ergo illud ex quo sequitur. Minor probatur; nam Sol vno anno suæ conuersionis periodum absoluit, Luna verò viginti septem diebus, & octo horis; hoc autem, non ita contingeret si tantum daretur vnicum coelum, in quo Sol, Luna, & alij Planetę continerentur: ergo non vnicum, sed plures debent esse coeli.

Nec satisfacis, si dicas: Solem, Lunam, & alios Planetas moueri in coelo, sicut aues per aërem: Vnde quemadmodum in vno, & eodem aëre mouentur plures aues motibus diuersis, & contrarijs: ita Stellę, & Planetę in eodem coelo diuersis motibus mouentur. Hoc inquam non soluit rationes adductas; nam coelum est corpus solidum maxime firmum, etiam adamante firmius; nec facile, vt aqua, vel aer scindi potest.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si essent plures coeli, vel essent loco distantes, vel contingui; neutrum est dicendum: ergo non dantur plures coeli. Probatur minor; nam si loco distarent daretur vacuum inter coelum, & coelum, cum nullum corpus alterius generis posset mediare. Item si essent contingui, duæ extremitates coniungerentur; quod negat Arist. 6. Phyticorum: ergo non dantur plures coeli.

Respondetur; quod coeli sunt inter se contingui, & ad huius impugnationem dicitur: Arist. solum negasse duas superficies eiusdem corporis coniungi, non tamen negauit posse duas superficies diuersorum corporum esse simul.

Secundum argumentum. Omnis nostra scientia oritur à sensu; sed sensu non percipimus dari plures coelos, imo in vno, & eodem coelo videntur existere Sol, Luna, & alij Planetæ, & reliqua Astra: ergo non dantur plures coeli.

Respondetur; quod sensibus percipitur dari plures coelos, licet enim coelos ipsos non videamus, conspicimus tamen Astra diuersis, & oppositis motibus moueri, ex qua diuersi-

tate

tate coelorum pluralitatem colligimus.

Tertium argumentum: Si darentur plures coeli, darētur plura corpora simplicia quam quinque. Insuper idem motus simplex circularis pluribus corporibus simplicibus conueniret; sed hęc aduersantur Arist. 1. de cęlo cap. 1. & 2. ergo & illud ex quo sequitur.

Respondetur, non esse absurdum concedere plura corpora simplicia, quam quinque. Quādo autem Arist. prēter quatuor elementa vnicum tantum modo corpus simplex admittit, intelligendus est de vnico corpore secundum species interiecta, cum qua vnitate optime coheret diuersitas, & pluralitas, secundum numerum, vel secundum speciem infimam.

Ad aliam partem argumenti respondetur: Quod motus diurnus, qui est ab ortu, ad Occasum per se solum conuenit primo mobili, & ratione illi? alijs coelis, quod sufficit, vt dicamus vnū motum simplicem, vnico corpori simplici conuenire.

Ad auctoritatatem ex Genesi initio quęstionis adductam, a D. Chrisostomo. Respōdetur nomine firmamēti intelligendū esse coelū Stelliferum, quod vnicum tantum est. Vel intelligendam esse congeriem omnium coelorum, quę potuit singulari numero exprimi.

(?)

QVAESTIO X.

Vtrum tantum dentur octo cœli?

Sit prima conclusio: Octo dantur cęli; hęc conclusio communis est inter omnes Phylosophos, & Astrologos, eam docuit Arist. 2. de cęlo cap. 12. Probatur ratione, ex diuersis motibus Astrorum, deueniendum est ad diuersos motus cęlorum, & ex diuersitate huius motus colligendus est cęlorum numerus, sed longa obseruatione compertum est magnum numerum earum Stellarum, quæ fixæ vocātur semper vniformiter progredi, & æque inter se distare; compertum est etiam septem esse Stellas, quæ Planetæ, siue Stellæ errantes dicuntur, quæ neque inter se eandem seruant distantiam; neque in eodem situ, cum Stellis fixis reperiuntur: ergo dabuntur octo cęli, in quorum primo existunt Stellæ fixæ; in vnoquoque autem aliorum vnicus inueniatur Planeta.

Secunda conclusio: Præter istos octo cęlos, quos solummodo agnouit Arist. Tres alij constituendi sunt superiores; nimirum cęlum christallinū, quod, & cęlum aquarum dici solet. Primum mobile. Denique cęlum Empyreum, quod nullo modo agitatur, & est sedes Beatorum. Hæc conclusio quantum ad duos Cœlos priores habetur ex consensu recentiorum Astrologorum princeps anno Domini 1312. assidua obseruatione agnouit octauum orbem duplici motu moueri, vi-

dicet, ab occasu ad ortum, & ab ortu ad occasum; sed eidem corpori naturali, & simplici non possunt esse duo motus naturales, vt dicitur 1. de Cœlo cap. 2. ergo dicendum est octauum orbem proprio motu moueri ab occasu ad ortum, moueri autem ab ortu ad occasum, ratione primi mobilis cui subijcitur: ergo supra octauum orbem datur primum mobile, Ptholomeus autem Alfonsus Hispaniarium Rex insignis Astrologus anno Domini 1240. comparans suas considerationes cum obseruationibus Antiquorum, adinuenit Stellas fixas, motu quodam tardissimo agitari, quā ob causam inter primum mobile, & octauam spheram posuit Cœlum Christallinum, quod motu trepidationis mouetur.

De Cœlo autem Empyreo est communis Sanctorum Patrum sententia; quamuis ratione naturali non possit conuinci, eo quod huiusmodi Cœlum nullo modo moueatur, colligitur autem ex illo, quod habetur Mathei 25. *venite Benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum à constitutione mundi*: Quæ auctoritas à multis Sanctis intelligitur de Cœlo Empyreo; nam spirituale regnum, quod est ipsemet Deus ante mundi constitutionem, & ante omnia sæcula paratum est.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si daretur nonum, vel decimum Cœlum, supra octauum, essent ignobiliores octauo; sed hoc est falsum; nam Cœli quo sunt superiores eo sunt nobiliores: ergo tantum dantur octo Cœli. Probatur minor; nam in nono, & decimo Cœlo si dantur, nulla est Stella, in octauo autem Coelo, & alijs inferioribus Stellæ reperiuntur; sed ex *Arist.* 2. *de Cœlo cap.* 11. pars Stellata est præstantior parte nō Stellata: ergo si daretur nonum, vel decimum Coelum essent ignobiliores alijs Coelis.

Respondetur; quod nona, decima, & vndecima sphera Coelestis sūt præstantiores octaua sphera, & inferioribus ipsius.

Ad testimonium Aristoteles. Respondetur partem Stellatam, esse præstantiorem nō Stellata: Si fiat comparatio inter partes eiusdem orbis, secus autem si fiat comparatio inter orbem superiorem, & inferiorem; quælibet enim pars orbis superioris est præstantior qualibet parte orbis inferioris siue sit Stellata, siue non.

Secundum argumentum, *Arist.* 12 *Metha. cap.* 8. ait, *quod omnis motus Cœli est propter motum Astri*; sed in nono, & decimo Cœlo nullum datur Astrum: ergo nullus datur motus in eis; ergo frustra ponuntur hi cœli, cum cœlum sit propter motum.

Respondetur: *Arist.* locutum fuisse de motu orbium cœlestium, quos ipse agnouit, solum autem agnouit Arist. Orbes cœlestes in quibus residet Stellæ.

Tertium argumentum: Non minus spectat ad perfectionem vniuersi rerum multitudo, quam magnitudo,

sed

sed Cœli propter perfectionem vniuersi facti sunt maiores, quam alia corpora sublunaria: ergo etiam debent esse plures, quam corpora sublunaria.

Respondetur: Opportuisse Coelum esse tanræ magnitudinis, vt suo complexu possent omnia corpora sublunaria continere, non oportuit autem, quod vltra multiplicaretur eorum numerus, cum vndecim Coeli sufficiant ad directionem, & gubernationem huius mundi inferioris

QVAESTIO XI.

Vtrum Cœli moueantur motu naturali?

OBserua: Quod Quidam omnimodo negant Coelos moueri; sed dicunt in eodem loco semper existere: Videri tamen nobis Stellas moueri, ab oriente, in occidentem, propter motum terræ, quæ, vt ipsi aiunt ab oriente, ad occidentem fertur. Alij dicunt, non tolum coelum, & terram etiam quiescere, Stellas autem moueri per se in coelo, sicut aues in aere, & pisces in aqua. Scotus, Durandus, & alij concedunt coelum moueri: Dicunt tamen hunc motum, neque esse naturalem, neque violentum, sed indifferentem, seu voluntarium.

Sit conclusio: Motus coeli est naturalis. Ita docet *Arist. q. de Coelo cap.* 4. Et probatur ratione; coelum est corpus naturale, vt dicitur 3. de coelo cap. 1. sed corpus naturale, & corpus mobile conuertuntur: ergo coelum est corpus mobile, & ex consequenti habet motum naturalem.

Probatur secundo: Naturale est coelo influere in hæc inferiora, cum ad hoc præcipue munus sit â Deo productum; sed non aliter influit, quam per motum: ergo motus est connaturalis coelo.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Motus diffinitur actus imperfectus entis imperfecti; sed nec motus coeli est imperfectus, neque coelum est imperfectum: ergo saltim loquendo de motu Physico coelum non mouetur.

Respõdetur maiorem esse veram; quando motus primo, & per se est propter perfectionem mobilis: Coelum autem non mouetur primo, & per se propter sui perfectionem; sed propter perfectionem rerum sublunarium, vt infra dicemus.

Secundum argumentum: Coelum non est in potentia ad aliquem terminum adquirendum per motum localem, cum non possit, nec nouum locũ adquirere, neque antiquum relinquere, idest, locum quem antea, &c. ergo non mouebitur. Probatur consequentia; nam motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia.

Respondetur; quod quamuis coelũ secundum se totum non sit in potentia ad aliquem terminum localem, vt optimè probat argumentum: Est tamen in potentia secundum partes; v. g. Sol, quando est in vno signo est in potentia, vt sit in alio, quando est

in

in oriente est in potentia, vt sit in occidente, quod sufficit ad hoc, vt dicamus coelum moueri.

Tertium argumentum. Coeli sunt in suo loco naturali; sed res in loco naturali, non mouetur saltem motu naturali: ergo coeli non mouentur.

Respoedetur: Esse peculiare motui circulari, vt fiat in suo loco naturali, motus autem coeli circularis est.

QVAESTIO XII.

Vtrum Coeli moueantur ab intelligentijs?

IN hac difficultate, qui putant coelum esse animatum, consequenter affirmant coelum à se moueri: Verum fundamentum huius sententiæ, iam supra refutatum est. q. 6. huius disputationis.

Sit prima conclusio: Coeli mouentur ab intelligentijs. *Ital Arist. 12. Methaph. cap. 6. 7. 8. 9.* vbi existentiam intelligentiarum, & earum numerum, ex motu coelorum inuestigat. Ratione probatur; coelum est substantia simplex: ergo non potest à se moueri. Probatur consequentia; nam mouens, & motum siue continua sint, siue non, debent esse diuersa: Modo sic; coelum non potest moueri ab alio corpore, cum sit primum omniũ corporum, ne sit concedendus processus in infinitum: ergo debet moueri ab aliquo agente incorporeo, cuiusmodi est intelligentia.

Secundo probatur conclusio: Nulla res inanimata mouetur; sed coeli sunt corpora inanimata: ergo debẽt moueri ab alio, sicut dicitur de motu grauium & leuium.

Secũda conclusio: Vnumquodque coelum mouetur a sua intelligentia distincta; *Ita Arist. 12. metha. cap. 8.* Et probatur, nam vnumquodque coelum mouetur motu proprio ab Occasu ad ortum; motu autem communi mouetur abortu ad Occasum: ergo ad motum illum particularẽ eget particulari intelligentia.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: in vna quaque re prius est, quod per se conuenit, quam quod per aliud conuenit; sed coelum per se est in genere mobilis, conuenit autem ei per aliud quod moueatur ab intelligentia: ergo prius est quod per se moueatur: ergo non mouetur ab intelligentia.

Respondetur: Quod coelo prius conuenit esse mobile ab extrinseco, quam quod actu moueatur ab intelligentia, saltem prioritate naturæ, non autem prius est esse mobile a propria forma, & ab intrinseco, cum hoc nulla ratione coelo conueniat: Sententia autẽ Arist. in eo quod affirmat, non esse plures intelligentias, quam orbes coelestes, falsa est, cũ ex communi Sãctorum Patrum, & Theologorum sententia habeamus innumerabilem esse intelligentiarum multitudinem.

Secundum argumentum, contra secundam conclusionem. Quemadmodum omnes coeli inferiores rapiun

tur

tur, & mouentur ad motum primi mobilis, ab ortu ad occasum, ita ad motum secundi mobilis, cui est connaturalis motus ab occasu ad ortum mouentur, & rapiuntur huiusmodi motu: ergo sufficiet concedere duas intelligentias, vnam primo mobili, alteram verò secundo mobili.

Respondetur negando antecedens; nam si ad motum secundi mobilis ab occasu ad ortum mouerentur omnes cœli inferiores, procul dubio motus secundi mobilis esset coeteris velocior; cum tamen è contrario eueniat, cum motus secundi mobilis ab occasu, ad ortum sit omnium tardissimus.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum in motu Cœli contingat defatigatio?

OBseruandum est primo: Fatigationem, seu lassitudinem propriè dictam sic posse diffiniri: *Extenuatio virium potētiæ operatiuæ agentis, cum cognitione, propter diuturnam actionem. Extenuatio virium*: Habet locum generis: Sequens particula: *Potentiæ operatiuæ* excludit potentiam passiuam, qualis est potentia materiæ primæ, quæ receptione formarum nunquam fatigatur: Tertia particula: *Agens cum cognitione*; excludit agentia cognitionis expertia; non enim propriè dicimus; quod ignis calefaciendo fatigatur: Vltima particula, *propter diuturnam actionem*; addita est vt intelligamus, ea propriè fatigari, quæ ratione alicuius operationis, vel actionis, quam exercuerunt opperari non possunt. Vnde non dicitur propriè fatigatus ille cuius vires extenuantur, propter ægritudinem, vel senectutem, vel defectu alicuius membri.

Obseruandum est secundo: Quod causa fatigationis est aliqua actio, quæ habetur cū ducitur corpus ad interitum, nascitur enim fatigatio ex attenuatione virium, & attenuatio virium ortum habet ex hoc, quod corpus secuundum primas qualitates commutatur: Omnis autem commutatio secundum primas qualitates inducit interitum, *teste Arist. 2. de Cælo tex. 8.*

Sit conclusio: In motu coeli nulla potest contingere defatigatio, vel lassitudo. Probatur ex diffinitione fatigationis, quæ coelo conuenire non potest, cum sit cognitionis expers.

Probatur secundo: Vel hæc fatigatio in motu coeli proueniret ex parte motoris, vel ex parte coeli; neutrū est dicendum: ergo vera est conclusio. Probatur minor; nam causa fatigationis, vt diximus, in secunda obseruatione est aliqua commutatio secundum primas qualitates ducens ad interitum; sed neque motor coeli, neque coelum ipsum subduntur primis qualitatibus: ergo neque ex parte motoris, neque ex parte coeli potest cōtingere defatigatio: Minor probatur: nam motor coeli caret materia; ergo etiam primis qualitatibus, quæ sunt accidētia materialia. Quod verò coe-

lum

lum his qualitatibus careat constabit ex sequentibus quæstionibus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Quod mouetur certa velocitate motori resistit; sed coelum mouetur certa velocitate: ergo resistit motori; ergo in motu coeli contingit defatigatio. Probatur minor; nam certa velocitas nascitur ex resistentia.

Respondetur negando maiorem: Probationi dicitur; quod in his, quæ mouentur omnimodo motu necessario, & naturali verum est certam velocitatem nasci ex resistentia: in his autem, quæ mouentur libere, certa velocitas non nascitur ex resistentia. Iam intelligentiæ coelorum motrices libere mouent cœlos: ac per consequens, certa velocitas motus coelestis ex earum beneplacito dependet.

Secundum argumentum, *ex Arist. lib. de somno & vigilia, omnis facultas naturalis est fatigabilis*; sed facultas cœli ad motum est naturalis: ergo fatigabilis.

Respondetur: Aristotelem venire intelligendum de facultate naturali animalium, de quibus disputat, non autem de omni facultate naturali.

QVAESTIO XIIII.

Vtrum Cœli simul pluribus motibus mouentur?

Sit prima conclusio: Omnes Cœli præter Empyreum, conuertuntur abortu, ad Occasum. Probatur: Nam experientia quotidiana videmus Solem, Lunam, & reliquas Stellas ex parte Orientis ascendere, & eleuari supra Orizontem, donec ad Meridianum perueniant, atque hinc declinare in Occidentem; sed ex motu Astrorum cœlorum motus colligendus est: ergo omnes cœli mouentur ab ortu ad Occasum.

Secunda conclusio: Nouem coeli inferiores primo mobili, mouentur etiam ab Occidente in Orientem. Probatur: Nam vna die videmus Lunam esse cum Sole coniunctam; altera verò die ab eo recessisse versus partes Orientales, & id ipsum experiuntur Astronomi, respectu aliorum Planetarum, qui nec in ordine ad se, neque in ordine ad Stellas fixas, semper eodem modo se habent; sed motus cœlorum ab Oriente ad Occidentem est semper æqualis, & æquali velocitate conficitur: ergo in æqualitas secundum distantiam, quæ reperitur inter Astra, ex motu cœlorum ab Occasu ad ortum prouenit.

Tertia conclusio: Primum mobile non mouetur ab Occasu ad ortum: Probatur; quia si primũ mobile hoc motu moueretur, vel hoc ei conueniret a natura propria, vel ex impressione alterius mobilis superioris; sed neutrum est dicendum: ergo, &c. Probatur minor, nam in primis non potest ei conuenire secundum propriã naturam; nam vnius corporis naturalis simplicis vnus tantum est motus naturalis; sed primo mobili est naturalis motus ab Oriente in Occasum: ergo

ergo non erit ei naturalis motus ab Occasu ad ortum. Quodautem, neque ex impressione alterius mobilis possit ei conuenire talis motus constat, nam supra primum mobile, non datur aliud corpus mobile, a quo moueri possit: alioquin primum mobile non esset primum.

Quarta conclusio: Nouem orbes inferiores secundum proprium motũ mouentur ab Occasu, ad ortum, & is motus sit ab vnaquaque intelligẽtia, vnumquodque cœlum mouente: motus autem ab ortu ad Occasum, est motus communis conueniens ipsis cœlis. Ratione primi mobilis ad cuius motum rapiuntur, & ducuntur: Quemadmodum Sphæra ignis in regione elementali circulariter mouetur; quia rapitur, & ducitur ad motũ Orbis Lunæ, cum quo contiguatur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Quod mouetur per duplicem motum, duplicem terminum adquirit; sed cœlum non potest habere duo vbi diuersa: ergo cœlum non potest duplici motu moueri.

Respondetur ad minorem: Bene posse vnam, & eandem rem adquirere diuersa vbi simul, si moueatur per se, & per aliud, qua ratione mouentur nouem orbes inferiores.

Secundum argumentum: Fieri nequit, vt quis simul recedat, & accedat ad eundem terminum; at si cœlum moueretur simul ab Occasu ad ortũ, & è contra, simul recederet, & accederet ad eundem terminum ergo cœlũ non simul pluribus motibus mouetur.

Respondetur: Quod orbes cœlestes mouentur simpliciter ab ortu ad Occasum, ab Occasu autem ad ortum mouentur quadam ex parte, quatenus ad signa orientalia pergunt; vnde simpliciter accedunt ad occidentem, & simpliciter recedunt ab oriente, licet quadam ex parte accedant ad orientem, & recedant ab occidente. Quod autem ratione explicata id fieri possit, illustratur exemplo nautæ: nam si moueatur nauis aliqua ab oriente, ad occidentem maxima cum celeritate, nauta autem eodem tempore tardo ad modum gressus ambulet per nauim à proa in popam, hic plane simpliciter mouebitur ab ortu ad Occasum, eo quod motus nauis celerior est, quadam autem ex parte mouebitur ab Occasu in ortum.

QVAESTIO XV.

Vtrum figura Cœli sit rotunda, & circularis?

SIt conclusio: Figura Cœli est rotunda, seu circularis. Hanc conclusionem multis rationibus probat Arist. 2. de Cœlo cap. 4. eam tenent Plato, Ptholomeus, Pytagoras. Ex Sanctis verò Patribus D. Hieronimus super Epistolas ad Ephesios, qui grauiter reprehendit eos, qui Cœlum esse rotundum negant. Rationibus probatur. Primo, Cœlum est præstantissimum corpus, & omnia debet

complecti, & circulariter moueri; sed figura rotunda est præstantissima, & capacissima, & motui circulari mirum inmodum accommodata: ergo talis figura conuenit Cælo.

Secundo probatur conclusio: Si figura coeli non esset circularis, & rotunda, sed quadrata, vel alio modo plana, sequeretur, quod Astra nunc maiora, nūc minora apparerent, videlicet in Oriente, & in Occidente minora, quia magis distarent; in meridie autem maiora, quia viciniora essent; sed hoc est falsum, cum semper eiusdem magnitudinis appareant: ergo figura coeli non est quadrata, nec plana, sed rotunda, & globosa.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si figura cœli esset rotunda, & globosa, terra quoque rotunda, & globosa esset; sed hoc est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Probatur minor, nam si terra esset rotunda, ex ea parte, quæ nobis est aduersa omnia penderent. Item eorum hominum, qui ex aduersa parte essent, superiora essent vestigia, quam capita. Rursus Plantæ, & arbores deorsum versus crescerent. Denique pluuiæ, grandines, & niues sursum versus caderent in terram; sed hæc omnia sunt ridicula: ergo terra non est rotunda: ergo neque coelum.

Respondetur negando minorem; probationi, qua Lactantius Firmianus irridet eos, qui Antipodas, ideſt, homines in contraria parte terræ nobis aduersa commorantes concedebant, dicimus: hac de re nullam his temporibus esse quæstionem, quandoquidem nostri sæculi nauigationibus terram circularem esse, compertum est, neque arbores, plantæ, vel homines inaduersa nobis parte terræ pendent, imo naturaliter se gerunt, & versus centrum inhabitant, cum centrum sit in medio terræ. Vnde non magis pendent grauia, quę in ea parte sunt, quā quæ apud nos conspiciuntur.

Secundum argumentum. Ex natura Astrorum, & Planetarum, Cœlorum etiam naturam debemus agnoscere; sed Astra non sunt rotunda, sed plana, & oculis experimur in Sole, & Luna: ergo neque Cœlum est rotundum, sed planum.

Respondetur negando minorem: Astra enim globosa, & rotunda omnino sunt; nihilominus tamen Sol, & Luna plana videntur, cum tamen non sint ratione magnæ distantiæ, qua â nobis distant, vt docet Arist. in suis problematibus.

Tertium argumentum. Figura quadrata soliditatem designat, rotunda verò constantiam, hinc â veteribus, sapientia in quadrato, fortuna verò supra globum stans depingebatur: ergo cum Cœlum sit corpus solidum magis congruit figura quadrata.

Respondetur: Quod licet figurâ quadrata stabilitatem, ac firmitatem designet, tamen propter rationes in conclusione adductas, nullo modo est apta, & accomodata naturæ Cœlorum, forte autem Cœlum Empy-

reum

reum quadratum est, & non globosum, eo quod sit curia, & quasi theatrum ciuium Cœlestium, quod aliqui eliciunt ex illo Apocalipsis. 21. *Ciuitas in quadro posita est.*

Vltimum argumentum. Stellæ fixæ non semper habent eandem distantiam â terra: ergo Cœlum non constat figura sphærica. Consequentia patet: Antecedens probatur, quia Stellæ prope Oriçontem maiores nobis apparent, quam in medio Cœli; sed huius apparientiæ non potest assignari alia causa, quam maior, vel minor distantia: ergo Stellæ fixæ nõ sunt semper in eadem distãtia â terra.

Respondetur negando antecedens: ad probationem negatur minor; nam licet Stellæ fixæ prope oriçontem maiores nobis videantur, quam in medio Cœli, id tamen non prouenit à distantia, nam hæc semper æqualis est: sed prouenit à medio interuenientem crassitiem habente, illa enim, quæ per medium crassum, & densum videntur, maiora, & propinquiora apparent, vt patet in his, quæ per aquã conspiciuntur, hamus enim, & pisces in aqua propinquiores, & maiores apparent, quam extra ipsam; hinc etiam fit ex his, qui per conspicilia legunt litteræ maiores appareant: cũ igitur iuxta terram eleuetur semper magna copia vaporum, & exalationũ, fit, vt Stellæ prope orizontem per medium crassius, & densius videantur, proindeque maiores, ac propinquiores appareant, crassities enim interiecti medij per ipsum visa reddit grandiora.

QVAESTIO XVI.

Vtrum Cœlum sit visibile, solidum, & perlucidum?

PRima conclusio. Cœlum non est coloratum. Probatur, color est qualitas secunda: ergo non reperitur nisi vbi sunt qualitates primæ; sed Cœlo non innærent qualitates primæ: ergo, &c.

Secunda conclusio: Cœlum est corpus solidum, & firmum. Probatur, nobilissimo corpori, nobilissimæ debentur qualitates; sed inter illas nominantur soliditas, & firmitas: ergo istæ conueniunt Cœlo.

Secundo probatur: Quia corpus rarum facile dissecari, & diuidi potest in partes; sed Cœlum est omnino indiuisibile: ergo nulla ratione est rarum, sed densum.

Tertia conclusio: Cœlum est perlucidum. Probatur, nam perlucidum dicitur, quod visui per medium sui transitum præbet; sed hoc maximê conuenit Cœlo: ergo, &c. Probatur minor; nam experientia constat, visum percipere Astra in octauo Cœlo infixa, & omnes Planetas Luna superiores.

Secundo probntur: Si Cœlum non esset corpus translucidum, sed opacum, nulla ratione radij solares vsque ad nos peruenirẽt, neque Stellæ (quæ secnndum communem sententiam suum â Sole Splendorem mutuãt) possẽt â Sole Illuminari; sed hoc constat experientia esse falsum: ergo,

&c. Probatur maior ; nam Sol , vt quæstione sequenti dicemus, in quarto Cœlo sedem habet : si ergo alij Cœli non essent perlucidi , & transparentes, non posset extra eos suæ lucis radios diffundere.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Cœlum videtur cerulei coloris ; sed color est obiectum visus : ergo Cœlum est visibile.

Respondetur in Cœlo colorem nullum esse, illudique visum dum coloratum putat , quod coloratum non est.

Secundum argumentum. Densitas, & soliditas ex frigore nascitur; sed Cœlum non est frigori subiectum : ergo non est densum , vel solidum.

Respondetur : Quod licet in corporibus inferioribus densum ex frigore nascatur : cœterum in corporibus Cœlestibus nascitur densitas ex maiori vnione , & compactione partium.

Tertium argumentum. Cœlum Empyreum est splendidissimum ; & tamen non est sensu visus perceptibile : ergo Cœlestes orbes non sunt perlucidi , & transparentes. Consequentia probatur ; nam si orbes Cœlestes essent perlucidi nihil impediret , quo minus esset visibile Cœlum Empyreum.

Respondetur cum Abulensi super Genesim , & cum Eusebio 1. p. cap. 8. Cœlum Empyreum non videri à nobis ; quia aquæ , quæ supra Cœlum octauum sunt visum adimunt, & impediunt , quemadmodum bitumen in dorso speculi vitrei constitutum facit , quod visus noster ibi terminetur: esse autem aquas illas veras , & naturales docent D. August. super Genesim lib. ad litteram cap. 5. D. Basilius , & alij.

QVAESTIO VLTIMA.

In qua aliquæ difficultates explicantur ?

PRima difficultas est: Quo ordine sint disponendi Cœli?

Respondetur cum Ptholomeo , & communi consensu Astronomorum infimum locum tenere Cœlum Lunæ : Supra hoc, Mercurium collocari : Tertio loco: Venerem : Quarto, Solem : Quinto Martem. Sexto Iobem. Septimo , Saturnum. Octauo, Cœlum Stellatum. Nono , Coelum Christalinum , quod , & secundum mobile dicitur. Decimo , Primum mobile. Et vltimo Coelum Empyreum. Huius dispositionis ratio hæc est ; quia , quo magis orbis Coelestis recedit à natura Primi Mobilis . eo in inferiori loco ponendus est ; sed Luna inter omnes Planetas scitius ab occidente, in orientem fertur , in quo maximè à conditione ptimi mobilis recedit: ergo in inferiori loco ponendum est. Idem argumentum de alijs orbibus Coelestibus confici potest , vt videbitur difficultate vltima , huius

quæ-

quæstionis : Vbi de periodis durationis motuum Cœlestium erit sermo.

Secunda difficultas est: Vtrum orbes Cœlestes sint eiusdem speciei?

Respondetur negatiué cum D. Tho. 2. contra gentes cap. 92. & cum Ferrariense ibidem; nam vt ait Arist. 2. de ortu in eadem specie non multiplicantur singularia, nisi propter conseruationem speciei; sed orbes Cœlestes cum sint omnino incorruptibiles ad sui conseruacionem non egent multiplicatione individuorum in eadem specie: ergo vnumquodque Cœlum erit diuersæ speciei ab alio.

Tercia difficultas: An materiæ omnium orbium Cœlestium sint eiusdem speciei, & rationis?

Respondetur negatiuè, cum Alberto Magno tr. 2. de 4. coeuis, & Caietanus 1. p. q. 66. art. 2. nam quorum materia est communis, ea possunt ad inuicem transmutari, vt dicitur 1. de ortu cap. 6. & 7. sed orbes Cœlestes non possunt ad inuicem transmutari: ergo non habent materiam communem.

Quarta difficultas est: Vtrum Cœli, quo sunt superiores eo sint nobiliores?

Albertus 12. Metaph. tex. 44. & Simplicius 2. de Cœlo, & communiter omnes Astronomi arbitrantur Cœlum Solis esse Reliquis præstantius: Arist. tamen sententia, quam omnes Peripatetici amplectuntur, tenet Cœlos, quo superiores eo esse nobiliores, ita vt Cœlum Empyreum sit nobilius primo mobili: Primum mobile sit nobilius secundo mobili, & hoc sit præstantius Cœlo Stellato, & ita de aliis. Et probatur Ratione; nam omne continens est præstantius contento; sed cœlum superius continet inferius: ergo est præstantius ipso.

Secundo probatur; nam eadem ratione Philosophandum est de corporibus simplicibus Cœlestibus, & de corporibus simplicibus sublunaribus; sed corpora simplicia sublunaria, quæ sunt elementa, quo sunt superiora eo sunt nobiliora; ignis enim præstantior est aere, aer aqua, &c. ergo idem dicendum est de corporibus Cœlestibus.

Tertio probatur ex Arist. 8. Physicorum, in maiori corpore maior est virtus, & perfectio; sed Cœli quo sunt superiores eo sunt maiores: ergo etiam præstantiores.

Dices: Omnia corpora Cœlestia pendent à Sole à quo lumen accipiũt: ergo Cœlum Solis est præstantius cœteris: ergo falsa est Arist. sententia.

Respondetur negando antecedens; nam licet omnia corpora Cœlestia accipiant Splendorem à Sole, cum Sol sit origo, & fons totius luminis, ipse tamen Sol à corporibus Cœlestibus vires accipit, quas vocant occultas, quibus mirabiles in his sublunaribus effectus producit.

Quinta difficultas est: Quo fine cœlum moueatur?

Respondetur cum D. Tho. q. 5. de potentia, art. 3. &. lib. 3. contra gen-

gentes capit. 23. & lib. 4. cap. vlt. quod Cœlum cum sit corpus perfectissimum non mouetur, vt aliquam sibi perfectionem adquirat, sed propter bonum, & perfectionem horum inferiorum, est enim motus Coeli causa efficiens coeterorum motuum, qui fiunt in his inferioribus, vt dicitur in 2. de coelo cap. 1. & hinc est, quod post vltimum Iudicij Diem, post quem non erunt generationes, nec motus rerum inferiorum, cessabit naturaliter motus coeli, & naturaliter coelum quiescet.

Sexta difficultas est: Vtrum motus coelestis dignitate vincat omnes alios motus?

Respondetur affirmatiuè: quia omnis causa vniuersalis, & prima nobilior est suo effectu; motus autem coeli est causa reliquorum motuum. Secundo; quia motus coeli est maximè vniformis, & inuariabilis. Tertio; quia illius principium effectiuum, est omnium perfectissimum, videlicet Angelus. Denique, quia maior duratio motus, maiorem etiam perfectionem mobilis arguit si sint coetera paria, & motus coeli maioris durationis est, quã vllus alius motus.

Septima difficultas est: An orbes coelestes suo motu sonum aliquem efficiant?

Pytagorici tertè Arist. 2 de coelo cap. 9. affirmabant: Negat tamen Arist. Primo; quia omnis sonus fit vi, & attratione, quæ in corporibus reperitur, sed in corporibus coelestibus, non est attratio corporum cum sint optimè rotunda, & leuigata, idest ordinata & æqualiter conuertuntur: ergo vera est sententia Arist. Deinde, quia mirum esset, quod talis sonus à nullo hominum audiretur, cum certum sit, quod esset maximus si esset.

Octaua difficultas est: Quanto tempore orbes coelestes suam conuersionem absoluant?

Respondetur: Quod primum mobile suæ conuersionis integrum cursum absoluit ab ortu ad Occasum 24. horis æqualibus, quæ dicuntur horæ æquinoxiales: Nonus orbis, qui mouetur motu trepidationis ab Occasu ad ortum vnam conuersionem efficit, quadraginata nouem millibus annis: Saturnus triginta annis: Iupiter duodecim: Mars duobus: Sol vno anno: Hoc est tercentum sexagintaquinque diebus, & sex horis, minus duodecim minutis: Venus circiter vndecim mensibus: Mercurius decem mensibus plus, minusue: Luna verò viginti septem diebus, & octo horis.

(?)

DISPV-

DISPVTATIO III.

DE ASTRIS.

QVÆSTIO PRIMA.

DE HIS, QVÆ CONVENIVNT Astris in communi.

OPinio quorundam fuit; vt docet D. Tho. 1. p. q. 67. art. 3. lucem esse formam substantialem corporum lucentium: Et ex consequentis Astrorum, quæ semper maximo Splendore lucent, quod probant quibusdam argumentis postea tradendis.

Sit conclusio: Lux non est forma substantialis alicuius corporis lucidi, sed est forma quædam accidentaria, vt qualitas corporis translucidi. Ita Arist. 2. de anima cap. 7. D. Tho. loco citato, & est communis. Et probatur ratione; nulla substantia est per se visibilis, sed per accidens; sed Lux est per se visibilis: ergo Lux nõ est forma substantialis.

Secundo probatur; nequeunt duæ formæ substantiales in eadem materia simul consistere: Sed in aere propriam formam retinente recipitur Lux à Sole: Vel ab igne diffusa: ergo Lux non est forma substantialis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Lux ex D. August. 2. de libero arbitrio est longe nobilior auro; sed aurum est forma substantialis: ergo, & Lux.

Respondetur: D. August. venire intelligendum, de nobilitate accidentali, videlicet quantum ad extrinsecam pulchritudinem, & decorem.

Se-

Secundum argumentum. Lux non est qualitas corpori lucido inhærens: ergo erit forma substantialis illius. Probatur antecedent ; omnis qualitas subiecta sensibus habet contrarium, vt albedo nigredinem, & frigus calorem, siccitas humiditatem; sed lumini nihil est contrarium : ergo lumen non est qualitas. Probatur minor ; nam si lumini esset aliquid contrarium, maximè tenebræ, hæc autem non opponuntur contrariè, sed priuatiuè.

Respondetur negando antecedens; probationi negatur maior; nam figutæ sunt qualitates sensibus perceptibiles; & tamen non habent contrarium, est autem peculiari luci carere contrario, quia est propria, & peculiaris affectio corporis Cœlestis, cui nihil est contrarium.

QVAESTIO II.

Vtrum naturæ Astrorum sint eiusdem rationis cum orbe in quo sunt?

IN præsenti non inuestigamus: An natura Astrorum sit eiusdem, vel diuersæ rationis à natura rerum sublunarium? De hac enim difficultate idem sentiendum est, atque de illa in qua explicauimus, An natura Cœlorum esset diuersa à natura sublunarium? Non item quærimus: Vtrum Astra vnius orbis differant ab Astris alterius? Certa enim est hac in re, pars affirmatiua. Solum ergo versatur in dubium : Vtrum Astra differant ab orbe in quo sunt? Et etiam An Astra eiusdem orbis inter se specie distinguantur? Videlicet Astra Octauæ Sphæræ.

Prima conclusio : Astra distinguuntur specie sub orbe in quo sunt. Habetur ex D. Tho. 2. de Cœlo lect. 10. Et Soncinate lib. 2. Metaphysicæ q. 10. Et probatur Ratione ; quæ sunt eiusdem rationis, & speciei habent eadem proprietates essentiales, operationes, & effectus eiusdem rationis, & speciei ; sed Stellæ non habent eadem proprietates, actiones, & effectus, cum ipso orbe in quo sunt: ergo non sunt eiusdem rationis, & speciei. Minorem probant Astronomi, multis adductis instantijs; nam Astra sunt densiora Cœlo; sunt splendidiora ipso; sunt perceptibilia visu, & multo aliter influunt in hæc inferiora, quam Cœlum : ergo vera est minor.

Secunda conclusio : Astra eiusdem orbis, videlicet octauæ distinguuntur specie inter se. Ita Soncinas 12. Metaph. q. 10. & probatur individua multiplicantur sub eadem specie propter conseruationem speciei; sed Astra cum sint incorruptibilia non egent ad sui conseruationem multiplicatione individuorum: ergo vnumquodque Astrum est suæ speciei, & differt vnũ ab alio.

CONTRA SVPERIORA

¶ Primum argumentum. sicut elementa distinguuntur specie ratione loci, & situs, ita orbes Cœlestes; sed Stellæ eundem situm habent, & in eo-

dem

dem loco perseuerant cum suo orbe: ergo non distinguntur ab ipso.

Respondetur negando consequentiam: Quod enim sufficit ad inferendam distinctionem, non sufficit ad inferendam identitatem, seu affirmationem: v. g. bene valet lapis non est animal: ergo non est homo: ergo distinguitur ab homine: non tamen valet, aliquid est animal: ergo est homo, vel identificatur cum homine: capra enim est animal, & tamen non est homo; Pari ratione; quamuis ex diuersitate loci, & situs, quam habent elementa inter se inferatur optimè, distinctio specifica elementorum, non proinde ex identitate loci, & situs identitas specifica infertur, vt constat in multiplici specie animantium, quæ in eadem terra tanquam in naturali loco victitant.

Secundum argumentum. Partes alicuius totius sunt eiusdem speciei cum suo toto; sed Astra sunt partes ipsius cœli in quo sunt: ergo sunt eiusdem speciei cum ipso.

Respondetur negando minorem; nam quemadmodum claui non sunt parte rotæ, licet solum ad motum ipsius rotæ moueantur; ita licet Astra moueantur ad motum orbis in quo sunt, non inde infertur, quod sint partes ipsius. Imo neque Astra cõtinuantur cum ipso cœlo, sed tantum cõtiguantur, quæ enim sunt diuersę speciei continuari non possunt.

(?)

QVAESTIO III.

Vtrum omnia Astra solum habeant lumen à Sole?

MVlti ex Antiquis existimarunt omnes Planetas, & Sydera mendicare lumen à Sole: Alij verò solam Lunam à Sole illuminari existimarunt, reliqua verò Astra habere lucem sibi propriam.

Sit prima conclusio: Tam Stellæ fixæ, quam Planetæ omnes habent lumen, & Splendorem à Sole. Hæc conclusio, communis est inter Astrologos, & Philosophos, qui propter hanc causam Solem, mundi oculum, atque totius Splendoris fontem appellant. Ratione probatur. Luna habet lumen à Sole: ergo, & reliqua Astra. Antecedens constat; nam Luna pro vario ad Solem accessu, & recessu variè illustratur, diuersasque inducit figuras, modo curbata in cornuo, modo orbe Plano apparens: ergo Luna illuminatur à Sole.

Secundo probatur: Quia Planetæ quo magis Soli appropinquantur, eo magis lucent; quia nimirum magis à Sole illuminãtur: ergo vera est conclusio. His adde, quod propter hanc causam Sol in medio Planetarum collocatus est; appellaturque ab Astrologis Planetarum cor; quia quemadmodum cor omnibus partibus corporis impartitur vitam, ita Sol omnibus Astris, & Planetis Splendorem communicat.

Secunda conclusio: Astra, & Plane-

tæ aliquid lucis ex se possident, non mendicatum à Sole. Probatur, quia Luna, quæ ad cuiusque aspectum est manifesta, habet naturalem, & propriam lucem: ergo, & alia Astra. Probatur antecedens, nam in Ecclipsi Lunæ aliquis Splendor in ipsa Luna respicitur, qui non potest esse à Sole, cum inter Solem, & ipsam sit interposita terra.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si non solum Luna, verum etiam alij Planetæ, & Sydera fixa haberent lumen à Sole, non solum Luna, sed etiam aliæ Stellæ Ecclipsim paterentur; sed hoc est falsum: ergo, &c. Sequela probatur; nam Ecclipsis Lunæ provenit ex hoc, quod interponitur terra inter ipsam, & solem: Ipsa autem, solum à Sole lucem habet; sed etiam terra interponitur inter Solem, & alia Sydera: ergo etiam alia Sydera paterentur Ecclipsim si Splendorem suum totum mendicaret à Sole.

Respondetur negando sequelam: probationi dicitur: Ex eo alia Astra à Luna distincta non pati Ecclipsim, quia numquam ita Soli opponitur, quam ab ipsa irradientur; tum quia terra, quæ interponitur inter Solem, & alia Astra est ad instar puncti, & Astra sunt multo maiora, quam Luna, & etiam omnia Astra, quæ sunt supra Solem sunt multo maiora, quam terra, vt infra dicemus.

Secundum argumentum. Si Mercurius, & Venus non essent corpora luminosa ex se, sed solum a Sole illuminarentur, cum possint inter Solem, & nostrum aspectum directè poni, Solis Ecclipsim causarent; sed hoc experientia constat esse falsum, solum enim Ecclipsatur Sol propter interpositionem Lunæ inter ipsum, & nos: ergo Sydera non accipiunt lumen a Sole.

Respondetur: Numquam Venerem, vel Mercurium inter poni directè inter nos, & Solem; natura ita prouidente; quia is effectus, & Ecclipsis Solis ex interpositione horum Planetarum proueniens, valde foret his inferioribus nexius. Vel dicito Venerem, Mercurium esse Splendidiores Luna, quamuis Luna; quia vicinior nobis Splendidior appareat inde que prouenire, quod interpositione Veneris, & Mercurij inter nos, & Solem, non causatur Ecclipsis, causatur tamen ex interpositione Lunæ.

QVAESTIO IV.

Vtrum Astra per se, & non per aliud moueantur?

SIt conclusio: Astra non mouentur per se, sed ad motum orbis in quo sunt. Communis est hæc conclusio, inter Astronomos, & Philosophos, qui dicunt Astra moueri in coelo, sicut nodi in tabula lignea, & claui in rota; sed nodi non mouentur per se, sed ad motum tabulæ, & similiter claui ad motum rotæ: ergo Astra non monentur per se, sed per aliud.

Se-

Secundo probatur ; si Astra per se mouerentur , vel mouerentur ab intrinseco, vel ab extrinseco ; sed neutro modo: ergo, &c. Probatur minor; in primis , non ab intrinseco , cum hic motus sit proprius viuentium, Stellæ autem viuentes non sunt : Vnde in Sacra Synodo constantinopolitana, sic dicitur : *Si quis dixerit Cælum , Solem , Lunam , & Stellas animantes quasdam esse, anathema sit.* Quod vero non moueantur ab alio constet, est enim communis sententia , totum Cœlum cum Stellis , vel Stellis in eo existentibus ab vna intelligentia moueri : ergo Stellæ non mouentur per se ab alio,

Obijciet aliquis : Astra , vt diximus non continuantur cum ipso Cœlo: ergo nō mouentur ad motum Cœli: ergo per se mouentur.

Respondetur negando consequentiam : Ad hoc enim vt aliquid moueatur ad motum alterius, non requiritur , quod continuetur cum ipso: Imo si continuaretur impropriè diceremus, quod moueretur ad motum alterius , quæ enim continuantur vnum sunt , certè claui mouentur ad motum rotæ , & quis dicet esse clauos cum rota continuos , cum manifestè constet esse diuersæ speciei.

QVAESTIO V.

Vtrum Astra sint sphericæ figuræ?

SIt conclusio : Omnia Astra sunt figuræ circularis. Probatur; nam hæc figura maximè conducit, vt corpora illa lumi ossa in omnem partem æqualiter lumen diffundere possunt. Item hæc figura aptior est , vt Astra plenius â Sole vndique illustrentur : ergo Astra sunt figuræ circularis.

Secundo probatur: Luna cum illius lumen circulariter augeatur , & minuatur absque dubio rotunda est; sed eadem est ratio de alijs Astris : ergo omnia Astra sunt rotunda.

Sed dices : Stellæ videntur irradiatæ , & in picturis etiam hanc sibi figuram vindicarunt : ergo Stellarum figura non est circularis , & rotunda.

Respondetur : Stellas videri irradiatas ratione luminis circulariter se diffundentes.

QVAESTIO VI.

De quantitate continua , & discreta Stellarum fixarum.

SIt prima conclusio : Stellæ fixæ de quibus Astronomi cognoscunt, & differunt , sunt numero millæ viginti duæ. Hæc est communis sententia omnium Astronomorum. Procuius intelligentia notandum est, quod Stellæ, seu Astra sunt in duplici differentia: Alia dicuntur fixa, quæ habent sedem in eadem Sphera, videlicet octaua , quæ ob hanc causam Stellata , seu Syderata vocatur. Dicitur etiam firmamentum ; quia habent in se Stellas firmas , & fixas. Dicuntur autem fixæ ; quia nunquam variant distantiam , & propinquitatem

ad inuicem: Alia dicuntur Astra errantia, quia non seruant eandem distantiam semper inter se, cum sint in diuersis Cœlis inæquali motu se mouentibus: Præsens ergo conclusio de Stellis fixis intelligenda est.

Secunda conclusio: Stellæ fixæ in rei veritate sunt plures, quam millæ, & viginti duæ. Probatur; nam Genesis cap. 15 dictum fuit Abrahæ: *Inspice Cœlum, & numera Stellas si potest.* D. etiam August. lib. 16. de ciuitate Dei cap. 23. sic ait: *Quicumque vniuersum Stellarum numerum comprehendisse, & conscripsisse iactantur eos libri huius*, idest Geneſis contemnit Auctoritas: ergo vera est conclusio.

Tertia conclusio: Sex ab Astrologis differentiæ magnitudinum Stellarum fixarum distinguntur. Stellæ primæ magnitudinis sunt. 15. & vnaquæque earum est centum, & septem vicibus maior terra. Stellæ secundæ magnitudinis, sunt 45. & vnaquæque earum est nonaginta vicibus maior terra. Stellæ tertiæ magnitudinis sunt. 208. & vnaquæque earum est septuaginta vicibus maior terra. Stellæ quartæ magnitudinis sunt. 474. & vnaquæque earum est quinquaginta vicibus quatuor maior terra. Stellæ quinquæ magnitudinis sunt 207. & vnaquæque earum est triginta vicibus maior terra. Stellæ sextæ magnitudinis sunt 63. & vnaquæque earum est decem, & octo vicibus maior terra.

Sed obijciet aliquis: Arist. de Cœlo cap. 12. agnouit in Cœlo Stellas ferè innumerabiles. Insuper in lacteo circulo quam plures apparent, quæ neque præexiguitate agnosci, neque præ multitudine numerari possunt: ergo Stellæ non possunt aliquo certo numero comprehendi, & sic frustra de quantitate discreta earū fumus locuti sed ad hoc satisfactum est.

QVAESTIO VII.

De Stellis errantibus, seu de Planetis.

SAturnus Planetarum primus, est Sydus ferale, & noxium, frigidum, & siccum, & colore plumbeum, Ordo mensium, quibus fœtus in vtero gestatur ordini Planetarum correspondet, videlicet primus mensis, Saturno: Secundus Ioui, &c. Et rursus octauus mensis Saturno: Nonus Ioui. Et hæc inter alias est causa propter quam partus octaui mensis vitalis non fit, vt in plurimum; quia Saturnus sua feritate, & frigiditate infantuli vires diminuit: Saturnus melancoliam causat, capiti humano correspondet, ei subest ex metalis plumbeū, eius magnitudo est nonaginta vicibus maior terra, præest primæ horæ diei sabbati; vnde ab Antiquis dies sabbati, dies saturni dicebatur.

Iupiter secundus Planeta est, colore clarus, calidus, & humidus, sanguini dominator, est enim sanguis calidus, & humidus: Vnde propter suam naturalem qualitatem, principium vitæ mœreretur vocari, quam ob causam de pingitur ceptrum manu teneus, quasi vitæ imperator, atque

que largitor, corpori humano correspondet, ex metallis ei subest stannum, est nonaginta vicibus maior terra, præest primæ horæ diei Iouis.

Mars tertius Planeta coloris est ignei, calidus, & siccus, correspondet feli, ætate virili præest, ei subest ex metalis ferrum, est vna vice, & dimidia, & aliquid amplius maior terra, præest quæ primæ horæ diei Martis, cui denominationem præbet.

Sol, mundi oculus, iucunditas diei, Cœli pulchritudo, luminare maius, & Planetarum, & Stellarum omnium princeps, est calidus, & siccus, sanguini dominatur, cordi correspondet, iuuentuti præest, ei subest ex metalis, aurum, est centum quinquaginta quinquæ vicibus maior terra; præest primæ horæ diei Dominicæ, ob hanc quæ causam dies Dominica ab antiquis dies Solis vocabatur.

Venus, colorem fulgentem, & resplēdentē habet, est frigida, & humida: ætati adolescentiæ præest: Ex metalis ei subest, æs. & est tercentos septem vicibus minor terra; præest, primæ horæ diei Veneris.

Mercurius, colore fuscus determinatam qualitatem non habet, ori, & linguæ correspondet, pueritię præest, ex metalis ei subest argentum viuum, est duobus milibus centum nonaginta vicibus quinque minor terra, præest quę primę horę diei mercurij.

Luna, quam Arist. lib. 4. de generatione animalium cap. vlt. minorem Solem vocat, est frigida, & humida, præest infantię ei subest ex metalis argentum; est centum triginta quatuor vicibus minor terrę, præestque primę horę diei Lunę.

Ex dictis duo colligantur: Primum est, omnes Stellas, tam fixas, quam errantes esse maiores terra; tribus dūtaxat Planetis exceptis, Venere scilicet, Mercurio, & Luna. Secundo colligitur, Solem esse inter omnia Astra maximum; Mercurium autem minimum.

Dices: Quare Planetę, non correspondent diebus septimanę suo ordine, ita vt prima die præsit Saturnus; Secunda Iupiter, &c?

Respondetur; quod Planetę successiuè correspondent per horas diei sabbati, quę quidem dies erat prima dierum apud Antiquos, quia tali die requieuit Deus â mundi fabrica: Saturnus itaque dominatur in prima hora istius diei: Iupiter in secunda: Mars in tertia: Sol in quarta: Venus in quinta: Mercurius in sexta: Luna in septima: Et rursus Saturnus; in octaua, & sic de aliis successiue vsque ad horam vigesimam quartam, quę est finis diei, quę Marti correspondet, & vnicuique conspicienti poterit innotescere. Cum ergo non sint plures horę in die illo naturali, & Planetę dominentur successiuè, statimque post Martem sequatur Sol, fit consequens, vt Sol dominetur in prima hora diei sequentis â quo dicebatur dies Solis, similique computatione, Luna dominari dicitur prima hora diei sequentis, & sic de aliis Planetis, & inde prouenit dominatio dierum septimanę.

Ve-

Verum est tamen, quod Christiani denominationes istas eo, quod a Gentilibus essent inuentę mutare cupientes primum septimanę diem vocarunt diem Dominicum, siue feriam primam: Dominicum quidem; quia eo die natus est Dominus, & surrexit, Spiritumque Sanctum super Apostolos misit, mundoque principia dedit: Feriam autem, quia feriari idem est, quod agere festum, & ab opere, cessare: Secundamque diem, secundam feriam appellarunt, & sic de aliis vsque ad septimam diem, quam secundum morem Hębreorum sabbatum nuncuparunt, vt sic omnibus innotescat, nos non more Hębreorum sabbatum, sed diem Dominicam Celebrare.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum corpora Cœlestia influant in hæc inferiora?

Sit prima conclusio: Corpora Cœlestia influunt in hęc inferiora. Hęc conclusio est communis inter omnes Philosophos, & Astrologos, & probatur ex Arist. 2. Physicor. cap. 2. vbi ait: *sol, & homo generant hominem.* Et 12. Metha. cap. 6. perpetuitatem ortus, & interitus in his inferioribus, ad motum primi mobilis reducit.

Secundo probatur. Ex eo diximus in PHysicis: Naturam detestari vacuum; quia si daretur vacuum influxus Cœlestis non posset ad corpora sublunaria deuenire: ergo concedimus dari influxum Cœlestem in his inferioribus.

Tertio probatur experientia, qua videmus Solem tuo accessu, & recessu varias temporum mutationes effiere: ergo, &c.

Secunda conclusio: Motus corporum Cœlestium est causa cęterorum motuum, qui fiunt in his inferioribus. Ita Arist. 2. de Cœlo cap. 1. & alibi sępe. Ratione probatur: Primū in vnoquoque genere est causa cęterorum ex Arist. 2. Methaph. cap. 1. sed motus Cœli est primus omnium motuum, vt dicitur 8. Physicor. ergo est causa omnium motuum horū inferiorum.

Hęc conclusio: Intelligenda est de motu propriè dicto, qui mensuratur tempore; nam actiones intelligendi, & volendi, quantum est ex sua natura, non pendent ab influentia corporum Cœlestium, sed solum pendent a Deo, tanquam a primo principio, si quidem Deus est primum verum: Ac per consequens primum principium intelligendi, & est summum bonum, & ex consequenti primum principium volendi.

Sed dices: Ex Arist. 1. de ortu cap. 7. *omne agens id circo agit, vt sui similitudinem in effectu exprimat*; sed corpora Cœlestia nequeunt sui similitudinem in effectu exprimere; non enim alia corpora Cœlestia possunt producere: ergo non influunt in hęc inferiora.

Respondetur maiorem esse veram, & intelligenda de causa vniuoca, & propria, cuiusmodi est homo respectu

ctu alterius; non autem de causa equi uoca, & vniuersali, cuiusmodi sunt corpora Cœlestia respectu horum inferiorum.

Ex dictis colligitur: sublato motu Cœli, omnes motus horum inferiorum cessare debere; vt docet D. Tho. 1. p. q. 115. art. 3. nam sublata prima causa, & vniuersali, necesse est, quod tollantur illius effectus dependentes ab ea in fieri, & conseruari; sed motus corporum Cœlestium est causa prima, & vniuersalis omnium motuum inferiorum: ergo cessante motu Cœli omnes motus inferiores cessarent.

DISPVTATIO IV.
DE ELEMENTIS.

QVESTIO PRIMA.

VTRVM ELEMENTA COMPONANTVR ex materia, & forma?

OBseruandum est primo: Arist. disputare de elementis in secundo libro de ortu, in 3. & 4. de Cœlo alia tamen, & alia ratione. In secundo enim libro de ortu disserit de elementis, quatenus sunt mixtorum principia, & vicissim generantur & corrumpuntur. In tertio autem libro de Cœlo; disputat de elementis, quatenus sunt partes principales vniuersi. In quarto denique, de eisdem agit quatenus mobilia secundum locum.

Obseruandum est secundo: Arist. 5. Methaph. cap. 3. sic diffinire elementum: *Id ex quo res componitur, nec potest in alia diuidi, quæ specie differant*: Prima particula est, *ex quo*, per quam insinuatur elementa habere locum materiæ, non primæ, sed proximæ: Secunda particula est, *res componitur*; quia elementa relationem dicunt ad mixtum, cuius sunt elementa, in quo maximè distinguntur a Cœlis. Altera particula est: *Nec potest diuidi in ea, quæ differunt specie*: Per quam elementa distinguntur a mixtis imperfectis, quæ ex elementis

componuntur, suntque diuisibilia in ea, quę specie differunt: Tota hęc diffinitio conuenit materię primę.

Vnde magis propria est diffinitio, quam tradit Arist. 3. de Cœlo cap. 3. vbi ait, elementum, *esse corpus in quod mixta dissoluuntur, & in eis est virtualiter, nec potest dissolui in differentibus specie.* Per primam particulam, quę est, *corpus*, reijciuntur materia, & forma, quę corpora non sunt: Secunda particula est; *in quod alia corpora dissoluuntur*; nam omnia corpora mixta immediate dissoluuntur in quatuor elementa: Tertia particula, *& in eis est virtualiter:* Designat elementa manere virtualiter in mixto, vt dicitur 2. de ortu, & interitu: Vltima particula constat ex alia diffinitione.

Prima conclusio: Necessario sunt concedenda elementa. Probatur; nam motui simplici correspondet aliquod corpus simplex; sed præter motuum circularem, qui conuenit corporibus Cœlestibus, datur duplex motus simplex, videlicet motus sursum, & deorsum: ergo præter corpora Cœlestia erunt admittenda alia corpora simplicia, cuiusmodi sunt elementa, videlicet ignis, & aer, quibus est connaturalis motus sursum, cum sint leues; & aqua, & terra, quibus est connaturalis motus deorsum, cum sint graues.

Secunda conclusio: Elementa componuntur ex materia, & forma. Probatur; nam elementa sunt corpora naturalia ad Physici considerationem spectantia; sed omne corpus naturale est compositum ex materia, & forma. ergo, &c.

Secundo probatur: Quamuis elementa non possint secundum se tota corrumpi, possunt tamen secundum partes; sed radix corruptionis est materia: ergo elementa componuntur ex materia; Hęc nequit existere sine forma: ergo, &c.

Sed dices: Elementa sunt corpora simplicia: ergo excludunt omnem compositionem, atque ita non componuntur ex materia, & forma.

Respondetur negando consequentiam; nam vt corpora, simplicia dicantur, sufficit, quod non componantur ex elementis: Si enim elementa ex elementis componerentur procederemus in infinitum, quod est maximum inconueniens: Vnde corpora Cœlestia, simplicia dicuntur: quia licet componantur ex materia, & forma, non tamen admittunt compositionem elementalem, vt dictum est disp. 2. de Cœlo: Pari ratione dicendum est de elementis.

QVAESTIO II.

In qua aliquæ difficultates breuiter explicantur?

DE numero elementorum, & de forma substantiali, & accidentali; nec non de transmutatione mutua, quę fit ex elementis, ex professo disputabimus 2. lib. de ortu, ibi consulenda erunt, quę hic desiderari videntur, non enim vocat eadem in vti-

liter

liter repetere in particulari: igitur eas solas difficultates explicabimus, quæ huius loci propriè videbuntur.

Prima difficultas est: Vtrum elementa sint grauia, & leuia?

Non tandem est: Qualitates conuenientes ipsis elementis esse in duplici differentia: Aliæ dicuntur qualitates agentes, & huiusmodi sunt primæ qualitates, videlicet humiditas, siccitas, caliditas, & frigiditas; quæ id circo agentes appellantur, quia mediis illis vnum elementum agit in alterum, ipsum alterando, & corrumpendo, & de his qualitatibus disputatur 2. de ortu: Aliæ sunt qualitates mouentes, quæ sunt principium motus localis, earumque disputatio ad libros de Cœlo spectat, & huiusmodi sunt grauitas, & leuitas.

Sit conclusio: Terra est simpliciter grauis: Ignis simpliciter leuis: Aer autem, & Aqua sunt partim graues, & leues. Ita Arist. 1. de Cœlo cap. 3. & lib. 4. cap. 4. vbi ait; *quod omnibus subest est simpliciter graue, quod omnibus eminet est simpliciter leue, quod quibusdam subest, & quibusdam eminet est partim graue, & partim leue*; sed terra simpliciter subest omnibus corporibus, ignis simpliciter eminet corporibus sublunaribus: Aer subest igni, & eminet aliis elementis aqua eminet terræ, aliis autem elementis subest: ergo vera est conclusio.

Secunda conclusio: Leuitas ignis, & leuitas aeris sunt diuersæ speciei. Probatur; motus rectus ignis, & motus rectus aeris sunt specie diuersi; sed leuitas in vtroque eorum est principium proximum talis motus: ergo sunt diuersæ speciei. Idem dicendum est de grauitate terræ, & grauitate aquæ.

Tertia conclusio: Elementis medijs cuiusmodi sunt aer, & aqua, qualitates mouentes, videlicet grauitas, & leuitas, non sunt mixtæ, sed simplices. Probatur: aer, & aqua sunt corpora simplicia; sed corporibus simplicibus conuenit motus simplex, ex Arist. 1. de Cœlo cap. 2. ergo motus aquæ, & aeris est motus simplex; sed motus simplices requirunt qualitates mouentes simplices: ergo qualitates mouentes in aere, & aqua sunt simplices. Nec obstat, quod Arist. huiusmodi elementa nuncupauerit partim grauia, & partim leuia; quia enim penuria vocabulorum laboramus, qualitates mouentes horum elementorum nequeunt aliter commode explicari.

Secunda difficultas est: Quænam qualitates sint priores in elementis? Mouentes ne? An agentes? Notandum est duobus modis esse vnum prius altero, vt ad præsentem attinet institutum, videlicet perfectione, & origine: Quo posito.

Sit prima conclusio: Prioritate perfectionis, qualitates mouentes, scilicet grauitas, & leuitas sunt priores qualitatibus agentibus. Probatur conclusio; ex Arist. 8. Physic. cap. 7. motus localis præstantior est, quã motus alterationis; sed grauitas, & leuitas sunt principia motus localis, qualitates verò agentes sunt principia alterationis: ergo, &c.

Secundo probatur : Elementa habent duplicem finem : Alterum potissimum, & primarium, qui est ad quisitio loci naturalis : Alterum verò secundarium, & minus præcipuum, videlicet esse partes mixti; sed per qualitates mouentes, videlicet per leuitatem, & grauitatem asequuntur elementa finem primarium, videlicet consistentiam in loco naturali, per qualitatem autem agentē assequuntur finem minus præcipuum, & secundarium, videlicet componere mixtum: ergo vera est conclusio.

Secunda conclusio : Prioritate originis qualitates agentes sunt priores qualitatibus mouentibus. Probatur ex Arist. 2. de partibus animalium cap. 1. vbi ait *grauitatem, & leuitatem sequi ex primis qualitatibus, videlicet ex qualitatibus agentibus* : ergo vera est conclusio.

Dices : Est ne solus calor causa leuitatis, & sola frigiditas causa grauitatis?

Respondetur negatiuē; nam si sola frigiditas v. g. esset causa grauitatis, cum aqua non sit minus frigida quam terra, esset grauis eque, ac terra, quod est falsum: dicendum ergo est vnam solam qualitatem agentem, non posse esse causam alterius qualitatis mouentis; sed necessario grauitas, & leuitas sequuntur comunationem qualitatum agentium.

Tertia difficultas est : Vtrum elementa in suis locis naturalibus habeā grauitatem, vel leuitatem?

Respondetur cum distinctione, grauitas, & leuitas possunt dupliciter considerari, videlicet in actu primo quatenus sunt proprietates consequentes formas grauium, & leuium : et in actu secundo, quatenus scilicet actualiter impellunt ad motum : Hoc posito.

Sit prima conclusio : Loquendo de grauitate, & leuitate primo modo, elementa, siue sint in loco naturali, siue extra, semper habent leuitatem, & grauitatem. Probatur conclusio: nam istæ qualitates sunt in hoc sensu naturales vires elementorum : ergo non possunt separari ab ipsis.

Secundo prodatur conclusio : Per eandem facultatem tendit elementum in suum locum naturalem, & in eo quiescit ; sed graue media grauitate in suum locum naturalem tendit, & leue media leuitate : ergo cum elementa sint in locis naturalibus ibi sunt media grauitate, & leuitate.

Secunda conclusio : Si sermo fiat de grauitate, & leuitate in secundo sensu, elementa in suis locis naturalibus non sunt grauia, nec leuia. Probatur experientia, qui enim est in profundo aquæ quamuis ingentem supra se habeat quantitatem aquæ nullum pondus experitur. Item qui haurit aquam, non percipit pondus, quo ad vsque extrahat ab aqua amphoram. Ratione probatur; si elementa in suis locis naturalibus haberent grauitatem, & leuitatem impelentem ad motum ibi violenter quiescerent; sed hoc est â perte falsū: ergo, & illud ex quo sequitur.

(?)

QVAES-

QVAESTIO III.

De ordine, situ, & figura elementorum.

PRima difficultas est. Vtrum elementa naturaliter tendant ad sua loca naturalia?

Respondetur affirmatiuê: Experientia enim comprobatur elementa impetu naturæ ferri ad sua loca naturalia; v. g. nullo impellente, aer, & ignis, qui sunt leues, sursum; terra, & aqua, quæ sunt graues, deorsum.

Secunda difficultas est: Vtrum elementa possint naturaliter desinere suum locum naturalem?

Respondetur; quod secundum naturam communem, & vniuersalem omnia corpora, & per consequens etiam elementa suum locum deserunt ne detur vacuum. Dubium autem solum est loquendo de elementis secundum naturam specialem, & quidem de elementis extremis res est aperta ea à suis locis non moueri, cum non sit locus superior ad quem ignis ascendat, nec sit grauitate præditus, vt possit inde descendere, similiter terra infimum locum occupat: Vnde non potest descendere, nec leuitatem habet, vt possit ascendere.

De elementis autem mediis dubiũ est: Vtrum sublatis extremis, videlicet terra, & igne ascenderent, vel descenderent?

Respondetur tamen cum Themistio, & Simplicio 4. de Cœlo cap. 5. quod nulla ratione ascenderent, vel descenderent, cum in propriis, & naturalibus locis resideant.

Tertia difficultas est: Vtrum elementa habeant naturaliter certam aliquam figuram?

Respondetur; quod vel est sermo de partibus elementorum, vel de totis elementis: Partes elementorum, non vendicant sibi certam figuram; imo variæ figurantur pro varietate continentis, tota autem elementa habẽt certam figuram rotundam, quam à Cœlo accipiũt intra cuius gremium continentur, vt dicitur in 3. de Cœlo cap. 4. de loco; & situ elementorum dictum est in Physicis disputatione de loco.

QVAESTIO IV.

De igne in particulari.

IGnis (Cui secundum D. Tho. 1. p. q. 67. art. 2. Primus inter elementa locus debetur, si quidem dignior, & nobilior est cęteris, corpora enim simplicia, quo sunt superiora secundum locum eo sunt nobiliora, vt de Cœlis diximus) Est maximê calidus, est etiam siccus, ex qualitatibus autem secundis ei conueniunt raritas, & leuitas, maxima actiuitas, & Splendor, quamuis ob maximam sui raritatem actu non siccat in sua Sphæra, & loco naturali, qui est superficies concaua orbis Lunæ.

Dices: Ignis elementalis, qui est supra aerem est ne eiusdem speciei

instinæ cum igne, quo vtimur, & cum igne inferiori.

Respondetur cum D. Tho. in 4. sententiarum dist. 44. q. 3. art. 2. affirmatiuè, quamuis etenim illi ignes, quam plurimis accidentarijs differentijs distinguantur, conueniunt tamen in essentia ignis: ergo siue reperiatur in materia propria, qualis est ignis elementalis, siue reperiatur in materia aliena, qualis est flamma, quæ reperitur in aere, & ignis terrestris, qui reperitur in carbone, vniuocus est, & sub eadem ratione essentiali dicitur de quolibet igne.

Dices secundo: Datur ne aliquod animal potens viuere in igne?

Respondetur; quod cum ad vitam animalium requiratur certa temperies primariuum qualitatum; ignis autem sua efficacitate omnem temperiem, proportionemque disoluat, affirmandum omnino est nullum animal in igne posse per multum temporis viuere, & hæc est sententia Arist. lib. 5. de Historia animalium cap. 19. Nec obstat, quod de salamandra communiter dici solet, eam in igne viuere; hoc enim falsum est teste D. Tho. in 4. dist. 44. q. 3. art. 1. q. 3. verum est tamen, quod hæc animalia sunt frigidæ naturæ, & valde humidæ: suoque contactu ignem aliqualiter extinguunt: experientia tamen compertum est, tandem ab igne consumi.

Dices tertio: Quare ignis cum pulberem sulfureum, inta tormenta manualia corripit tanta, & tam subitum vi, & tam ingenti strepitu foras erumpit?

Respondetur: Quod pulbis sulfureus medio igne rarefacit, ampliorem que, & capaciorem requirit locum, quem, vt inuenit maximo impetu ruit egressusque aerem vehementer decidat, & defringit, & hæc est causa ingentis strepitus.

QVAESTIO V.

De aere?

AEr de quo dixit Galenus. 9 Meth. sine aere non posse morbum vllum tolli, nec sanitatem constare; est secundum suam naturam humidus, & calidus, ex secundis qualitatibus ei conueniunt lentitas, modo expositio. q. 2 est etiam rarus, non tamen tanta ratione quanta est ignis partitur à Philosophis in tres regiones, supremam videlicet, infimam, & mediam; qua de re disputabimus in meteuris.

Dices primo: Quare aer si aperto ore eflatur sentitur calidus: si autem ore compresso frigidus?

Respondetur causam esse; quia quando os est apertum, & dilatatum emittitur aer dissipatus, quam ob causam non habet vim agitandi aerem externum, & ideo ipse solus percipitur, qui cum sit calidus, vt pote de visceribus eductus percipitur calidus, quando autem comprimitur os aer efflatus agitat aerem exteriorem ac vel vt inuoluit ad modum turbinis, & hinc fit, quod partes frigidæ

aeris

aeris exterioris, occurrant, & condenſentur, ex eriaturque aer frigidus. Hanc autem eſſe cauſam patet; quia ſi manum ori applicaueris, licet compreſſo ore aerem efflaueris percipies aerem calidum.

Dices ſecundo: Quare aer cum ſit ſumme humilus, non ita humectat, atque aqua, quæ non eſt humeda in ſummo?

Reſpondetur: Id euenire, quia aqua eſt denſa: Aer vero eſt maximè rarus, quemadmodum aqua calefacta magis calefacit, quam aer, & ferrum igutum magis, quam ſtupa.

Vltimo dices: Quare aer prima luce frigidior eſt, quam nocte?

Reſpondetur cum Ariſt. cauſam eſſe, quia inſtante die, ros cadit, & pruina; quæ frigida ſunt inſperſoque omnibus locis humore frigido aer infrigidatur: Et etiam alia ratio; quia videlicet aduenium radij ſolares, qui quidem cauſant calorem, & ſic aer per Antiperiſtaſim infrigidatur: Eſt autem Antiperiſtaſis, actio, qua vnum contrarium alteri obiectum, & applicatum ipſum intendit, comprobatur autem experientia dari hanc actionem, fontes enim tempore æſtatis, quando viget calor ſunt frigidiores; quia calor aeris reſilit frigiditati aquę ne deſipetur, ſed potius intra ipſam aquam cœrceatur.

(:)

QVAESTIO VI.

De aqua.

AQua, cuius vſus, & Hyeme, & æſtate, ægrotis, & ſanis, nocte, & interdiu, ſingulisque diebus á Deo neceſſaria eſt, vt abſque ea traduci vix poſsit humana vita, eſt ſumme frigida, eſt etiam humeda: Ex qualitatibus autem ſecundis conuenit ei grauitas, craſities, denſitas, & etiam eſſe corpus Dyaphanum, habetque alia accidentia his ſimilia.

Queres primo: Vtrum aqua ſit maior, quam terra?

Notã ſũ eſſ: Nomine aquæ poſſe intelligi, vel ſolũ mare, vel totã aquæ ſũ congeriem, & congregationem. Præterea nomine terræ poſſumus intelligere, vel ſolam terram, vel totum illius globum aggregatum, ex lapidibus, ex metallis, & ex alijs mixtis, quemadmodum, etenim inter partes terræ non numerantur animalia, & Planetæ, ita neque metalla, nec lapides, nec alia mixta, quæ in viſceribus terræ reperiuntur, connumeranda ſunt.

Sit prima concluſio: Si nomine aquæ intelligamus ſolum Mare, & nomine terræ intelligamus totum globum, ex lapidibus, metallis, & alijs mixtis agregatum abſque dubio terra eſt maior quam ſit aqua. Probatur; nam diſtantia, quæ reperitur á terra illa, quam calcamus, vſque ad centrum ipſius, eſt trium milium, & quinquaginta miliarum, ſiue vt

alij

alij volunt, quinque milium, & vndecim miliarium; aqua autem Maris non protenditur vsque ad centrum, & fere enim in toto Mari reperitur fundamẽtum, & in his locis in quibus fundamentũ reperitur distantia non superat trecentos passus.

Sit secunda conclusio: Loquendo de aqua pro tota congerie, & congregatione aquarum aqua est maior, quam sit terra. Probatur; nam sub terra est maxima aquarum vis, & hinc est, quod vbi vis fodias reperies aquam, tempore etiam diluuij, vt ex Sacris litteris constat, legimus, *apertos fuisse fontes abyssi, quasi sub terra sint plures aquæ.*

Tertia conclusio: Quamuis nomine aquæ solum Mare intelligamus, si vsurpemus terram pro sola substantia terræ probabilissimum est aquam esse maiorem terra: Si enim ex globo terræ auferantur omnia mixta, repleanturque cauernæ ipsius, ac velut spongia, & omnes illius partes cohæreant fiet globus minor, quam sit aqua Maris.

Vltimo quæres: Quare aqua cum sit maior terra, & locus naturalis ipsius terram non cooperit?

Respondetur: Duplicem esse causam: Alteram finalem, & alteram efficientem: Finalis est aula viuentium, maximé hominum, ad quorum vtilitatem facta sunt elementa; non enim possent homines sub aqua viuere: Causa efficiens est Dei imperium, qui omnes aquas collegit in vnum; initio enim mundi aquam cooperiebat totam terram, & vt dicitur Geneſis cap. 1. dixit Deus: *Congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida, ideſt, terra* Psalmo etiam 32. dicitur: *Deum congregare ſicut in vtre aquas Maris.*

Dices: ergo aqua modo violenter existit?

Respondetur negando consequentiam; nam quod fit volitione diuina non est alicui rei creatæ contrarium, vel violentum.

QVAESTIO VLTIMA.

De terra.

TErra, quæ apud Antiquos Mater Nostra, sicut Cœlum Noſter Progenitor, appellata est: Hæc enim est, quæ nos nascentes recipit. Iam natos alit, mortuos suo gremio complectitur: Est secundum suam naturam maxime ſicca, est etiam frigida. Item est corpus oppacum, est crassissima, & densissima, & omnium corporum grauissima.

Queres primo: Quanta sit magnitudo terræ?

Respondetur magnam esse varietatem sententiarum in hac re: Quæ quidem ortum habuit ex mensuris diuersis, quibus homines, vsi sunt. Quidquid igitur sit de alijs. Macrobius 1. lib. in somnium Ciprionis cap. 20. docet terræ ambitum continere, ducenta quinquaginta duo millia stadiorum: Stadium constat 125. passibus, & vnus passus ex quinque pedibus, & vnus pes ex quatuor palmis, & vnus palmus ex quatuor digi-

digitis, & vnus digitus ex quatuor granis ordei inditecte disposítis; octo stadia efficiunt vnum milite, vnde ducenta quinquaginta duo milia stadiorum conficiunt 31500. quatuor millia secundum communiorem opinionem efficiunt vnam leucam, secundum quam computationem terræ ambitus continebit 7875. Leucas. Qui alias opiniones consulere voluerit, videat Conimbricenses in libris de Cœlo.

Quæres secundo: Vtrum terra comparatione Cœli sit ad instar puncti?

Respondetur: Arist. 2. de Cœlo cap. 14. asserre terrã esse valde exiguã; si cum magnitudine Cœli conferatur. Ptholomeus, & communiter Astronomi docent terram esse ad inter puncti comparatione Cœli. Cęterum hoc non est intelligendum respectu cuiuslibet Cœli; quamuis etenim terra respectu Cœli Martis, Iobis, & Saturni, & aliorum superiorum sit imperceptibilis magnitudinis; verum respectu orbis Solis alicuius magnitudinis est, & à fortiori si conferatur cum orbibus inferioribus Soli. Quod patet manifeste: Si enim Luna alicuius quantitatis nobis videtur, & in orbe in quo est perceptibilis præsefert, multo magis terra habebit quantitatem respectu illius orbis, cum sit maior, quam Luna. Hinc dicunt Astronomi, quod si terra esset Splendida, & quis illam intueretur ex orbe Lunæ videretur multo maior, quam hinc ê terra Luna conspiciatur: Atque his explicatis huius disputationis de Cœlo, & mundo finis est, hos inter summas Deo Laudes decantemus, qui ad alia innumera beneficia hoc vnum adiunxit, vt hac nouissima parte Philosophię dictaremus.

(2)

TER-

TERTIA PARS PHILOSOPHIÆ CONTINENS DVOS LIBROS DE ORtu, & interitu.

SIVE DE GENERATIONE, ET corruptione.

DVO libri de generatione, & corruptione sequuntur optima Methodo immediate post quatuor libros de Cœlo, in octo enim libris Physicorum egit Arist. de ente mobili in communi, decendensque ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia, egit in quatuor libris de Cœlo de ente mobili motu locali, videlicet de corporibus Cœlestibus, quorum præcipuus motus est localis. Communiter autem in his duobus libris agitur de ente mobili, generabili, corruptibili, augmentabili, & alterabili, quæ sunt aliæ species mutationis Physicæ. Hinc obiectum horum librorum, vt docet D. Tho. Magister Bañes, & alij, est ens mobile ad formam intrinsecam; nomine verò formæ intrinsecæ intelligitur substantia, quantitas, & qualitas, nam, vbi, quod est forma quædam ad quam etiam datur motus, quamuis in hæreat subiecto, quia tamen essentialiter dependet ab aliquo ex-

extrinseco, videlicet à loco, non appellatur forma intrinseca, sed extrinseca. Colligitur hæc Doctrina ex Arist. qui tex. 1. huius libri, disputaturum se dicit de ortu, & interitu, de augmentatione, & alteratione, ortus, & interitus terminatur ad substantiam, augmentatio ad quantitatem, & alteratio ad qualitatem, & omnes istæ species comprehenduntur sub hac voce ens mobile ad formam intrinsecam, inscribuntur autem hi libri de generatione, desumpta de nominatione, ab eo, quod est excelentius: Est enim generatio, præcipua affectio corporum sublunarium.

LIBER I.

DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

DIstribuitur hic liber in duas præcipuas partes. In prima, quæ complectitur quatuor capita priora, agitur de generatione, corruptione, & alteratione. In secunda verò, quæ vsque ad finem libri extenditur; disputat Philosophus de augmentatione, de contactu, de actione, & mixtione, & passione.

CAPVT I. II. III. & IV.

DE GENERATIONE, CORRVPtione, & alteratione.

IN primo capite sui instituti rationem reddit Arist. ostendens, de quibus disputare intendat, Antiquorumque Philosophorum sententias, de ortu, & interitu refert. In secundo, proponit iterum ea de quibus agere instituit: Aliasque veterum sententias adducit. In tertio, quid ipse sentiat de rerum ortu, & interitu declarat, admittendam esse generatio-

nem docet, & dubia quædam disoluit: Exponit in quarto capite; quid sit generatio, & quo modo ab alteratione, & aliis motibus distinguatur.

QVESTIO PRIMA.

VTRVM DETVR GENERATIO *substantialis rerum?*

SIt conclusio: Necessario admittenda est generatio substantialis. Hãc conclusionem, contra Antiquos Philosophos statuit Arist. in cap. 3 huius libri, cuius sententiam omnes Philosophi Amplectuntur. Ratione probatur, de facto datur mutatio substantialis ab vna forma substantiali ad aliam formam sub eadem communi materia, vt à forma leonis, ad formam cadaueris: ergo datur in rerum natura generatio substantialis. Probatur consequentia; nam talis mutatio est vera generatio substantialis. Antecedens constat, cum enim moritur leo transit materia prima à forma leonis, ad formam cadaueris; tum etiam, quando ignis comburit lignum, consumpto ligno, remanet in eius loco aliquid habens easdem proprietates, & operationes, quas ignis; sed tales proprietates oriuntur à forma ignis: ergo signum est, quod in materia ligni fuit introducta forma ignis, & expulsa forma ligni.

Quid autem ista mutatio fiat sub eadem communi materia. Probatur; in materia, quæ antea erat sub forma ligni, vel manet postea forma ignis, vel non? Si primum, habemus intentum, iam enim sub eadem materia communi contingit mutatio formarum substantialium. Si non remanet. Vel alia materia fuit producta â generante; & hoc non; nam solum materia habet esse à Deo per creationem. Vel exiit forma ignis sine aliqua materia; & hoc esset maximum absurdum: Alioquin totum compositum ex sola forma constitueretur: ergo necessario concedenda est vna communis materia vtrique formæ.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Generatio, vt ait Arist. cap. 1. est *mutatio totius, siue ad totum*: Ac per consequens, quod fit generatione substantiali, totum producitur; sed totum non potest produci nisi omnes eius partes producantur, cum totum nihil aliud sit quam partes: ergo omnes partes rei naturalis genitæ debent generari; sed hoc est impossibile; nam ma-

materia prima, quæ est pars rerum generabilium non est generabilis, sed à solo Deo per creationem producibilis: ergo nulla datur generatio substantialis.

Respondetur negando minorem; nam quamuis totum nihil aliud sit, quam suæ partes, nihilominus tamen, vt aliquid produci, & generari dicatur, non requiritur, quod omnes eius partes generentur; sed sufficit, quod per vnionem partium incipiat esse aliquod compositum, quod antea non erat. Hinc homo vere generari dicitur; cum tamen, nec materia, nec forma hominis generentur, sed habeant esse à Deo per creationem.

Secundum argumentum. Generatio substantialis ad differentiam generationis accidentariæ appellatur generatio simpliciter: Generatio autem accidentaria, dicitur generatio secundum quid: ergo si detur generatio simpliciter poterit aliquid ex non ente simpliciter generari; sed hoc est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur minor, nam non ens simpliciter est purum nihil; ex nihilo autem viribus naturæ nihil fit. Probatur prima consequentia: Generatio secundum quid, fit ex non ente secundum quid: ergo etiam generatio simpliciter fit ex non ente simpliciter.

Respondetur distinguendo consequens: dupliciter enim potest vsurpari non ens simpliciter: Primo, ita vt illa particula, *non*, dicat negationem in actu, & hac ratione concedendum est, quod generatio simpliciter fit ex non ente simpliciter; quia fit ex materia prima, quæ non est ens actu, sed pura potentia: Secundo potest vsurpari non ens simpliciter, quatenus illa dictio *non* negat omne ens siue in actu, siue in potentia, qua ratione, non ens simpliciter, idem est ac nihil, & hac ratione, non ens simpliciter est terminus a quo creationis, non autem generationis.

QVAESTIO II.

Vtrum generatio substantialis sit mutatio à priuatione formæ introducendæ substantialis ad formam introducendam substantialem?

OBseruandum est primo: Quod generatio, vt colligitur ex Arist. tripliciter vsurpari potest. Primo, proprié, & strictè pro sola productione rerum viuentium procedente à causa vniuoca, & eiusdem rationis, qualis est productio leonis ab alio leone, de qua generatione fiet sermo quæstione sequenti. Secundo, vsurpatur improprié, & latè, qua ratione se extendit ad generationem substantialem, & accidentariam, & in hoc sensu fuit diffinita ab Arist. 5. Physicor. cap. 1. *Mutatio ex non subiecto in subiectum*: Et cap. 3. huius libri dicit, *tam substantias, quam accidentia generari*: Tertio vsurpatur generatio medio quodam modo, qua ratione complectitur omnem, & solam generationem substantiæ, in quo sensu lapides dicũtur generari &

moueri à generatre, & in hoc vltimo sensu egit Arist. de generatione cap. 4 huius libri, cum dixit *quando res generatur, non manet idem sensibile subiectum*, & de generatione in hoc vltimo sensu agimus in præsenti.

Obseruandum est secundo, quod vt diximus 1. lib. Physicor. ad quam libet mutationem requiruntur omnia ista, videlicet, subiectum in quo fiat, terminus à quo procedat, & terminus ad quem terminetur; cum autem generatio vera mutatio fit, hæc omnia ad generationem erunt requisita.

Sit conclusio: Optimè diffinitur generatio substantialis: *Mutatio à priuatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia prima.* Hæc conclusio colligitur ex multis locis Arist. 3. enim lib. Physicor. cap. 1. ait: *Generatio est via ad naturam*, idest, *ad formam substantialem*; nam vt docet Arist. 2. Physicor. cap. 1. *forma est præcipuum naturæ significatum*: Et lib. 8. cap. 7 *generatio* inquit *est mutatio ex non ente ad ens*, idest, *à priuatione formæ introducendæ, ad formam introducendam*: Et cap. 4. huius lib. asserit: *Generatio est mutatio totius nullo sensibili subiecto manente*, idest *non manente composito, sed materia prima*; quæ secundum se sensibilis non est. Et denique cap. 5. affirmat.: *Quod generatio est mutatio à substantia in potentia*, idest, *à materia prima in substantiam actu.* Ex quibus diffinitionibus nostra colligitur diffinitio, & conclusio, quæ per singulas particulas explicanda erit.

Prima igitur particula est: *Mutatio*, quæ ponitur loco generis: Mutatio autem si propriè vsurpetur requirit subiectum, quod duratione præcedat formam per talem mutationem adquisitam, vt docet D. Tho. 1. p. q. 45. art. 2. Hinc creatio, & transubstantiatio Panis in Sacramento Eucaristiæ, non sunt mutationes; quia non præsupponunt aliquod commune subiectum manens sub vtroque termino. Dicitur, *à priuatione formæ substantialis ad formam substantialem*, vt excludantur mutationes accidentariæ, quæ tendunt ad formam accidentariam: Dicitur denique; *in materia prima*; vt in prædicta diffinitione manifestius appareant tria illa principia, videlicet, materia, forma, & priuatio, quæ ad conceptum essentialem generationis substantialis requisita sunt, & sine quibus generatio, neque esse, neque intelligi potest.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si generatio esset mutatio, quidquid generaretur mutaretur; sed hoc est falsum: ergo generatio non est mutatio. Probatur minor; Verbum Diuinum genitum est in visceribus Virginis, & tamen nulla ratione fuit mutatum, cum Deus sit omnino immutabilis: ergo quidquid generatur non mutatur.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus; quod Verbum Diuinum dicitur generari in vtero Vir-

Virginis ratione naturæ humanæ, quam assumpsit, & Hypostaticè vnitum est, non autem est inconueniens dicere, quod Verbum Diuinum ratione naturæ assumptæ mutatur, quêadmodum dicimus, quod Deus ratione naturæ humanæ fuit crucifixus, & mortuus; nam quemadmodum Deus, est omnino immutabilis; ita etiam est summa vita, cui repugnat in propria natura moueri.

Secundum argumentum. Terminus ad quem generationis non est forma, sed totum compositum, non enim anima leonis, sed leo dicitur generari: ergo generatio non est mutatio ad formam, sed ad compositum.

Respondetur distinguendo antecedens duplex enim est terminus generationis, alter est principalis, & præcipuus, videlicet totum compositũ, & hic propriè dicitur generari, vt optimè probat argumentum: Alius est minus principalis a quo termino formaliter specificatur generatio, & hic terminus est forma substantialis, per quam diffinitur generatio: Potest autem optimè diffiniri per ordinem, & respectum ad totum compositum.

QVAESTIO III.

Vtrum generatio rei viuentis, sit processio viuentis à viuente à principio vitæ coniuncto secundum similitudinem in natura specifica?

SIt conclusio: Optimè diffinitur generatio propria rei viuentis: *Processio viuentis à viuente à principio vitæ coniuncto secundum similitudinem in natura specifica.* Ita D. Tho. 1. p. q. 26. art. 2. & D. Damascenus libro 1. fidei Orthodoxæ cap. 8. & communiter omnes Theologi, & Philosophi. Dicitur, *processio viuentis*, vt excludantur productiones rerum inanimatarum, v. g. aquæ, vel ignis. Dicitur: *à viuente*, vt excludantur productiones viuentium, quæ â non viuente fiunt, vt productio ranarum â Sole. Dicitur: *à principio vitæ coniuncto*; quia viuens, cuius generatio diffinitur initio productionis, debet esse coniunctum generanti, ita vt maneat in eo, saltim, quo ad suum principium, qua ratione leo genitus fuit in leone generante ratione seminis generantis, vnde per istam particulam excluduntur productiones Angelorum, & aliarum creaturarum spiritualium, quæ fiunt â Deo. Propter hanc causam dixit Arist. 8. Ethicorum cap. 12. quod genitum debet esse magis coniunctum generanti, quam factum facienti. Denique per illam particulam, *secundum similitudinem in natura specifica* excluduntur capilli si iuxta opinionem Antiquorum concedamus, quod viuunt, & informantur alia anima distincta ab anima viuentis in quo sunt, de qua difficultate dicemus infra.

Ex dictis collige, cum D. Tho. 1. p. q. 27. art. 2. absolute non esse de ratione generationis rerum viuentium, esse mutationem, seu viam à non esse ad esse, Hæc enim diffinitio generationis, quam modo explicui-

mus

mus, propriè verificatur de æterna generatione Verbi Diuini, vt docet Theologi in materia de Trinitate, & tamē talis generatio nulla ratione potest appellari mutatio: acper cōsequēs diffinitio generationis adducta quæstione præcedēti solū verificabitur de generatione substantiali creaturarum, non autem de generatione viuentium in communi.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Tota hæc diffinitio conuenit productioni, Euæ ex costa Adæ; & tamen talis productio non fuit generatio: ergo prædicta diffinitio conuenit alijs â diffinito. Maior constat discurrendo per omnes particulas diffinitionis. Minor probatur; nam Adam non dicitur Pater Euæ, neque inter Adam, & Euam aliqua ratio consanguinitatis intercessit, vt docet D. Tho. 1. p. q. 92. art. 2. ad 3. ergo talis productio non fuit generatio.

Respondetur negando maiorem; non enim Eua processit ab Adam, tanquam à principio actiuo, qua ratione illa particula, *à principio vitæ coniuncto*, intelligenda est. Insuper non processit secundum rationem similitudinis in natura specifica, seu in specie infima, nam quamuis Adam, & Eua de facto sint similes, & habeant eandem speciem infimam hominis, attamen illa similitudo non est collata Euæ ex vi illius productionis; nam vt optimè obseruauit D. Tho. 1. p. q. 2. [illegible] ex costa Adæ leonem, vel lapidem producere, sicut, & Euam.

Secundum argumentum. Aues, quę in cubatu suo ex alienis ouis educunt fœtus dicuntur genitores horum fœtuum; & tamen non coniunguntur eis, vt vitæ principium: ergo ad rationem generationis non requiritur, quod sit â principio coniuncto. Probatur maior; nam incubantes materiam disponunt, & ab ea formam educunt: ergo sunt Parentes, & genitores illorum fœtuum; Minor etiam probatur; nā illi fœtus nō habent principium vitæ ab auibus, quæ oua conceperunt, & peperierunt: ergo ab incubantibus.

Respondetur negando maiorem. Parentes enim, & genitores pullorum, qui ex ouis nascuntur non sunt aues incubantes, sed femina, quæ talia oua in vtero concepit, & peperit, & Mas, cuius virtute oua illa concepta sunt, illi igitur sunt veri parentes illorum pullorum; quia principium vitæ, in ipsis reperitur. Hinc pulli, qui ex ouis nascuntur assimilantur auibus, quæ ea peperit, non itaque dicendum est, quod aues incubantes oua sint genitores, vel parentes; nam vt docet experientia, & refert Arist. lib 3. de generatione animalium cap. 2. absque incubatu alterius auis interdum nascuntur pulli, ex ouis, si oua sint terra, vel seno cooperta. Ad probationem maioris negandum est antecedens; quamuis enim aues incubantes aliquo modo pro sua parte disponant materiam ad pullorum formam introducen-

dam: At tamen hæc introductio, & eductio formæ, non eis, sed agentibus, quæ ova generantur attribuenda est.

Tertium argumentum. Ex congressu Dæmonis, & Fœminæ per veram generationem fuisse ortos, & genitos homines Multi graues Authores tradantur. Inter quos Authores recensentur D. August. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 23. D. Iustinus Martyr, in priori apologia pro Christianis; sed homo genitus, non est eiusdem naturæ cum Dæmone, vt de se constat: ergo non est de ratione generationis, quod fit secundum similitudinem naturæ.

Respondetur negando consequentiam: Si enim verum est, quod Dæmones ex congressu fœminarum aliquando generent homines, homines geniti non dicuntur filij Dæmonis, sed filij hominis illius cuius semen acceperunt: quemadmodum illi qui applicant ignem ligno non dicuntur lignum vrere, sed ignis hoc facere dicitur, cuius calore disponitur materia ligni ad formam ignis. Pari etiã ratione generatio, de qua loquimur, non Dæmoni, sed homini a quo semen deciſſum fuit acceptum attribuenda est; nam vt docet D. Tho. in 2. dist. 8. q. 1. art. 4. Dæmones cum magna celeritate moueantur adhibitis externis fomentis possunt calorem, & virtutem seminis assumpti, ad breue tempus conseruare, ita vt ex illo homo generetur applicando actiua passiuis.

Quartum argumentum. Et vltimum: Generatio Mulli ex Equa, & Asino, vel ex Asina, & Equo, est vera generatio rei viuentis, & tamen id quod generatur non est simile in natura specifica cum generante; nam Mulus specie distinguitur ab Equo, & Asino: ergo generatio nõ debet esse secundum similitudinem naturæ specificæ.

Respondetur distinguendo consequens: Generatio enim viuentis potest considerari dupliciter: Primo, secundum perfectionem essentialem: Secundo, possumus loqui de generatione perfectissima; ad primum sufficit, quod inter generans, & genitum reperiatur conuenientia, & similitudo in natura generica proxima, ad generationem autem perfectissimam requiritur similitudo in specie infima; Generatio Muli essentialiter est generatio: Ac per consequens Mulus est similis genitoribus in natura generica, non autem est generatio perfectissima, quæ â nobis diffinita fuit in præsenti quæstione.

Respondetur secundo: Quod talis generatio ex instituto, & fine generantis tendit in simile secundum speciem infimam: Intendit igitur Equs generare Equm, & Asina Asinũ impediuntque se mutuo, cum inter se sint diuersæ speciei: Ac per consequens generatur proles distincta secundum speciem ab vtroque genitore.

QVAE

QVAESTIO IV.

Vtrum generatio vnius sit corruptio alterius?

OBseruandum est: Istam quæstionem, *generatio vnius est corruptio alterius*, in triplici sensu explicari posse: Primo, in sensu identico, ita vt eadem res sit generatio, & corruptio: Secundo, in sensu formali, ita vt eadem sit essentia, & diffinitio generationis, & corruptionis: Tertio, ita vt significet concomitantiam inter hæc duo, quatenus, nec generatio sine corruptione, neque corruptio sine generatione esse possint.

Prima conclusio: Generatio vnius non est corruptio alterius in sensu identico, & formali. Probatur; nam vna, & eadem res non potest esse simul ens positiuũ, & negatiuũ; sed ge generatio est quid positiuũ, corruptio autẽ est verum ens negatiuũ: ergo generatio vnius, non est realiter corruptio alterius, vel é contra. Insuper generatio, & corruptio identificantur realiter, cum suis terminis ad quos terminantur, & specificantur ab ipsis; sed terminus generationis realiter distinguitur à termino corruptionis: ergo vera est conclusio. Denique generatio, & corruptio, vt docet Arist. in post prædicamentis, sunt duæ species motus inter se distinctæ habentes distinctas essentias, & diffinitiones, vt constat: ergo vna non est formaliter, & essentialiter alia.

Secunda conclusio: Generatio vnius compositi substantialis semper est coniuncta cum corruptione alterius compositi. Iuxta sensum huius conclusionis est intelligendus Arist. cap. 2. huius libri, & 3. Physicorum cap. 8. & 12. Metaph cap. 2. cum ait: *Generatio vnius est corruptio alterius.* Probatur prima pars conclusionis: Si quando generatur vnum non corrumperetur alterum essent simul in eadem materia prima duæ formæ substantiales; sed hoc est impossibile: ergo, & illud ex quo sequitur: Minor est certa, maior probatur; quando aliquid generatur noua forma introducitur in materia præexistente; sed talis materia ante introductionem huius formæ, iam habebat aliam formam, per quam existebat: ergo si forma præexistens non expellitur per corruptionem duæ formæ substantiales essent simul in eadem numero materia prima.

Secunda pars conclusionis probatur: Si quando aliquid corrumpitur nihil generaretur existeret materia prima sine aliqua forma; sed hoc est impossibile: ergo corruptio vnius est generatio alterius. Probatur maior; quando aliquid corrumpitur remanet materia prima rei corruptæ, per hoc enim differt corruptio ab annihilatione; sed talis materia non existit per formam expulsam: ergo necessario debet introduci per generationem alia forma: Alioquin exister materia sine aliqua forma.

CON-

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Generatio, & corruptio sunt mutationes realiter, & essentialiter distinctæ: ergo generatio vnius non est corruptio alterius.

Respondetur: Quod probat primam conclusionem illud argumentum.

Dices: Eadem est actio, qua ignis generat calorem, & corrumpit frigiditatem: ergo generatio, & corruptio realiter identificantur.

Respondetur negando consequentiam, vna enim, & eadem actio entitatiue potest duas mutationes realiter distinctas comprehendere: Et ratio est; quia mutatio non vsurpat suam vnitatem ab agente, sed à termino ad quem: Ac per consequens vna, & eadem actio ignis est duplex mutatio substantialis.

Secundum argumentum. Quando ex cibo nutritur homo, corrumpitur alimentum, & tamen nihil generatur: ergo non semper corruptio concomitatur generationem, & è contra.

Respondetur negando minorem; quando enim nutritur homo corrumpitur alimentum, & generatur homo, non generatione totali, sed partiali, quæ dicitur nutritio, seu aggeneratio, forma enim hominis per nutritionem incipit informare materiã primam alimenti, quam antea non informabat.

Tertium argumentum. Quando homo moritur generatur cadauer, & tamen non corrumpitur forma hominis, cum forma hominis, videlicet anima rationalis sit immortalis: ergo generatio vnius non est corruptio alterius.

Respondetur negando consequentiam: quando enim, quando moritur homo non corrumpitur forma hominis, corrumpitur tamen homo propter separationem materiæ, & formæ: Iam verò propositio Arist. non est intelligenda de generatione, & corruptione formarum, sed de generatione, & corruptione compositorum, vt constat ex secunda conclusio: Quando enim corrumpitur forma embrionis, non generatur aliqua forma, sed creatur à Deo anima rationalis: & similiter quando moritur homo non corrumpitur forma hominis, sed perseuerat extra corpus.

Quartum argumentum, & vltimum: Quam plura accidentia generantur sine corruptione alterius, vt constat de luce, quæ producitur in aere, & de accidentibus, quæ generantur ad generationem totius: ergo generatio vnius, non est corruptio alterius.

Respondetur negando consequentiam: Generatio enim est duplex: Alia est generatio simpliciter, quæ terminatur ad substantiam, & dicitur generatio substantialis: Alia est generatio secundum quid, quæ terminatur ad accidentia: Secunda igitur conclusio non est intelligenda de generatione, & corruptione secundum quid, sed de generatione, & cor-

ruptione simpliciter, videlicet de generatione substantiali.

QVAESTIO V.

Vtrum in corruptione alicuius compositi fiat resolutio vsque ad materiam primam?

OBseruandum est: Quod sensus tituli huius quæstionis est: An quando aliqua res corrumpitur maneat in re, quæ generatur aliquid, quod erat in corrupto, præter materiam primam? An verò sola materia prima corrupti remaneat in genito? Potestque procedere, an maneat aliqua forma substantialis? Vel an maneat aliquod accidens idem numero in re, quæ de nouo generatur? Et in hoc vltimo sensu procedit quæstio, infra enim explicabimus, an detur aliqua forma corporeitatis, quæ sit Cœua materiæ primæ?

Prima conclusio: Materia prima non est subiectum in hæsionis accidentium, videlicet cui accidentia inhærent, hoc enim subiectum est totum compositum. Hæc conclusio statuenda est tanquam firmum fundamentum ad solutionem difficultatis, præcipuè huius quæstionis, & est communis cõclusio inter omnes Thomistas. Ratione probatur, accidentia illi subiecto inhærent in quo recipiuntur: sed recipiuntur in substantia prima, quæ est composita ex materia, & forma: ergo vera est conclusio. Probatur minor; Auctoritate Arist. cap. de substantia vbi docet: *Maximè proprium est substantiæ suscipere contraria accidentia*: ergo vera est minor.

Secundo probatur conclusio: Si materia prima esset immediatum subiectum accidentium ex ente per accidens fieret ens per se, & forma substantialis non vniretur immediate ipsi materiæ primæ; sed vtrumque est absurdum, ergo, & illud ex quo sequitur. Maior constat; nam ex materia prima, quæ est substantia, & ex accidentibus non potest fieri vnum ens per se.

Secunda conclusio: In corruptione alicuius compositi substantialis fit resolutio vsque ad materiam primam; id est nullum accidens eorum, quæ erant in corrupto remanet in re, quæ generatur; v. g. quando moritur homo, & generatur cadauer, nullum accidens hominis, neque aliquid aliud præter matetiam primam hominis remanet in cadauere. Ita D. Tho. 1. p. quæst. 76. art. 6. Albertus Magnus 2. p. summæ de homine: Alexander de Arist. 4. p. q. 57. Hæreus codlib. 4. q. 10. Caietanus cap. 7. de ente, & essentia q. 17. Iabellus. 8. Methaph. q. 7. Soncinas ibidem q. 9. Capreolus in 2. dist. 13. q. vnica. art. 3. Magister Banes, & Conimbricenses hic, & est expressa sententia Arist. qui cap. 4. huius libri tex. 25. expresse ait, *quod corruptio est mutatio totius nullo manente sensibili subiecto*: ergo nullum accidens corrupti remanet in genito, alioquin aliquod sensibile subiectum remaneret. Præterea: Idem Arist. sæpe ait, quod

su-

subiectum generationis est nuda materia prima: ergo forma substantialis aduenies nullum accidens in materia præsupponit.

Probatur conclusio Ratione. Corrupto subiecto alicuius accidentis necessario etiam debet corrumpi accidens tali subiecto inhærens; sed subiectum omnium accidentium est totum compositum: ergo quando corrumpitur totum compositum omnia accidentia corrumpuntur, solumque remanet materia prima. Probatur maior primo, vnitas numerica accidentis, & eius existentia essentialiter desumitur ex vnitate numerica subiecti cui inhæret: ergo non manente eodem subiecto non remanet idem accidens, & corrupto subiecto etiam accidentia corrumpuntur. Probatur antecedens, essentia accidentis desumitur in ordine ad subiectum, est enim accidens, id cui debetur esse in alio tanquam in subiecto: ergo verum est antecedens. Probatur secundo eadem maior; si corrupto subiecto non corrumperetur accidens tali subiecto inhærens, idem numero accidens migraret de subiecto in subiectum, quod est contra bonam Philosophiam. Minor autem primi Syllogismi constat ex præcedenti conclusione; probatur autem sic; materia prima non potest naturaliter recipere primo, & immediatè aliquam formam accidentalem: ergo nullum accidens potest inhærere immediatè materiæ primæ, sed toti composito. Probatur antecedens; nam materia prima ex se est potentia immediate, & primo respiciens formam substantialem: ergo prius debet illam recipere, quam accidentariam: Antecedēs constat ex dictis primo libro Physicorum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Arist. cap. 4. huius libri dicet, *quod quando ex aqua fit aer manet eadem perspicuitas, Diaphanitas, & alia accidentia*, sed quando ex aqua fit aer corrumpitur aqua: ergo in corruptione alicuius compositi non fit resolutio vsque ad materiam primam.

Respondetur interpretando maiorem: Venit enim intelligendus Arist. de eadem perspicuitate, & Diaphaneitate secundum speciem, non autem de eadem secundum numerum. Sic similiter est interpretandus dum ait libro sequenti, *ideo elementa sim bola*, idest *quæ conueniunt in aliqua qualitate facilius transmutari, quia in ipsa transmutatione manet vna & eadem qualitas communis vtrique* est enim intelligendus de vna, & eadem qualitate secundum speciem, nō autem de eadem secundum numerum.

Secundum argumentum. Experientia, & sensibus experimur manere eadem accidentia in genito, quæ antea erant in corrupto; v.g. in homine mortuo, seu cadauere videmus eandem cicatricem, figuram, & quantitatem, quæ erant in homine vivo: ergo non fit resolutio vsque ad materiam primam.

Respondetur: Quod sensus in iudicio rerum multoties falitur, & decipitur, & est corrigendus ab intellectu, ineptum est enim semper, & in omnibus fidem sensibus adhibere. Dum enim canis ab alta turri descendens moritur in medio itineris, iudicat potentia viuua ibi vnicum tantum dari motum; & tamen ratio naturalis conuincit ibi esse duos motus realiter distinctos, non enim illa variatio motuum est perceptibilis per sensum, cum sit instantanea; pari etiam ratione dicendum est in præsenti, in instanti enim generationis omnino accidentia variantur, & cum talis variatio non sit perceptibilis sensu decipitur sensus, & est ab intellectu corrigendus.

Dices: Non apparet â quo producatur cicatrix in homine mortuo: ergo eadem numero cicatrix, quæ erat in viuo est in mortuo.

Respondetur: Quod producitur per accidens ad productionem cadaueris, ab eo, qui cadauer produxit.

Dices: Si cicatrix non sequitur cadauer, neque est vera dispositio ad conseruandam formam cadaueris: ergo non producitur, ad productionem cadaueris.

Respondetur distinguendo antecedens: Quamuis enim cicatrix non sequitur simpliciter ipsum cadauer, cum dentur quam plura cadauera sine cicatrice, sequitur tamen ex hypotesi, & suppositione, v. g. ratione dispositionum, quæ præcesserunt in productione formæ cadaueris.

Tertium argumentum. Si quando ex aere generatur ignis non remaneret idem numero calor in igne, qui antea erat in aere, sed de nouo generaretur calor, sequeretur calorem, vt duo, & calorem, vt quatuor simul produci; sed hoc est falsum; nam calor, cum sit qualitas successiua, debet adquirere gradum post gradum: ergo dicendum est, quod idem calor, qui erat in aere remanet in igne.

Respondetur distinguendo minorem: Si enim calor, & qualitas adquiratur per se, & ratione sui vera est; nam adquititur per motum successiuum; si autem adquiratur per accidens, & per concomitantiam ad productionem, v. g. subiecti, falsa est; hinc enim non adquiritur gradus post gradum, sed tota simul qualitas comparatur: quando itaque generatur ignis simul cum ipso generetur calor vt octo in instanti.

Quartum argumentum. Si quando moritur homo v. g. non remaneret eadem forma, eadem accidentia, eadem quantitas, & eadem ossa, non essent adorandæ Reliquiæ Sanctorum, inepteque diceret, quis se habere caput, Brachium, vel os alicuius Sancti, v. g. Diui Ludouici; sed hoc est absurdissimum, & contra fidem: ergo, & illud ex quo sequitur.

Respondetur negando maiorem: Quamuis enim corpus mortuum alicuius Sancti, non sit idem numero corpus, quod primo fuit propter diuersitatem formæ quæ est anima: est tamen idem identitate materiæ primæ, quæ iterum est suæ formæ vnica

da,

da, & propter hanc causam, tale corpus est adoratione dignum: Solutio est D. Tho. 1. p. quæst. 25. art. 6. ad 3.

Vltimum argumentum. Accidentia illi inhærent de cuius potentia educuntur; sed educuntur de potentia materiæ primæ: ergo inhærent materiæ primæ: ergo quandiu perseuerat eadem materia prima perseuerant etiam eadem accidentia. Probatur minor, quando aqua calefit caliditas educitur de potentia aquæ; sed non educitur de potentia formæ aquæ, cum caliditas formæ aquæ contrarietur: ergo educitur de potentia materiæ aquæ.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus, quod cum aqua calefit educitur calor de potentia aquæ, quæ est totum compositum cui immediate inhæret, secundario autem educitur de potentia materiæ primæ ipsius aquæ, & hoc solum probat argumentum.

QVAESTIO VI.

Vtrum eædem dispositiones, quæ erant in corrupto maneant in genito?

OBseruandum est dispositiones esse in duplici differētia: Quasdam antecedere introductionem formæ substantialis; & istæ disponunt ipsam materiam ad formam recipiendam, & dicuntur dispositiones præuiæ, & antecedentes: Quasdam vero esse dispositiones concomitantes, & istæ conseruant ipsam formam in materia prima.

Sit conclusio: Nulla dispositio earum, quæ erant in corrupto remanet in genito. Hanc conclusionem defendunt omnes Doctores adducti in quæstione præcedenti. Et probatur Ratione, omnes dispositiones sunt accidentia; sed nullum accidens eorum, quæ erant in corrupto remanet in genito, vt quæstioni præcedenti ostensum est: ergo nulla dispositio earum, quæ erant in corrupto remanet in genito. Maior probatur, nam dispositiones sunt in subiecto disposito, v. g. in toto composito; sed non sunt in illo, vt formæ substantiales; nam in vno composito, non potest dari, nisi vna forma substantialis: ergo sunt in illo tanquam formæ accidentariæ.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Lignum v. g. disponitur ad formam ignis per calorem; sed talis calor perseuerat in igne producto: ergo, &c. Probatur minor: Si non maneret in igne genito idem numero calor, qui antea erat in ligno, sequeretur quod ignis generans alium ignem destrueret calorem, quem produxit in ligno; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur minor; nam simile non corrumpitur à suo simili, sed à suo contrario: ergo calor productus in ligno non potest destrui, & corrumpi ab igne.

Respondetur negando minorem.

Pro-

Probationi dicitur; quod ignis, prima, & per se intendit introducere formam ignis in ligno; quæ quidem forma adducit secum maiorem calorem, quam sit ille, qui erat in ligno, & sic corrumpitur calor ligni, hoc autem fit per accidens: ignis enim generans ignem per se intendit ignem generare, & quia non potest ignis generari quin corrumpatur lignum, neque potest corrumpi, quin calor, & omnia accidentia ligni corrumpantur: unde est quod ignis secundario, & per accidens corrumpit calorem, quē produxerat, quamuis enim simile non corrumpatur à simile per se, potest tamen corrumpi per accidens.

Secundum argumentum. Impossibile est, quod introducatur forma, nisi materia sit disposita, vt docet Arist. 2. de anima: ergo impossibile est, quod detur generatio, vel introductio nouæ formæ, nisi materia prima habeat dispositiones ad talem formam recipiendam: ergo remanerent Eædem dispositiones in genito, quæ erant in corrupto.

Respondetur negando secundam consequentiam, & concedimus primam: introducitur enim forma in materiam dispositam; nam dispositiones concomitantes, & consequentes priori tate naturæ, & in genere causæ materialis præcedunt ipsam formam, quæ introducitur, vt docet D. Tho. q. 26. de veritate art. 1. quamuis in alio genere cause sequantur ille dispositiones talem formam. Præterea materia prima in instanti generationis censetur præparata, & disposita virtute illarum dispositionum, quę tempore proximè antecedenti præcesserunt, non enim istę dispositiones destruuntur, antequam forma precedens expellatur à materia prima.

QVAESTIO VII.

Vtrum forma substantialis sit terminus per se generationis?

OBseruandum est: Quod nomine formę non intelligimus formam totius, qualis est humanitas respectu hominis: sed formam informantem, quę vna cum materia componit totum, appellaturque forma partis, v. g. anima Equi, vel hominis.

Prima conclusio: Terminus generationis, qui primo, & per se producitur, & vt quod, & ex prima intentione generantis non est forma substantialis, sed totum compositum. Ita Arist. 1. Metaph. cap. 1. & 4. Physicor. cap. 9. & alijs in locis. D. Tho. 1. p. q. 45. art. 1. Capreolus in 1. dist. 3. q. 1. art 3. Ferrariensis 1. contra gentes cap. 27. & quam plures alij. Ratione probatur, generans intendit producere id, quod excellentius est, & cuius gratia reliqua sunt; sed compositum est nobilius, & excellentius, quam forma substantialis, & talis forma est propter compositum: ergo terminus per se generationis, quem principaliter intendit est totum compositum.

Secundo probatur à simili, per generationem accidentariam non ge-

generatur per se forma, vt albedo; sed compositum, vt album neque generatur musica, sed musicus, vt docet Arist. 9. Methaph. cap. 8. ergo simili ter per generationem substantialem non fiet per se, siue, vt quod, forma substantialis, sed totum compositum.

Secunda conclusio: Terminus formalis, & vt quo generationis substantialis est forma substantialis. Hanc conclusionem habent, qui præcedentem: Et probatur ex his, quę diximus supra; diffiniuimus enim generationem sic: *Generatio est mutatio à priuatione formæ substantialis, ad formam substantialem*: ergo forma substantialis est terminus per se generationis; sed non est terminus primarius, & vt quod: ergo est terminus formalis, & vt quo.

Secundo probatur conclusio: Generatio formaliter consistit in introductione formę: ergo terminus per se generationis erit forma substantialis.

QVAESTIO VIII.

Vtrum in composito Physico sint plures formæ substantiales?

SIt conclusio: In composito Physico non datur nisi vnica forma substantialis. Ita D. Tho. 1. p. q. 76. art. 3. Capreolus, Soncinas, Caietanus, & Iabellus, quos refert, & sequitur Magister Banes q. 13. huius libri. Hanc eandem conclusionem probat Hæreus tractatu de vnitate formarum q. 18. Ratione probatur; sicut forma substantialis dat esse composito, ita etiam dat vnitatem, vt docet Arist. 1. Physicor. tex. 78. ergo in vno composito, vnica tantum datur forma substantialis.

Secundo probatur conclusio: Si in leone v. g. essent plures formę substantiales realiter distinctę inter se, vel omnes istę formę introducerentur in materiam primam, simul cum anima leonis, vel antea, vel postea; sed neutrum est dicendum: ergo in leone tantum datur vna forma substantialis, & idem dicendum est de quolibet alio composito Physico. Probatur minor; si simul introducuntur: ergo generatio leonis non est vna; sed multiplex. Probatur hęc consequentia; nam mutationes specificantur à terminis ad quos tendunt; sed terminus formalis generationis est forma substantialis, vt diximus, & vbi dantur plures formę substantiales datur etiã multiplex generatio. Insuper si alię formę substantiales introducerentur ante animam leonis: ergo anima leonis non dat esse simpliciter, & substantiale leoni, sed esse secundum quid, cum aduenial leoni in actu substantiali constituto. Denique neque introducuntur alię formę post animã leonis propter eandem rationem, aduenirent enim enti in actu: Ac per consequens non tribuerent esse substantiale, sed accidentarium:

Hoc autem est contra rationem formę substantialis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Si homo per eandem formam substantialem esset homo, & animal, quidquid conuenit homini, in quantum homo conuenit illi in quantum animal; sed hoc est falsum; nam in quantum homo est risibilis, non autem in quantum animal: ergo in homine dantur plures formę substantiales.

Respondetur negando maiorem; quamuis enim per eandem formam Petrus sit homo, & animal, non tamen per eandem formam secundum eandem rationem, & formalitatem vsurpatam; forma enim substantialis hominis prehabet in se virtualiter diuersas formalitates, & secundum vnam formalitatem tribuit esse humanum, & secundum aliam tribuit esse animal, quemadmodum eadem forma niuis tribuit esse album, & esse coloratum; & tamen nix, non est alba in quantum colorata, alioquin omne coloratum esset album.

Secundum argumentum. Sicut se habet res ad intelligi, ita ad esse; sed conceptus hominis, quem habet intellectus est distinctus à conceptu animalis: ergo etiam forma hominis, & animalis erunt distinctę: Ac per consequens Petrus, qui est homo, & animal habebit plures formas substantiales.

Respondetur negando consequentiam: Distinctio enim conceptus desumitur ab eadem numero forma; quatenus tribuit diuersas perfectiones, & gradus essendi, qui quidem gradus distinguntur ratione ratiocinata: neque requiritur, quod tanta distinctio reperiatur in ipsis rebus cognitis, quanta reperitur in ipsis conceptibus, quibus cognoscuntur: Conceptus enim, quem habet noster intellectus de iustitia Dei, realiter distinguitur à conceptu quem habet de eius misericordia, & tamen iustitia & misericordia Dei sola ratione ratiocinata distinguntur.

Tertium argumentum. Anima hominis est indiuisibilis, & incorporea: ergo non potest tribuere esse diuisibile, & corporeum materię primę: ergo prętera animam rationalem concedenda erit in homine forma corporeitatis distincta.

Respondetur negando consequentiam; nam quamuis anima rationalis non sit actu, & formaliter corporea, & diuisibilis, est tamen corporea, & diuisibilis eminenter, seu virtualiter, quod quidem sufficit vt tribuat materię primę esse corporeum, esse autem diuisibile habet totum compositum ab ipsa quantitate: Doctrina huius solutionis constat in Sole, qui causat in his inferioribus calorem, cum tamen ipse non sit formaliter, sed solum virtualiter, & eminenter calidus.

QVAESTIO IX.

Vtrum alteratio distinguatur à generatione?

OBseruandum est primo: Alterationem veré, & propriè esse mo-

motum, vt constat ex dictis. 5. lib. Physicor. vbi probauimus ad qualitatem dari per se motum, motus autem, qui per se terminatur ad qualitatem alteratio dicitur.

Obseruandum est secundo: Quod propter penuriam vocabulorum multoties contingit, quod nomen alicuius superioris attribuitur ipsi inferiori; v.g. dispositio diuiditur tanquã in suas species in habitum, & dispositionem, & dispositio vsurpat sibi nomen superioris, quamuis non habeat eandem rationem præcisse; nam de ratione dispositionis in communi est disponere ad bene, vel male operandum, de ratione vero dispositionis, quæ est species præter hoc addit *esse facile mobile*, pari etiam ratione in præsenti, alteratio in communi, quæ est motus ad qualitatem diuiditur in tres species. Quarum prima vsurpans sibi nomen generis, appellatur alteratio: Secunda, dicitur intensio: Tertia denique remissio; alteratio igitur, quæ est communis ad istas tres species sic poterit diffiniri: *Motus ad qualitatem, manente eodem sensibili subiecto*: Prima particula ponitur loco generis. Per secundam, *videlicet ad qualitatem* excludu tur motus locales, qui terminatur ad vbi, & augmentatio, & diminutio, quæ terminantur ad quantitatem: Dicitur denique *manente eodem subiecto sensibili*, vt excludatur generatio, per subiectum enim sensibile, vt ait D. Tho. intelligitur subiectum compositum ex materia, & forma, in generatione autem solum manet eadem materia prima, quæ subiectum sensibile non est: Alteratio, quæ est species: Sic diffinitur: *Motus ad productionem totius qualitatis de nouo eodem manente subiecto sensibili*; v. g. quando aqua primo calefit, talis motus dicitur alteratio: Intensio sic diffinitur: *Motus ad esse perfectum præexistentis qualitatis manente eodem subiecto sensibili*: v. g. quando aqua calefacta vt duo intenditur vsque ad decem talis motus appellatur intensio: Remissio denique, sic diffinitur: *Motus ad esse imperfectum qualitatis præexistentis manente eodem subiecto sensibili*, vt cum calor, qui erat intensus, vt decem remittitur vsque ad quinque.

Ex his diffinitionibus collige: Alterationem in communi abstrahere ab hoc, quod est totam qualitatem producere, vel productam intendere, aut remittere: Alteratio autem, quæ est species, dicit productionem nouæ qualitatis, in quo distinguitur ab intensione, & remissione, quæ non producunt nouam qualitatem, sed præexistentem intendunt, vel minuunt.

Obseruandum est vltimo: Quod generatio, vt ad præsens attinet institutum, est duplex: Alia est generatio simpliciter, quæ consistit in introductione instantanea nouæ formæ substantialis in materia dispositã: Alia est generatio secundum quid, quæ sub diuiditur, in generationem substantiæ partialis, quæ vnico nomine dicitur nutritio, & in generationem accidentis quando enim generatur subiectum simul cum ipso ge-

Eee nera-

nerantur accidentia, & producuntur in instanti.

Prima conclusio: Generatio simpliciter dicta maximè distinguitur ab alteratione, & loquimur de alteratione prout complectitur omnes species. Ita Arist. cap. 4. huius libri. D. Tho. ibidem, & communiter omnes Interpretes. Ratione probatur; terminus generationis est substantia, terminus vero ad quem alterationis est qualitas; sed hæc distinguuntur: ergo, &c. Similiter terminus à quo generationis est priuatio, terminus à quo alterationis est qualitas positiua. Insuper alteratio est successiua, generatio autem est instantanea. Rursus ante omnem generationem datur alteratio, impossibile enim est, quod introducatur noua forma in materiam, quin prius præcedant dispositiones, quæ per alterationem producuntur, non autem est necesse, quod ante omnem alterationem detur generatio, Cœli enim qui non sunt geniti, sed creati alterabiles sunt: ergo generatio simpliciter dicta, & alteratio maximè distinguntur.

Secunda probatur conclusio: Alteratio est mutatio facta in qualitatibus manente eodem sensibili subiecto sub vtroque termino; sed generatio est transmutatio facta in substantiis non manente eodem subiecto sensibili: ergo generatio, & alteratio maximè distinguntur. Probatur maior; eadem enim aqua secundum numerū, primo est sub frigiditate, postea sub caliditate, & idem numero animal successiue habet sanitatem, & ægritudinem. Minor probatur, nam terminus a quo generationis, qui est priuatio, & terminus ad quem, qui est forma subiectantur in materia prima, quæ non est sensibile subiectum, neque eius actu. Hæc ratio est Aristotelis & D. Thomæ loco citato.

Secunda conclusio: Generatio secundum quid maximè distinguitur ab alteratione. Ita D. Tho. q. 28. de veritate art. 1. Capreolus in 1. dist. 17. q. 2. Magister Banes cap. 4. huius libri. q. 5. & quidem loquendo de generatione secundum quid, quæ dicitur nutritio certissima est conclusio; nam nutritio cum terminetur per se ad substantiam est substantia: Alteratio autem cum per se tendat ad qualitatem est accidens: ergo alteratio, & nutritio maximè distinguntur. Probatur etiam conclusio de generatione secundum quid per quam producitur accidens; nam illa generatio est instantanea, alteratio autem est successiua: ergo distinguuntur. Insuper terminus a quo generationis secundum quid, est priuatio termini ad quem, fit enim ex non quanto quantum, & ex non albo album; in alteratione autem terminus à quo semper est aliquid positiuum: ergo alteratio, & generatio secundum quid maximè distinguntur.

Sed obijcies: Omnis motus, quo aliquod mouēs aliter se habet quam antea se habebat est alteratio; sed generatio est huiusmodi: ergo alteratio non differt à generatione. Probatur minor; nam per generationem materia

ria prima eadem manens aliter se habet, quam prius se habebat: ergo vera est minor.

Respondetur negando minorem. Probationi dicimus, quod ad alterationem requiritur, quod subiectum manens, sub vtroque termino sit sensibile; idest compositum ex materia, & forma, quod non contingit in generatione, vt ostendum est.

QVAESTIO X.

Vtrum intensio qualitatis fiat per maiorem radicationem in subiecto:

OBseruandum est primo tanquam certum, & constitutum aliquas qualitates intendi, & remitti, videlicet omnes illas quæ suscipiunt magis, & minus: Hæc enim veritas experientia comprobatur: Videmus enim eundem hominem magis, & minus nigrefieri, experimur etiam eandem aquam fieri successiuè magis, & minus calidam, & frigidam.

Obseruandum est secundo: Qualitatem intendi, vel remitti nihil aliud esse, quam magis, vel minus perfici, potest autem magis, vel minus perfici aliqua qualitas dupliciter: Primo, secundum se, idest, secundum rationem suæ speciei, & hac ratione aliqua qualitas dicitur perfectior cõparatione ad alteram diuersæ speciei; v. g. albedo est perfectior nigredine, & Methaphysica est perfectior, quam Matematicæ. Alio modo dicitur aliqua qualitas magis, vel minus perfecta secundum quod à subiecto participatur, & hac ratione etiam respectu sui ipsius dicitur magis, vel minus perfecta ex eo quod est magis, vel minus intensa in subiecto cui inhæret. Est autem dubium, quomodo fiat ista intensio qualitatis in subiecto?

Prima conclusio: Intensio qualitatis non fit per additionem gradus, ad gradum: Hæc conclusio est contra aliquos asserentes intensionem fieri ex eo quod vnus gradus qualitatis realiter distinguitur tanquam res à re ab alijs gradibus. Falsitas autem huius sententiæ, & veritas nostra conclusionis. Probatur in primis Auctoritate D. Tho. 1. 2. q. 52. art. 1. quem sequuntur Caietanus in eo loco, & Magister Bañes, cap. 4. huius libri. q. 5. Ratione probatur; isti gradus qualitatum, vel distinguntur numero, vel distinguntur specie; sed neutrum est dicendum: ergo neque dicendum est intensionem qualitatum fieri per additionem gradus, ad gradum. Probatur minor; in primis non distinguntur numero; nam si numero distinguerentur, vel gradus qui additur alteri gradui recipitur in eadem parte subiecti, vel in diuersa, si in eadem parte subiecti recipitur, hoc implicat contradictionem; si in diuersa: ergo qualitas non intenditur, seu perficitur, sed extenditur; ineptum enim est dicere, quod albedo manus intendatur, ex eo quod nouus gradus albedinis recipitur in pede; præterea neque dicendum est istos gradus distingui specie; nam quemadmodum albedo non perficit, neque intendit

dulcedinem ; quia distinguntur specie. Ita gradus subsequens non poterit præexistentem intendere si gradus isti specie distinguntur.

Secundo probatur conclusio : Si intensio qualitatum fieret per talem additionem gradus ad gradum , sequeretur, quod forma intensior esset imperfectior, quã minus intẽsa; v. g. albedo, vt sex esset imperfectior, quã albedo, vt duo; sed hoc est absurdũ: ergo, & illud ex quo sequitur. Maior Probatur, si gradus qualitatis sũt realiter distincti, vt resà re, qualitas magis intensa erit magis composita ex pluribus partibus: ergo magis imperfecta, quam minus intensa. Probatur consequẽtia hæc; nã vt docet D. Dionisius cap. 5. de diuinis nominibus hoc reperitur discrimen, inter formas, & earum substantias, quod substantia, quantò magis composita ex pluribus formis, tanto habent plures perfectiones, at verò forma quantò simplicior, tantò est perfectior.

radicari per se in subi.

Secunda conclusio : Intensio qualitatum fit per maiorem intẽsionem. Ita Arist. 5. Physicor. tex. 84. vbi ait, *quod ex albo fit magis album, nullo facto albo de nouo* : ergo ex Arist. habemus intensionem qualitatum non fieri per additionem noui gradus , sed per maiorem radicationem in subiecto. Eandem conclusionem tenet D. Tho. 1. 2. q. 52. art. 2. & 2. 2. q. 24. art. 5. quem sequuntur Capreolus, Caietanus, Asiudillo, Magister Bañes , & communiter omnes Thomistæ. Est tamen dubium etiam inter Thomistas , quid sit qualitates magis radicari in subiecto. Relictis: ergo alijs dicendi modis. Dico cum Soncinate , Caietano , & Magistro Bañes , quod radicatio qualitatis, nihil aliud est , quam qualitatem magis perfici in subiecto , & magis educi de potentia ipsius. Ita vt si antea habebat qualitas intensionem gradus perfectionis in subiecto, vt duo, postea habet , vt tria, & sic successiue, qui quidem gradus non sunt realiter distincti inter se ; sed sunt eadem forma, & eadem qualitas aliter se habens, nunc quam antea , non itaque producitur aliqua qualitas de nouo , sed eadem qualitas , cum diuerso modo , & maiori perfectione , & hoc propriè est radicari in subiecto , desumitur enim Methaphora ab arbore , quæ tum temporis magis radicari dicitur, quã do profundius protendit radices , & firmius terræ coniungitur.

Hæc conclusio sic explicata. Ratione probatur : Qualitates intenduntur , & perficiuntur , vt diximus in prima obseruatione ; sed non intenduntur secundum se, & vt intelliguntur sæparatæ â subiecto , vt constat ex secunda obseruatione , neque etiam intenduntur per additionem noui gradus realiter distincti, vt constat ex præcedenti conclusione : ergo intensio qualitatum fiet per maiorem radicationem in eodem subiecto. Consequentia constat ; nam non videtur quænam alia causa possit de ista intensione assignari.

CON-

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Qualitas limittatur ex eo, quod recipitur in subiecto : ergo non perficitur per maiorem radicationem in subiecto: ergo non intenditur per talem radicationem : Forma enim accidentaria quando intenditur perficitur.

Respondetur : Quod qualitas, & quælibet alia forma potest considerari dupliciter : Primo vt forma est absolute : Secundo , vt est talis forma, videlicet forma inhærens , vel informans : Si considerctur primo modo limitatur , & restringitur eius perfectio , ex eo quod recipitur in aliquo subiecto , vel materia , & hinc est, quod D. Op. Max. qui est infinitè perfectus, & Angeli, qui sunt creaturarum perfectissimi, sunt formæ non receptę in aliqua materia , sed omnino immateriales : Si vero considerctur , vt forma informans , vel inhærens non limittatur eius perfectio ex hoc, quod recipitur in subiecto ; sed perficitur, & quo magis inhæret, magis perficitur.

Secundum argumentum. Magis radicari in subiecto , vel est difficilius posse separari ab ipso , vel plures partes subiecti afficere , vel intendere ; sed neutrum horum est: ergo intensio qualitatum non fit per maiorem radicationem in subiecto Probatur minor; rubor ex verecundia ortus intensior est, quam rubor naturalis; & tamen rubor ex verecundia , cum sit perturbatio, facile remouetur , rubor autem naturalis difficile : ergo intensio qualitatum non est difficilius remoueri posse. Insuper plures partes subiecti in formare, non est qualitatem intendi , sed extendi : ergo vera est minor primi Syllogismi quo ad vtramque partem.

Respondetur ex dictis in secunda conclusione : Quod qualitates magis radicari non est plures partes subiecti informare , vel difficilius remoueri posse ; sed magis perfici in eodem subiecto , & magis educi de eius potentia. Quæ diximus in hac quæstione de intensione qualitatum eadem cum proportione dicenda sunt de remissione earumdem, viceversa, nimirum, quod remissio fiat per minorem radicationem qualitatis in subiecto, & per hoc , quod deperditur aliquis gradus perfectionis, qui antea habebatur.

(?)

CAP.

CAPVT QVINTVM.

De augmentatione.

POstquam egit Arist. in præcedentibus, de generatione, corruptione, & alteratione, incipit in præsenti de augmentatione disputare. Duo igitur precipuè prestat in hoc capite, in primis enim distinguit augmentationem ab alteratione, & postea explanat quomodo fiat augmentatio, & diminutio.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM AVGMENTATIO SIT motus distinctus ab alijs motibus?

OBserua primo. Augmentationem multipliciter vsurpari: Primo, pro intensione qualitatis: dicimus enim, quod calor augetur in aqua, quando aqua calidior efficitur: Secundo, pro augmento numeri, vt cum ternario additur vnitas: Tertio, pro augmento quantitatis continuæ, quod contingit dupliciter. Primo, per extensionem partium iam existẽtiũ nulla facta additione noua, quod contingit in rarefactione, vt cum aqua congelata liquefit: Secundo, per additionem nouæ quantitatis, quod etiam dupliciter fit: Primo, cũ simile additur simili; vt aqua aquæ, & secundo, cum alimentum ingrediens per partes interiores rei viuentis, conuertitur in substantiam aliti, & hæc est propria augmentatio, de qua in præsenti fit sermo.

Obserua secundo; in qualibet augmentatione proprie dicta plures motus, & mutationes reperiri: Primo etenim, inuenitur motus localis alimenti ad stomachum; nam vt dicit Arist. in hoc cap. augmentum fit aduenìente aliquo extrinseco, videlicet alimento; nihil autem rei, quæ augetur aduenire potest, nisi per motum localem: Secundo, alteratio alimenti, & cibi facta a calore naturali: Tertio, corruptio alimenti, non enim aliter tum potest viuentem nutrire, & alere, nisi assimiletur alito; nequit autem ei assimilari, quin amittat formam,

mam, quam habet, hæc vero amissio formæ est corruptio: Quarto, inuenitur partialis rei viuentis generatio, quæ ageneratio, seu nutritio appellatur: materia enim illa, quæ antea erat sub forma alimenti, it formatur forma substantiali aliti: non itaque potest dari augmentum sine nutritione; bene tamen nutritio sine augmento; *nam vt ait Arist. tex. 41. huius capitis, animal quandiu vivit nutritur, non autem quandiu viuit augetur*: Deniq; reperitur adquisitio maioris quãtitatis, quæ vnico nomine augmentatio nuncupatur.

Prima conclusio: augmentatio nõ est collectiue omnes istæ mutationes, & motus: *Ita Arist. qui in post prædicamentis cap. 13. augmentationem distinguit a generatione, corruptione, alteratione, & motu locali.* Ratione probatur, quod non est vnus homo, non est homo; ergo quod non est vnus motus, non est motus: ergo si augmentatio, non est vnus motus sed collectio illorum motuum non erit motus, quod est absurdum.

Secunda conclusio: augmentatio distinguitur realiter ab omnib⁹ aliis motibus ita Arist. Ratione probatur distinctio motuum, & mutationum, ex distinctione formali terminorum dctummenda est; sed terminus ad quẽ augmentationis distinguitur realiter a terminis aliorum motuum: ergo vera est conclusio. Minor constat; nam vt diximus 5. Phylic. motus realiter identificatur cum suo termino ad quem, & ab eo specificatur, & constituitur: ergo distinctio motuum, ex distinctione formali terminorum est detum enda. Minor probatur; nam terminus ad quem augmentationis est maior quantitas, terminus verò motus localis, vbi, alterationis, qualitas corruptionis, generationis, & nutritionis substantia; ergo vera est minor.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Augmentatio fit in instanti: ergo non est motus. Probatur antecedens; semper in augmentatione adquiritur noua pars substantiæ, sed substantia cum sit indiuisibilis adquiritur in instanti: ergo augmentatio fit in instanti.

Respondetur negando antecedẽs; probationi dicimus cum *Magistro Bañes q. 1. huius cap. ad 2.* Quod noua pars substantiæ quæ per nutritionem adquiritur non producitur in instanti, sed successiue, & in tempore, nutritio enim vt supradiximus non est motus instantaneus, sed successiuus; nam res, quæ incipiunt, & desinunt cum motu incipiunt, & desinũt ad modum motus: Quemadmodum ergo quantitas, & qualitas, quę ex sua natura sunt adquisibiles per motum successiuum, quando producuntur simul cũ substantia producuntur instantaneé, & incipiunt per instans intrinsecum, ita quando substantia adquiritur, cum motu successiuo, adquiritur successiue, & in tempore, & incipit per instans extrinsecum, videlicet per vltimum non esse: cum ergo nutritio fiat cum augmenta-

tatione, quæ est motus successiuus, etiam nutritio ipsa motus successiuus erit.

Dices: Cibum, seu alimentum desinit esse per instans extrinsecum, videlicet, per primum non esse: ergo si forma aliti incipit informare materiam alimenti in instanti extrinseco, in aliquo instanti erit materia prima alimenti, sine aliqua forma.

Respondetur negando antecedēs: Cibus enim, seu alimentum desinit esse per instans intrinsecum, videlicet per vltimū sui esse, alioquin materia existeret sine forma in aliquo instanti, quod est impossibile.

Secundum argumentum: Augmētatio est motus ad substantiam: ergo non distinguitur a generatione, vel nutritione, quæ ad substantiam terminantur. Probatur antecedens; quid quid augetur adquirit aliquid substantiæ: ergo augmentatio est motus ad substantiam.

Respondetur negando antecedēs: probationi negatur cōsequentia; quādo enim reperitur augmentatio, simul cum ipsa reperitur nutritio, & nutritio terminatur ad maiorē substantiam; augmentatio verò ad maiorem quantitatem.

Tertium argumentum: Augmentatio est motus ad quantitatem; sed nutritio etiam est motus ad maiorē quantitatem: ergo nutritio, & augmentatio non distinguntur. Probatur minor; nutritio est motus ad maiorem substantiam; sed impossibile est, quod adquiratur maior substantia, quin etiam adquiratur maior quātitas: ergo nutritio est motus ad maiorem quantitatem.

Respondetur distinguendo minorem: Nutritio est motus ad maiorem quantitatem, primo, & per se nego, est motus ad quantitatem secundario, & concomitanter concedo: terminatur itaque nutritio ad substātiam; augmentatio verò ad quantitatem, quæ facit maiorem substantiam: ac per consequens terminis augmentationis, & nutritionis realiter distinguntur. Quod si aliquando Arist. videtur dicere augmentationem, & nutritionem esse idem, intelligēdus est, quod sunt idem subiecto, vel quod simul se concomitantur, nunquā enim datur augmentatio sine nutritione, vt dictum est.

QVAESTIO II.

Vtrum sola viuentia augeantur?

OBseruandum est corruptibiles diuidi in simplices, cuiusmodi sunt elementa, & in mixtas, quæ ex elemētis componuntur. Ex mixtis etiam, quædam sunt viuentes, vt leo, quædam non viuentes, vt lapis.

Sit conclusio: Sola viuentia augentur proprie, & in rigore, siue sint viuentia vita vegetante, vt plantę, siue vita sentiente, vt bruta, siue vita rationali, vt homo: *ita Arist. text. 29. huius libri*, vbi ait, *quod principium motus est in eo quod augetur*: ex quibus verbis efficax pro conclusione desumitur ratio. Ex Arist. ea augentur, quæ habent in se principium vt augean-

geantur; ideſt principium intrinſecum actiuum ſui augmenti; ſed ſola viuentia augentur ab intrinſeco, non viuentia verò ab extrinſeco, vt diximus in Phyſicis: ergo ſola viuentia proprie augentur: eandem concluſionem tenet *D. Tho. hic tex. 42. & 3. p. q. 33. art. 1. ad 3. & alijs in locis.* Ratione probatur. Augmentatio includit nutritionem; ſed ſola viuentia nutriuntur: ergo ſola viuentia augentur. Probatur minor; nutritio eſt reparatio perditarum partium præditarum, per actionem interna caloris naturalis operantis, circa partes ipſius rei quæ nutritur; ſed in non viuentibus non datur talis actio interior, cum enim omnes partes rei non viuentis ſint ſimiles, & eiuſdem rationis non poteſt vna agere in aliam: ergo ſola viuentia nutriuntur.

Secundo probatur concluſio: Eiº, quod augetur, quælibet pars augetur, vt dicemus quæſtione ſequenti; ſed non viuentia non ſic augẽtur benè tamen viuentia; ergo vera eſt concluſio. Probatur minor, nam ſi terræ additur terra, illa ſolum pars terræ augetur, cui alia pars adiungitur, nõ vero reliquæ partes, at verò in viuentibus per omnes partes ſe diffundit alimentum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ignis non eſt res viuens; & tamen propria virtute augetur: ergo non ſola viuentia augentur. Probatur minor, nam experientia conſtat, quod ſi igni apponuntur combuſtibilia, ignis creſcit, & fit maior: ergo augetur.

Reſpondetur negando minorem; probationi dico: quod cum igni aplicantur de nouo combuſtibilia, non augetur ignis præexiſtens, ſed nouus ignis producitur, vt docet expreſſe *D. Tho. 2. de anima tex. 46.* qui quidẽ ignis nouiter productus, non efficit vnum ſimpliciter cum igne prius exiſtente, ſed vnum aggregatione, ſicut acerbus lapidum: Verum eſt tamen, quod hæc noua productio ignis maximam ſimilitudinem habet, cum augmento, & nutritione, hinc flamma ignis dicitur deuorans, & cõbuſtibilia appellantur pabulum, & nutrimentum ipſius ignis.

Secundum argumentum. Lapides in locis in quibus generantur, augentur ſuſcipiendo interius humorem, quibus conuertitur in lapidem; ſed lapides non ſunt viuentia, vt conſtat: ergo non ſola viuentia augentur.

Reſpondetur negando maiorem: Non enim lapis dicitur proprie augeri, quamuis efficiatur maior: Et ratio eſt; quia ſolum augetur extrinſece per iuxta poſitionem alicuius intrinſeci, & ſolum augentur, quoad illam partem in qua fit additio, non autem quoad omnes partes, quod requiritur ad augmentationem proprie dictam.

Tertium argumentum: Vinum non eſt viuens, & tamen ſi vino immiſceatur aqua, quælibet pars vini augetur: ergo non ſola viuentia augentur. Minor conſtat, quælibet enim pars vini manet debilior: ergo aqua,

quæ immiscetur per omnes partes vini diffunditur: ergo quælibet pars vini augetur.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus: Quod quamuis quælibet pars sensibilis vini post mixtionem cum aqua debilitata sit, non hoc prouenit, quia quælibet pars vini intra se aquam susceperit. Sed quia partes, quæ intra se receperunt aquam debilitant alias partes vini cū quibus continuantur, easque sibi similes faciunt.

QVAESTIO III.

Vtrum eius, quod augetur quælibet pars augeatur?

OBserua primo: Quod in corpore cuiuslibet viuentis innumeri reperiuntur pori, ideſt, quædam vacuitates, seu concauitates, & foramina minutissima plena humore quodam subtili aere, videlicet, vel sanguine tenuissimo, & isti pori propriè non augentur; sed augmentationi deseruiunt; nam ex alimento detempto in poris, partes corporis augentur.

Obserua secundo: Quod pori duplicem habent causam: Efficientem, videlicet, & finalem; causa efficiens est calor naturalis intra viuens existens, qui cum resoluat, & consumat partes corporis, ex hac resolutione superſunt pori: Causa verò finalis duplex est: Prima, vt sint viæ per quas excrementa. Vt sudores extra corpus eiciantur, ne intra manentia corrumpant partes nostri corporis: Secunda, vt sint viæ per quas alimentum deferatur ad omnes partes nostri corporis.

Obserua tertio: Duplicem esse viā per quam alimentum defertur ad partes corporis: Prima via, sunt venæ habentes multos ramos, quorum alij declinant in vnas partes corporis, alij verò in alias; quia verò non omnibus partibus corporis, quantumuis exiguis propriè venæ correspondent, natura prouida, quæ in necessarijs non defuit, aliam viam tribuit, videlicet poros, qui quidem per omnes partes corporis se extendunt, & per ipsos, partes corporis, in quibus non sunt venæ atraunt sanguinem, & alimentum, quo augeantur.

Obserua quarto: Partes viuentis, quæ augentur esse in duplici differentia. Aliæ enim sunt sanguineæ, vt caro. Aliæ verò sunt densæ, & solidæ, vt ossa, & neruia, & istæ partes solidæ certo tempore augentur, & difficile deperduntur, & semel deperditæ difficilius recuperantur, caro autem facile deperditur, & facile restauratur, vt experientia constat. Omnes istæ partes augentur per introductionem alimenti; introducitur enim alimentum per poros, & corpus contentum in poris excluditur; nam alioquin daretur penetratio corporum, quemadmodum in anfora introducitur aqua, expellitur aer, qui antea replebat anforam.

Prima conclusio: Omnes partes rei viuentis habent poros. Probatur conclusio. Omnes partes rei viēntis augē-

tur

tur ab intrinseco per introductionem alimenti; sed huiusmodi partes non scinduntur, nec diuiduntur, vt cibus deferatur ad ipsas: ergo necessario sunt concedendi pori per quos cibus introducatur. Probatur minor; non potest esse diuisio continui in animalibus sine dolore; sed nos cum augemur numquam experimur hunc dolorem: ergo non scinduntur, nec diuiduntur partes, vt cibus introducatur.

Secundo probatur conclusio: De cibus de quibus est specialis difficultas; si ossa frangantur in ipsis reperiuntur multa foramina: ergo ossa sunt partes porosæ. Insuper medula, quæ reperitur in aliquo osse augetur, sed non potest augeri, quin illi applicetur alimentum, & non potest applicari quin intromittatur, nec potest intromitti sios non habet poros: ergo nulla datur pars ossis adeo solida, quæ porosa non sit.

Secunda conclusio: Eius, quod augetur omnes partes simul augentur per introductionem alimenti. Ita Arist. in hoc cap. & potest probari ex dictis; nam omnes partes viuentis sunt porosæ; sed finis pororum est, vt per ipsos deferatur alimentum ad partes corporis: ergo omnes partes corporis recipiunt alimentum: ergo omnes augentur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. In rebus viuentibus, quæ augentur dantur aliquando partes aridæ, & male affectę, quæ non possunt augeri: ergo augmentatio non fit secundum omnes partes.

Respondetur: Quod si partes viuentis ita sunt aridę, vt nulla ratione viuant, non continuantur, sed contiguantur cum ipsis rebus viuentibus: nam vt diximus in Physicis, quæ sūt diuersę speciei continuari nequeunt, viuens autem, & non viuens diuersę speciei sunt; nihil ergo mirum, si pars arida non augetur, quamuis aliæ partes augeantur: Si autem pars arida adhuc viuit aliqualiter augetur, non autem equaliter, sicut, & aliæ partes, quæ bene sunt affectæ, & non impeditę. bene vero contiguari

Secundum argumentum. Si omnes partes rei, quæ augentur, augerentur secundum trinam dimensionem, sequeretur animal non esse magis longum, quam latum, & rotundum: Ac per consequens omnia animalia essēt rotunda, vel quadrata; sed hoc repugnat experientiæ: ergo augmentatio non fit secundum omnes partes.

Respondetur negando maiorem: Dum enim dicimus, omnes partes viuentis simul augeri secundum trinam dimensionem, intelligendum est secundum proportionem, non autem secūdum æquales gradus. Ita vt æqualiter crescant in latam, atque in longam, magis enim crescit secundum longitudinem, ratione caloris naturalis sursum tendentis.

Tertium argumentum. Alimentum non potest applicari partibus superioribus cum sit corpus graue; sed illi

partes, quibus non applicatur alimentum non possunt augeri : ergo augmentatio, non fit secundum omnes partes.

Respondetur negando maiorem: Vnaquæque enim pars corporis viuētis potest alterari, concoquere, & conuertere in propriam substantiam alimentum iuxta se positum, ac per consequens in qualibet parte corporum reperitur virtus, & facultas alitiua per quam virtutem attrahitur alimentum ab omnibus partibus corporis, ex qua atractione augentur omnes partes.

Quartum argumentum. Capili, & vngues augentur post vigesimum quintum annum, quando aliæ partes hominis non crescunt: ergo augmentatio non fit secundum omnes partes.

Respondetur negando consequentiam: Nostra enim conclusio intelligitur de partibus, quæ non adquisierunt suum terminum, & magnitudinem naturalem : cum ergo post vigesimum quintum annum âdquisierint omnes partes integrantes corporis magnitudinem suæ naturæ debitam, non amplius augentur, tamen capili, & vngues, qui actu adhuc non adquisierunt suum terminum, cum enim sint excrementa, & superfluitates naturæ, etiam post annum vigesimum quintum eorum incrementum perseuerat.

Quintum argumentum. Spadones augentur, quo ad manus, crura, & braquia manentibus capite, & alijs partibus in eadem æqualitate : ergo augmentatio non fit secundum omnes partes.

Respondetur : Quod in Spadonibus minus crescit caput propter deffectum caloris, qui in capite propter celebrum frigidissimum minimè reperitur ; aliæ autem partes corporis maxime, & sine proportione crescunt, quia superfluunt alimenta, quæ in alijs in semen conuertuntur, & in ipsis conuertuntur in ossa, & carnes.

QVAESTIO IV.

Vtrum detur decretio, seu diminutio?

SIt conclusio : De facto datur decretio, & diminutio. *Ita Arist. in post prædicamentis, cap. de speciebus motus, & etiam in hoc cap. 5.* Probatur ratione. Per nutritionem recuperat viuens substantiam deperditam: ergo substantia ipsa deperditur, & diminuitur, dum itaque facultas, & ætas est robusta, quod in hominibus contingit, â primo ortu, vsque ad annum vigesimum primum, vt vult Hipocrates, vel vt alij volunt vsque ad annum circiter vigesimum quintum restauratur maior substantia, quã deperdatur; quia calor firmior est, magisque versus omnes partes reponit alimentum : in tota verò ætate florida, quæ post ætatem robustam incipit, & vsque ad senectutem protēdit, restauratur tanta substantia, quanta deperditur, est enim calor naturalis ad mediocritatem quandam temperatus, cessatque in ista ætate esse aug

men-

mentum. Aduenit tandem ætas extrema, quando animalia senescunt, & decrepitant, cum facultates languescunt, debilitantur vires, & non restaurantur tantum substantiæ, & quantitatis, quantum deperditur: ergo datur de facto decretio, quæ nihil aliud est; *quam motus à maiori quantitate ad minorem à causa interna procedens*: Verum est tamen decretionem, seu diminutionem, non ita esse sensibus manifestam, sicut augmentationem cuius disparitatis ratio est; quia decretio causatur propter penuriam, inopiam, & defectum alimenti, & non potest esse tanta inopia alimenti, vt animal sensibiliter decrescat, & atenuetur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Viuentia toto vitæ tempore nutriuntur: ergo numquam decrescunt. Probatur consequentia; nam per nutritionem substantia deperdita recuperatur, per decretionem verò substantia partialis deperditur, sed impossibile est, quod idem viuens simul deperdat substantiam, & substantiam recuperet: ergo impossibile est, quod simul nutriatur, & decrescat.

Respondetur negando consequentiam; probationi negamus absolute minorem; non enim est inconueniens, quod idem viuens secundum diuersam rationem simul deperdat substantiam, & substantiam recipiat: Idem ergo calor natiuus, & naturalis agens in humidum radicale facit, quod deperdatur substantia, & conuertens alimentum in substantiam aliti, in qua conuersione consistit nutritio facit, quod pars substantiæ recuperetur: quemadmodum enim in eadem lucerna simul potest consummi oleum, & aliunde infundi, ita per eundem calorem naturalem, adquiritur pars substantiæ, & deperditur.

Secundum argumentum. Decretio ducit ad interitum, & corruptionem; sed natura non intendit corruptionem, sed totius conseruationem rerum viuentium: ergo non datur in rebus viuentibus principium, & causa saltim intrinseca decretionis.

Respondetur distinguendo minorem: Natura enim primo, & per se, solum intendit conseruationem rerum viuentium, potest autem per accidens earum destructionem causare, calor itaque naturalis, qui quidem est causa decretionis conseruatur in humido radicale; quia verò non potest conseruari, quin consummatur humidum radicale, per accidens, & præter illius intentionem sequitur decretio, quæ causatur ex nimia consumptione humidi radicalis, quemadmodum ignis existens in ligno primo, & per se intendit sui conseruationem, per accidens autem se ipsum destruit, destruendo ligna in quibus conseruatur.

(:)

QVAES-

QVAESTIO VLTIMA.

de nutritione.

VLtimo loco ad perfectam intelligentiam eorum, quæ in hoc capite traduntur ab Aristotele de nutritione agendum erit. Poterit autem nutritio sic diffiniri: *Assimilatio substantiæ viuentis, ex alimento facta per animam, virtute caloris naturalis, vt vita conseruetur:* In qua diffinitione, quatuor genera causarum exprimuntur. In illa enim particula: *Assimilatio substantiæ viuentis*: Designatur, id quod est veluti forma nutritionis; tunc enim perfecta est nutritio, cum alimentum factum est simile viuenti. Secunda particula; *ex alimento*: Designat materiam. Tertia particula; *per animam*: Designat causam efficientem principalem. Quarta particula; *virtute caloris naturalis*: Significat causam efficientem instrumentariam. Additur denique; *vt vita conseruetur*; quia vitæ conseruatio est finis nutritionis.

Differunt autem maximè, nutritio, & augmentatio. In primis, materia; nam alimentum est materia nutritionis in quantum valet ad reparandam substantiam, augmentationis verò in quantum valet ad maius corpus efficiendum. Distinguuntur etiam instrumento; nam quamuis calor naturalis sit instrumentum vtriusque, attamen maior calor desideratur ad augmentationem, quam ad nutritionem, & hinc est, quod in senibus in quibus deficit calor reperitur nutritio; non tamen augmentatio. Distinguitur præterea tempore; nam nutritio durat per totam vitam: Augmentatio verò per aliquos annos durat, videlicet quandiu durat ætas robusta. Distinguuntur etiam in fine proximo; nam nutritio refert ad conseruationem vitæ, augmentatio verò ad adquirendam perfectam, & debitam quantitatem.

CAPVT VI. VII. VIII. & Vlt.

DE CONTACTV, ACTIONE, passione, & mixtione.

POstquam egit Arist. in superioribus de ortu, & interitu in communi, instituit iam de ortu, & interitu disputare, & in primis de ortu, & interitu elementorum, quæ sunt quasi materia omnium rerum generabilium, & corruptibilium; Cœterum; quia Antiqui Philosophi existima-

ma-

mabant ortum, & interitum fieri congregatione, & segregatione, congregatio verò non potest fieri sine mixtione: Primo, de mixtione elementorum sermonem instituit, & quia non possunt misceri, quin mutuo agant, & patiantur, proinde prius de actione, & passione verba facit, impossibile est autem, quod aliqua agant, & patiantur, quin se tangant: Proinde ergo in hoc capite explicat, quid, & quotuplex sit contactus in 7. 8. & 9. capite agit de actione, & passione, in vltimo verò capite, quid sit mixtio, & qua ratione fiat explanat. Circa cap. 6. inuestigari solet: An agẽs debeat tangere passum. Hæc autem quæst. eadem est cum illa, quæ inuestigat: An moueus, & motum debeant esse simul? Quam habemus explicatam septimo libro Physicorum.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM OMNE AGENS, DVM agit repatiatur?

OBseruandum est: Quæstionem non procedere de agente incorporeo; sed de agente corporeo, quod agit per contactum quantitatiuum, & est coniunctum cum passo immediatione suppositi: Procedit etiam quæstio; quando agens est debite approximatum passo: Si enim ignis longe distet ab aqua aliquali distantia calefaciet aquam, non tamen repatietur ab aqua, quia passum non potest reagere nisi intra certam distantiam.

Sit conclusio: Omne agens per contactum corporeum habens materiam eiusdem rationis si sit debite approximatum passo dum agit repatitur. Ita Arist. cap. 7. huius libri, & aliis in locis. Probatur autem conclusio experientia: Si enim aqua calida infundatur aquæ frigidæ, vna frigefit, & altera calefit: Si ferrum ignitum immergatur aquæ frigidæ, calefacit aquam, & refrigeratur ab illa, gelu apprehensum manu, refrigerat manum, & liquefit calore manus: ergo experientia comprobatur, veritas nostræ conclusionis. Probatur ratione; in ipsa mixtione, elementa temperantur, remittunturque eorum qualitates; sed hoc non esset nisi mutuo agerent, & paterentur: ergo agens corporeum dum agit, aliquid patitur ab eo in quod agit.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Quod agit est actu, quod patitur est in potentia; sed impossibile est, quod aliquid

quid si mul sit in actu, & in potentia: ergo impossibile est, quod aliquid dum agit repatiatur.

Respondetur distinguendo minorem: Si enim intelligatur secundum eandem rationem vera est: At verò secundum diuersam rationem non repugnat idem simul esse in actu, & in potentia: Agens itaque est in actu, secundum formam, & qualitatem, qua agit: Est tamen in potentia ea ratione, qua recipere potest qualitatem contrariam; v. g. aqua frigida est in actu, secundum frigiditatem, & est in potentia secundum caliditatem, quam recipere potest.

Secundum argumentum. Si agens in agendo repateretur fieret consequens, quod idem corpus posset simul moueri motibus contrarijs, calefieri videlicet, & frigefieri; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Sequela probatur; si quando ignis agit in aquam eam calefaciendo aqua similiter ageret in ignem per frigefactionem, aer medius inter ignem, & aquam frigefieret, & calefieret: ergo idem corpus moueretur motibus contrarijs.

7 Respondetur nullum esse inconueniens; quod idem simul moueatur motibus contrarijs à diuersis agentibus, neque quod idem aer simul sit frigidus, & calidus in gradibus remissis.

9 Tertium argumentum. Deus, Angeli, & Cœli agunt in ista inferiora sublunaria; & tamen non repatiuntur ab istis inferioribus, vt per se constat: ergo non omne agens dum agit repatitur.

10 Respondetur negando consequentiam: Conclusio enim intelligenda est, vt diximus de agente corporeo, Deus autem, & Angeli, agentia in corporea sunt: Est etiam intelligenda de agente corporeo habente materiam eiusdem rationis cum ipso passo: At verò materia prima Cœlum non est eiusdem rationis cum materia prima rerum sublunarium, vt diximus disputatione secunda librorum de Cœlo.

11 Quartum argumentum. Quod mouetur secundum locum, non repatitur: ergo neque quod alterat aliquod corpus; v. g. ignis calefaciens aquam.

12 Respondetur negando consequentiam: Est enim dispar ratio; nam motus localis non fit inter qualitates contrarias, quæ sunt principia agendi, & patiendi, bene tamen alteratio, vt quãdo aliquis ex albo fit niger, vel ex calido frigidus.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum simile agat in sibi simile?

13 OBserua primo: Quod similia possunt considerari dupliciter: Primo, materialiter pro rebus ipsis entitatiue sumptis: Secundo, formaliter, vt similia sunt: Certum est, quod si similia considerentur materialiter, potest vnum agere in alterum in quãtum habet alias qualitates dissimiles, & contrarias, secundum quas agunt, & patiuntur; v. g. nix, & calx, quæ assimilantur in albedine possunt age-

re,

re, & pati inter se in quantum nix est frigida, calx verò calida: similiter etiam ignis, & aer sunt similes in caliditate, possunt tamen agere, & pati inter se; quia ignis est siccus, & aer est humidus: Sensus igitur quæstionis erit. An si simile agat in simile formaliter, vt simile est, & secundum eam qualitatem in qua assimilantur.

Obserua secundo: Tripliciter aliqua esse similia: Primo, in qualitate, qua ratione calidum, vt sex, & calidum, vt duo assimilantur; quia habent eandem qualitatem secundum speciem, videlicet calorem: Secundo, in gradibus eiusdem qualitatis, qua ratione assimilantur duo calida, vt duo ligna habentia eosdem gradus caloris: & quemadmodum aliqua possunt esse similia in qualitate, dissimilia verò in gradibus, vt calidum, vt sex, & calidum, vt duo: ita possunt esse similia in qualitate, & gradibus eiusdem, non autem in potentia, & virtute agendi; v. g. ferrum calidum, vt quatuor, & lignum calidum, vt quatuor sunt similia in qualitate, & gradibus, non autem assimilantur in potentia calefaciendi, cum enim ferrum sit magis densum vehementius calefacit.

Si conclusio: Nulla ratione simile, potest agere in sibi simile, si considerentur, vt similia sunt formaliter quouis modo ex tribus assignatis assimilentur. Ita Arist. in his capitibus, qui quidem expresse ait, *id quod agit agere in dissimile secundum speciem*: ergo simile nulla ratione agit in sibi simile, non itaque magis calidum agit in minus calidum, in quantum calidum est; nam magis, & minus calidum, non differunt specie; neque etiam maior, vel minor potentia ad agendum speciem qualitatis mutat. Insuper introductio caloris est expulsio frigiditatis: ergo calidum solum agit in aliquid in quantum est frigidum: ergo simile nulla ratione agit in sibi simile.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Magis calidum agit in minus calidum; sed illa sunt similia, cum habeant eandem qualitatem: ergo, &c.

Respondetur distinguendo maiorem: Magis enim calidum non agit in minus calidum, in quantum calidum est, sed quatenus minus calidum habet adhuc aliquam frigiditatem, quæ quidem à magis calido potest expelli: Ac per consequens potius agit in contrarium, quam in sibi simile.

Secundum argumentum. Lux vnius candelæ illuminat aerem à luce alterius candelæ illuminatum: ergo simile agit in sibi simile.

Respondetur negando consequentiam: Duplex enim est actio alteratiua: Alia est perficiens, & alia est destruens, quæ ducit ad interitum. In præsenti quæstione solum loquimur de actione alteratiua destruente, & corrumpente, qualis est calefactio, frigefactio &c. Iam verò illuminatio est alteratio perficiens, & hinc est, quod corpora Cœlestia, quæ omnino

in corruptibilia sunt de facto illuminantur.

Tertium argumentum. Vbi est minor resistentia passi, facilior est actio agentis; sed minor est resistentia similis ad simile, quam contrarij ad contrarium: ergo cum vnum contrarium agat in aliud â fortiori simile in sibi simile.

Respondetur negando minorem; nam inter duo similia formaliter, vt similia sunt, nulla est resistentia, vel contrarietas, & ex consequenti nulla actio, vel passio, nam ratio agendi, & patiendi est contrarietas qualitatum, qua sublata, etiam tollitur actio, & passio. Hoc in loco inuestigari solet: An idem agat in se ipsum? Hæc autem difficultas eodem modo dissoluenda est, sicut illa, quam propo: suimus. 7. Physicor. An quidquid mouetur ab alio moueatur? Si enim, vt ibi probauimus, quidquid mouetur motu Physico mouetur ab alio: ergo nihil mouet se ipsum: ergo nihil potest in se ipsum agere: Agere enim est mouere. Solet etiam disputari de mixtione; Quia verò huius cognitio dependet ex cognitione elementoru̅, multo commodius hæc disputatio in libro sequenti proponetur, in quo de natura elementorum erit sermo. Et hæc de primo libro.

LIBER II.

DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

Lementa duplici ter cōsiderari possunt: Primo, vt sunt partes mundi, in eo certum, & diffinitum locum obtinētia ad quem naturaliter feruntur motu locali: Secundo, vt sunt prima generabilia, & corruptibilia, quidquid enim gignitur, vel corrumpitur, aut elementum est, aut ex elementis compositum. Iuxta primam consideratione̅ spectat eorum disputatio ad libros de Cœlo. Iuxta secundam verò in præsenti libro disserit Aristoteles de elementis, & hoc est intentum Philosophi, & argumtntum præcipuum huius libri, in quo vndecim capita comprehenduntur.

SVM-

SVMMA CAPITVM HVIVS LIBRI.

IN primo capite huius libri reiectis Antiquorum Philosophorũ sententiis de materia elementorum, docet Arist. vnam, & eandem esse materiam primam omnium elementorum, & omnium corporum, quæ sensibus percipiuntur. In secundo, docet Arist. qualitates esse formas elementorum: sunt autem primæ qualitates quatuor, videlicet caliditas, siccitas, frigiditas, & humiditas. In tertio, ex numero primarum qualitatum colligit Arist. quaternarium numerum elementorum, videlicet ignem, aërem, aquam, & terram: est enim ignis calidus, & siccus, aër calidus, & humidus: aqua frigida, & humida: terra frigida, & sicca. In capite quarto affirmat Arist. elementa ad inuicem transmutari, idest vnum generari ex alio; quia vero ex elementis, quædam sunt simbola, quæ videlicet conueniunt in aliqua qualitate, vt ignis, & aër in caliditate: aër, & aqua in humiditate: aqua, & terra in frigiditate: ignis, & terra in siccitate: alia verò sunt dissimbola, seu contraria, quæ in nulla qualitate communicantur, vt ignis, & aqua, & similiter aër, & terra: docet Arist. elementa simbola facilius trãsmutari, quam dissimbola. In quinto capite reffellit sententiam Arist. asserentium materiam transmutationis esse aliquod ex elementis, docetque materiam transmutationis esse materiam primam omnibus elementis cõmunem. In sexto reprehendit Philosophus sententiam Empedoclis negantis transmutationem elementorũ; aiebat siquidem elementa nequaquã transmutari, sed omnia ex elementis oriri.

In septimo agit Philosophus de mixtione elementorum; cum enim elementa agant, & patiantur mediis qualitatibus, inde prouenit, quod mutua actione, & passione, ita miscentur, & contemperantur, vt deueniant ad certam mediocritatem, & temperamentum in quo elementa non sunt actu, sed sola potestate, & quia hæc contemperatio ō semper est eadẽm, fit, vt res diuersæ oriantur. In octauo probat omnia mixta ex quatuor elementis constare: In primis enim experientia constat mixta esse terrea, sed terra sine humore non posset componere: ergo terræ adiungitur humor, & aqua. Insuper cum mixta generentur, & corrumpantur debent ex contrarijs componi: ergo constabunt ex aëre, & igne, quæ terræ, & aquæ aduersantur.

In nono, impugnat, & reijcit tres sententias de causa efficiente transmutationis. In decimo docet accessum, &

receſſum Planetarum; maximè verò ſolis, qui eſt Planetarum præſtantiſsimus, eſſe cauſam efficientem generationis, & corruptionis, quod de cauſa efficiente vniuerſali intelligendũ eſt. In vltimo capite quibuſdam dubitationibus ſatisfacit. Prima eſt: an quæ oriuntur, neceſſario oriantur, vel contingenter?

Reſpondet: Quædam oriri neceſſario, & quædam contingenter: res enim eodem modo ſe habent ad eſſe, atque ad fieri; ſed quædam ſunt neceſſariæ, & quædam contingentes: ergo quædam fiunt, & oriuntur neceſſario, & quædam contingenter.

Secunda dubitatio eſt: An omnia neceſſaria fiat talia, eadem ratione?

Reſpondet negatiuè: dupliciter enim eſt aliquid neceſſarium; aliud ſimpliciter in quo prius colligitur ex poſteriori, & è contra, qualia ſunt, quæ reciprocantur: aliud ex ſuppoſitione in quo prius colligitur ex poſteriori, & non è contra, vt eſt domus, & fundamentum.

Vltima dubitatio eſt: quare in quibuſdam rebus naturalibus, quædam vicißiſime, ex aliis generantur, quædam verò non ita: videmus enim ex nubibus aquam cadere, & terram madefacere, poſtea ex terra madefacta vapores eleuari, ex quibus fiunt nubes, quæ poſtea in aquam conuertuntur, & iterum pluit. In animalibus autem non videmus huiuſmodi circulũ; nam qui natus eſt à patre, non producit patrem?

Reſpondet cauſam eſſe; quia illa priora mouentur per circulum, non ita tamen illa poſteriora; ſed veluti motu recto.

Animaduertit tandem Ariſt. illa non iterum generari eadem numero, ſed eadem ſecundum ſpeciem.

QVAESTIO PRIMA.

VTRVM ELEMENTA SINT quatuor?

OBſerua primo: vt proprié aliquid dicatur elementum, hæc requiri: Primo, vt ex eo aliquid fiat, vt materia: cauſa efficiens, & finis elementa vnde: Secundo, vt ex eo iuſito, & non ſumpto: Tertio, vt aliquid fiat: quare priuatio elementum non eſt: Tertio, vt fiat corpus, & ita materia prima, & forma elementa non ſunt: Quarto, vt nõ reſoluatur in alia corpora ſpecie diſtincta: ac per conſequens, caput, manus, & aliæ partes elementa non ſunt.

Obſerua ſecundo; non eſſe dubium apud Philoſophos Chriſtianos: an detur ignis inferni, & purgatorij, & qui futurus eſt in fine mundi? quos omnes ſic-

firma fide recipiunt. Insuper non est dubium: An detur ignis vsualis, quo videlicet communiter vtimur: experientia enim quotidiana comprobatur dari huiusmodi ignem. Solum ergo dubitatur de sphera ignis. An videlicet detur ignis elementalis supra aerem, & infra Cœlum Lunæ; nam vt refert Cicero. 2. libro de natura Deorum fuit stoicorum opinio, non dari ignem elementalem.

Prima conclusio. Non datur vnicum tantum elementum. Probatur; omnia mixta mouentur motu elemẽti prædominantis: ergo si solum datur vnum elementum omnia mixta mouentur eodem motu naturali; sed hoc est falsum, & contra experientiam grauia ferri deorsum, & leuia sursum: ergo non datur vnicum tantum elementum. Insuper si vnicum daretur elementum non esset tanta varietas mixtorum, imo neque daretur mixtio, vnum enim tantum mixtionem facere non potest.

Secunda conclusio. Quatuor in mũdo dantur elemẽta; nec plura, nec pauciora, videlicet ignis, aer, aqua, & terra. Hæc conclusio, communiter recipitur ab omnibus Philosophis & Medicis, eam docet Arist. præcipuè verò libro præcedenti cap. 3. & 4. & in hoc 2. lib. cap 2. 3. & 4. Et probatur rationibus eiusdem Arist. dato vno contrario in rerum natura necesse est alterum dari; sed datur corpus simplex summe graue, videlicet terra: ergo dabitur corpus summe leue, videlicet ignis; sed præter hæc duo corpora experimur alia duo dari intermedia minoris grauitatis, & leuitatis, videlicet aquam, & aerem, & præter hæc non experimur aliud corpus simplex sublunare: ergo quatuor tantum dantur elemẽta; habetur hæc ratio tertio libro de Cœlo.

Secundo probatur conclusio. Numerus elementorũ debet esse æqualis numero combinationum primarũ qualitatum; nam in singulis elementis duæ reperiuntur qualitates, quæ vnam combinationẽ faciunt; sed quatuor qualitates solum possunt combinari quatuor modis: ergo quatuor tantum dabuntur elementa. Probatur maior; nam elementa constituuntur per primas qualitates, quæ quidem sunt qualitates actiuæ, & passiuæ; Minor autem probatur; nam prima combinatio est caliditatis, & siccitatis, quæ conuenit igni: secunda caliditatis, & humiditatis; quæ conuenit aeri: tertia, frigiditatis, & humiditatis, quæ conuenit aquæ: quarta denique, frigiditatis, & siccitatis, quæ conuenit terræ: caliditas autem & frigiditas, tum etiam humiditas, & siccitas non se cõpatiuntur, ex cõtrarijs enim qualitatibus non potest fieri combinatio. Hæc ratio est Arist. cap 3. huius libri, & constabit amplius ex solutione sexti argumenti.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Genesis cap. 1. in quo agitur de creatione mundi, solum fit mentio terræ, & aeris, nulla facta mentione de igne: ergo non datur ignis elementalis: ad pri-

consequens tria tantum dantur elementa.

Respondetur negando consequentiam: Sanctus enim Propheta Moyses solum proposuit populo rudi in libro Geneseos illa, quæ sensibus facile percipi possunt, & quia ignis elementalis longe distat à sensibus, proinde non meminit ipsius: quemadmodum non facit mentionē de creatione Angelorum propter eandem rationem.

Secundum argumentum: Si daretur ignis elementalis haberet suam sedem, & locum naturalem, inter Cœlum Lunæ, & aerem; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Maior constat; nam igni, cum sit leuior omnibus corporibus sublunaribus superior inter omnia sublunaria debetur locus. Minor probatur; nam si inter Lunam, & aerem daretur ignis impediret ne videremus, quæ sunt in Cœlo: experientia enim comprobatur, quod maximus ignis positus ante nos obstat ne videamus, quæ sunt circa ignem; sed hoc non ita contingit: intuemur enim stellas, quę sunt in Cœlo: ergo absurdum est inter Cœlum, & aerem ignem concedere.

Respondetur negando minorem: probationi negamus maiorē; quam etiā aer mediat inter nos, & Cœlum; & tamen nō impedit, ne videamus, quæ in Cœlo sunt, & ratio est; quia aer est corpus rarum, & Diaphanum: ignis autem est rarior, & splendior aere, & per consequens minus erit nobis impedimenti: ignis autem, qui apud nos est, habet maximam densitatem ratione materiæ in qua est; ac per consequens impedit ne videamus, quæ circa illum sunt.

Tertium argumentum. Si daretur huiusmodi ignis, cum ignis habeat maximam actiuitatem consumeret aerem, quem contingit, & omnia calefaceret, & destrueret; sed hoc est contra ordinem vniuersi: ergo etiam contra ordinem vniuersi est, ignem concedere.

Respondeter negando maiorem; elementa enim, cum sint partes principales ipsius mundi habent præscriptum ab Auctore naturæ certum terminum suæ actionis, quem nulla ratione transgredientur, vt naturæ pulchritudo conseruetur: Quemadmodum ergo aer quamuis sit maximē humidus non humectat ignem, quem contingit, ita neque ignis vrit, vel calefacit aerem.

Quartum argumentum. Ignis elementalis nullo sensu percipitur, non enim à nobis vlla ratione videtur: ergo non datur ignis.

Respondetur negando consequentiam: Quamuis enim ignis elementalis propter maximam raritatem, & distantiam non percipiatur aliquo sensu, re vera tamen est corpus sensibile, & naturale spectans ad Physici considerationem. Quamuis enim ignis elementalis non cognoscatur à cognitione sensitiua per se, & directe: Intellectus tamen per discursum ex his, quæ percipit sensu iudicat dari tale corpus: Per sensus enim cognoscimus dari caliditatem, & siccitatem, quæ igni conueniunt.

Quintum argumentum. Et proba-

tur

tur esse plura, quam quatuor; Præter hæc quatuor elementa quorum quodlibet habet duas qualitates, constituenda sunt alia quatuor corpora simplicia, quæ solum habeant singulas qualitates, ita vt alterum tantum sit calidum, alterum tantum sit frigidū, &c. Ergo dabuntur octo elemēta.

Respondetur negando antecedens: Non enim possunt dari huiusmodi elementa, quæ tantum habeant singulas qualitates: Si enim ignis v. g. solum esset calidus, non posset misceri cum aere; nam quæ miscentur debent contemperari: Hæc solum contemperantur, quæ habent qualitates contrarias: Vnde si daretur corpus, quod solum esset calidum non posset contemperari cum humido, & sicco, cum non contrarietur illis, cum autem elementa debeant permisceri debent etiam duas qualitates obtinere: Est ergo ignis calidus, & siccus: Quia parte est calidus potest misceri aquæ, & terræ quæ sunt frigidæ: & qua parte est siccus potest misceri aquæ, & aeri, quæ sunt corpora humida; & idem est dicendum de alijs elementis.

Sextum argumentum. Numerus elementorum ex combinationibus primarum qualitatum colligēdus est; sed possunt esse plures combinationes, quam quatuor: ergo etiam plura elementa. Probatur minor; nam possunt fieri istæ combinationes: Prima, caliditas, & siccitas in gradibus remissis: Secunda, caliditas, & humiditas in gradibus remissis, &c. Præterea, eædem qualitates possunt combinari in gradibus intensis, iamque dabuntur octo combinationes. Insuper eædem qualitates possunt combinari, ita vt vna sit intensa, & alia remissa, dabunturque duodecim combinationes. Et denique possunt frigiditas, & caliditas combinari, & similiter humiditas, & siccitas saltim in gradibus remissis: ergo erunt quatuor decim combinationes: ergo, & decem, & quatuor elementa.

Respondetur negando minorem. Probationi dicimus; quod in vnoquoque elemento debet reperiri vna qualitas, quæ sit propria quarto modo, & quæ profluat immediate à natura elementi: Hæc autem qualitas debet esse intensa. Neque potest alijs elemētis conuenire eodem modo: Ac per consequens, qualitas, quæ est intensa in vno elemento, non erit intensa in alio elemento, alioquin non esset propria quarto modo. Hinc Arist. in hoc libro docet *in vnoquoque elemēto esse vnam qualitatem, magis propriā*, quod non esset verum si in elementis ambæ qualitates essent intensæ: erit ergo vna qualitas intensa, & alia remissa.

QVAESTIO II.

Vtrum quatuor primæ qualitates sint formæ elementorum?

Obserua primo: Elementa dupliciter considerari posse: Primo, secundum propriam naturam, & essentiam, quatenus mutua actione, agunt, & patiuntur. Secundo iuxta suas proprietates.

Obserua secundo: Quatuor qualitates

tates posse considerari, vel in gradu intenso, & perfectissimo, vel in gradu remisso, & imperfecto.

Sit conclusio: Qualitates elementorũ non sunt formæ substantiales constituentes elementa. Probatur; quatuor primæ qualitates sunt perceptibiles, per se, & ratione sui, ab aliquo sensu, videlicet à sensu tactus sed nulla forma substantialis est per se sensibilis, teste Arist. 2. de anima, si enim ab homine auferantur qualitates sensibiles nullo sensu percipi poterit: ergo quatuor primæ qualitates non sunt formæ elementorum.

Secundo probatur conclusio. Substantiæ vt diximus cum Arist. cap de substantia, nihil est contrarium; sed primæ qualitates sunt inter se contrariæ, contrariatur enim frigiditas caliditati, & humiditati siccitas: ergo non possunt esse formæ substantiales elementorum, erunt tamen propriè passiones, seu proprietates ipsorum, si considerentur in gradu intenso, & perfectissimo: erit itaque caliditas, propriè ignis, frigiditas aquæ, humiditas aeris, & siccitas terræ.

Sed dicet aliquis. Arist. cap. 2. huius libri expresse dicit *qualitates elementorum esse formas, per quas constituuntur elementa*: ergo ita sentiendum est.

Respondetur. Arist. locutum fuisse de elementis, quatenus mutua actione agunt, & patiuntur, cum enim forma substantialis, in qualibet re, solum sit principium agendi, & operandi radicale, & remotum, indiget accidentibus, quibus tanquam instrumentis, propriis operationes exercet, sunt enim huiusmodi accidentia principia proxima, & immediata operandi, & tales sunt primæ qualitates elementorum.

QVAESTIO III.

Vtrum Solæ quatuor qualitates assignatæ ab Arist. sint primæ?

OBserua primo; qualitates diuiduntur in spirituales, quæ spiritui inhærent, vt intellectus, & aliæ potentiæ animæ: & in corporales, quæ corpori inhærent; v. g lux, frigiditas, albedo, & alia huiusmodi.

Obserua secundo: Ex qualitatibus corporeis sensibilibus: quasdam esse Cœlestes, vt lux, motus, & influentia Cœlorum, de quibus egimus in libris de Cœlo: quasdam verò esse sublunares. Insuper ex illis, quædam sunt perceptibiles per sensum tactus, vt caliditas, frigiditas, &c. quædam verò sunt perceptibiles alijs sensibus, vt color, odor, sonus, & sapor: præsens quæst. procedit de qualitatibus corporeis sublunaribus.

Sit conclusio. Inter omnes qualitates sublunares solæ istæ quatuor dicuntur primæ, videlicet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas: ita Arist. in hoc lib. Ratione probatur; istæ quatuor qualitates dicuntur non fieri ex alijs qualitatibus sublunaribus: aliæ autem qualitates fiunt ex ipsis: ergo istæ quatuor qualitates dicuntur primæ: Consequentia constat, nam propter eandem rationem dixi-

mus,

mus in prim. Physicorum, materiam formam, & priuationem esse prima principia. Antecedens constat; nam ex mixtione frigiditatis, & caliditatis, humiditatis, & siccitatis oriuntur colores, sapores, & alia accidentia, materialia.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Lux est qualitas antecedens omnes quatuor qualitates ab Arist. assignatas: ergo ille qualitates non sunt primæ. Probatur antecedens; lux Cœli, Solis, & Stellarum est causa caloris, & siccitatis, & omnium qualitatum sublunarium: ergo erit prior omnibus illis: causa enim prior est suo effectu.

Respondetur negando consequentiam: In conclusione enim solum loquimur de qualitatibus sublunaribus, non autem de qualitatibus in communi, & in genere complectendo omnes qualitates etiam cœlestes: si enim ad istas referantur quatuor qualitates à nobis assignatæ, non dicuntur primæ, vt optime probat argumentum.

Secundum argumentum: Motus ad locum prius est motu alterationis: ergo etiã principia motus localis sunt priora principijs motus alterationis; sed grauitas, & leuitas sunt principia motus localis: ergo priores sunt, quam quatuor qualitates assignatæ ab Arist. quæ sunt principia motus alterationis.

Respondetur distinguendo antecedens. Motus enim ad locum prior est alteratione in diuersis rebus; v. g. motus Cœli, quo mouetur localiter prior est omnibus motibus sublunaribus, cũ sit causa illorum: In eadem verò re prior est alteratio, quam motus localis, non enim ista inferiora motu locali mouentur, quin prius alterentur, & generentur.

QVAESTIO IV.

Vtrum ambæ qualitates in vnoquoque elemento sint Summe intensæ.

OBserua primo: Quod titulus quæstionis supponit tanquam certum, in vnoquoque elemento duas esse qualitates primas, quam Doctrinam explicuimus, quæstione prima huius libri: si enim ignis solum esset calidus, non posset misceri cum aere: mixtio enim est contrariorum, & ignis vt calidus est, aeri non contrariatur, cum etiam aer sit calidus: ac per consequens debet habere siccitatem, humiditati aeris aduersariam. Hoc igitur supposito inuestigat quæstio: sint ne istę duę qualitates eodem modo intensæ?

Obserua secundo: Tripliciter aliquam qualitatem posse dici summe intensam: Primo, quia est impermixta, idest sine aliquo gradu contrariæ qualitatis: Secundo, ratione subiecti in quo est; nimirum, quia tale subiectum intensiorem qualitatem non patitur: Terra, simpliciter, & absolute; quia videlicet habet omnes gradus intensionis, quos naturaliter habere potest.

Prima conclusio: In quolibet ele-

mento; solum est vna qualitas, quæ primo, & immediate fluit ab essentia elementi, & est proprietas ipsius, vt in igne caliditas: Aliæ autem qualitates mediate fluunt. Probatur conclusio: Ab vnica natura simplici non dimanant immediate, & primo plures proprietates, sed vna per aliam; sed huiusmodi qualitates sunt proprietates elementorum: ergo vna tantum fluit immediate ab vno. Maior constat, ex illo communi principio., ab vno in quantum vnum, immediate, & primo non fluunt multa; quia idem in quantum idem, semper facit idem.

Secunda conclusio: Ambæ qualitates in singulis elemẽtis sunt in summo, primo modo; ideſt in sua naturali dispositione, nulla ratione habent admixtam qualitatem contrariam, vt siccitas in igne, non est admixta humiditati: Hæc conclusio, est communis inter bene sentientes; est tamen contra Nominales, qui cum concederent duas qualitates in quolibet elemento: Alteram intensam, & aliam remissam, dicebant, quod qualitas remissa erat admixta, cum contraria qualitate, à qua remittebatur, tantum que habebat de qualitate contraria, quantum illi deerat vsque ad summũ gradum de qualitate remissa; v. g. ignis tantum habebat de humiditate, quantum illi deest de siccitate, vsque ad vltimum siccitatis.

Impugnatur autẽ hæc sentẽtia, & simul probatur cõclusio: Si qualitas remissa elemẽtorũ haberet ad mixtam qualitatem contrariã, quodlibet elementum haberet tres qualitates; sed hoc est absurdum; ergo, & illud ex quo sequitur: Maior constat; nam si siccitas ignis esset ad mixta humiditati, in igne reperiretur caliditas, siccitas, & humiditas. Minor probatur; nam si elementa haberent tres qualitates, non essent corpora absoluta, & simplicia, sed mixta; nam haberent mixtionem contrariarum qualitatum. Insuper omnia elementa essent Symbola; ignis enim conueniret cum aere, in caliditate: Cum terra, in siccitate; & cum aqua in humiditate: Et idem est dicendum de alijs elementis, hoc autem repugnat Arist. diuidenti elementa in Symbola, & non Symbola.

Tertia conclusio: Elementa iuxta suam naturam considerata habẽt qualitates summas in secunda significatione, ideſt secundum gradus, quos sunt apta habere. Probatur; nã Deus in prima creatione mundi omnes res condidit in sua perfectione naturali; sed primæ qualitates sunt perfectiones naturales elementorum: ergo vnũ quodque elementum, iuxta suam naturam habet ambas qualitates secundum omnes gradus, quos naturaliter potest habere.

Quarta conclusio. In singulis elementis; non sunt ambæ qualitates in summo, tertio modo explicato in vltima obseruatione; ideſt secundum omnes gradus, quos naturaliter possunt habere, tales qualitates: sed altera qualitas est intensa, altera verò est remissa; vt ignis, est summè calidus, & remissè siccus; aer summè humidus, & remissè calidus: Aqua summè frigida,

da, & remissè humida, & terra summè sicca, & remissè frigida. Hæc conclusio est communis inter Interpretes Arist. & probatur testimonio eiusdē; quia cap. 3. huius libri docet *in vnoquoque elemento esse vnam qualitatem magis propriam, vt in igne caliditas est magis propria, & sic de alijs;* sed nō potest assignari alia ratio, propter quam vna dicatur magis propria, quam alia; nisi, quia vna est intensa, & alia remissa: ergo vera est conclusio.

Secundo probatur conclusio: Si vtraque qualitas in singulis elemētis esset summè intensa nulla ex ipsis esset propria quarto modo alicui elemento; sed hoc aduertatur testimonio Arist. nuper adducto, & his, quę diximus in superioribus: ergo non vtraque qualitas reperitur in summo. Sequela Arist. constat ex diffinitione proprietatis quarto modo: Si enim caliditas in summo etiam esset in aere non conueniret Soli igni, & ex consequenti non esset proprietas ipsius.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Caliditas, & siccitas, non sunt contrariæ qualitates: ergo vtraque potest reperiri in summo, in eodem numero subiecto.

Respondetur negando consequentiam: ratio enim quare vna qualitas elementi est in summo: alia verò remissa, non est, quia sunt contrariæ qualitates: contrariæ enim qualitates non possunt ita combinari, vt alia sit summe intensa, & alia remissa impossibile est enim, quod aliquo modo sit frigidum, quod est summe calidum. Ratio igitur potissima est; quia si aliqua qualitas in duobus elementis esset summe intensa nulli elemento esset propria, vt dicebamus in vltima conclusione.

Secundum argumentum: Experientia constat, quod ignis summe exicat; ergo ignis est summe siccus: ergo cum ex alia parte sit summe calidus, caliditas, & siccitas erunt qualitates summe intensę in eodem numero igne.

Respondetur negando consequentiam: ignis enim summe exicat, non propter summam siccitatem; sed propter maximam caliditatem; cum enim sit summe calidus calefaciendo resoluit, euaporat, & dissipat humiditatem, calor enim primo, & per se calefacit; per accidens verò exicat; quemadmodum frigiditas primo, & per se frigefacit; secundario autem, & per accidens humectat.

Tertium argumentum: Terra est summe sicca, & ex alia parte est summe frigida: ergo in eodem elemento reperiuntur duæ qualitates in summo. Prima pars antecedentis constat: Secunda probatur; illud est summe frigidum, quod maximè distat à fonte caloris; sed terra maximè distat à Sole, & igne, qui sunt fontes caloris; ergo est summe frigida.

Respondetur negando secundam partem antecedentis: Probationi dicitur; quod terra, cum remotissime distet à fonte caloris minus habet de ca-

liditate extrinseca, & violenta, quam aqua, ex sua autem natura, & naturali dispositione nihil caliditatis habet, sed est remisse frigida, aqua verò est frigida in intenso.

Vltimum argumentum: Aqua est humidior aere; sed aer est summe humidus: ergo aqua est summe humida, & ex alia parte est summe frigida: ergo in eodem elemento reperiuntur duæ qualitates in summo.

Respondetur distinguendo maiorem: Aqua enim extensiue est humidior aere, aer verò intensiue est humidior aqua, vt constabit ex infra dicendis.

QVAESTIO V.

Vtrum ignis sit summe calidus: aer humidus: aqua frigida: & terra sicca?

OBserua: Elementa dupliciter viurpari posse: Primo, iuxta propriam naturam vniuscuiusque: Secundo, quatenus extrinsecam aliquã qualitatem in se recipiũt, recipiunt enim influxus corporum cœlestium, & vapores, & exalationes, quæ virtute Solis educuntur. In præsenti quæstione de elementis primo modo sermonem facimus.

Prima conclusio: Ignis est summe, & intense calidus. Ita Arist. cap. 3. huius libri tex. 23. & 2. Metaph. cap. 1. vbi *ignem calidissimum esse* affirmat, & D. Basilius humilia 4. D. Ambrosius lib. 4. cap. 4. D. Damascenus in suis Physicis cap. 12. Ratione probatur; Calliditas summa, cum sit prima qualitas alicui elemento, ex natura sua conuenire debet; sed non alteri, quam igni: ergo vera est conclusio: Minor probatur; nã experientia constat alia tria elementa calefieri ab extrinseco agente, videlicet a Sole, vel ab igne, quibus amotis ad minorem caliditatem reducuntur: ergo caliditas summa solum debetur igni.

Probatur secundo conclusio: Ignis inter omnia elementa loco, & dignitate præstantior est: ergo ei debetur caliditas summa; quæ est omnium primarum qualitatum perfectissima.

Secunda conclusio: Aer est summe humidus. Ita Arist. loco citato in hoc libro, quem sequuntur Hipocrates lib. de natura humana, & quam plures alij Philosophi. Probatur Ratione vnumquodque elementum debet habere aliquam qualitatem in summo, & quæ sit illi magis propria; sed aer non est summe frigidus, calidus, vel siccus, vt de se constat: ergo ex sua natura erit summe humidus.

Probatur conclusio: Ex diffinitione humedi adducta ab Arist. humidum enim dicitur, quod termino proprio non terminatur, cum facile possit terminari alieno; sed hoc maximé conuenit aeri: Aer enim facile claditur alienis limitibus: ergo, &c.

Tertia conclusio: Aqua est summe frigida. Ita Arist. cap. 3. huius libri. D. Ambrosius, Basilius, & Damascenus locis citatis. Ratione probatur; nã nullum elementum est magis infestũ, & minimum igni, neque ei magis opponitur, quam aqua; sed ignis est summe

me calidus : ergo aqua erit summe frigida. Probatur consequenti ; nam contrarietas elementorum ex contrarietate qualitatum colligi debet, substantiæ enim solum contrariantur ratione qualitatis.

Quarta conclusio : Terra est summe sicca. Colligitur hæc conclusio, ex authoritate Sacræ Scripturæ : Dicitur enim Genesis 1. Deum. Op. Max. dixisse : *Congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida*, idest, *terra*. In quibus verbis terram vocat aridam propter maximam, & intensam siccitatem, vt interpretatur D. Tho. 1. p. q. 99. art. 5. ad 5. Potest etiam probari ex sufficienti diuisione: Vnicuique enim elemento; vna debetur qualitas in summo, vt diximus in præcedentibus ; sed igni attribuitur caliditas, aeri humiditas, aquæ frigiditas: ergo sola siccitas remanet terræ: ergo terra est summe sicca.

Magister Bañes cap. 3. huius libri q. 2. & 3. affirmat sententiam, quam nos sequimur in his quatuor conclusionibus, communem esse fere inter omnes Philosophos, tam Modernos, quã Antiquos : Nihilominus tamen affirmat D. Tho. alia via procedere. lect. 3. huius libri, qui igni attribuit duas qualitates in summo: Aeri nullã in summo, aquæ humiditatem in summo, terræ verò frigiditatem : Arbitror tamen hac in parte non venire intelligendus sicut illud intelligit B. ñes. In primis enim rarum est D. Tho. recedere à communi Philosophorum sententia, præcipue verò à sententia Artist. quem, vt fidelissimus interpres in omnibus sequitur, & defendit his exceptis, quę fidei nostrę aduersantur; est autem expressa Arist. sententia, quam nos in his conclusionibus defendimus, cum enim tex. 22. huius libri dixisset *ex contrarijs passionibus constare elementa, videlicet ex quatuor qualitatibus*, statim in tex. 23. hæc verba addit ; *sed tamen cum simpliciter quatuor sint, vnius vnumquodque est, terra enim sicci magis, quam frigidi, aqua autem frigidi magis, quam humidi, aer humidi magis, quam calidi; ignis magis calidi, quam sicci.*

Ex quibus verbis clare constat, quę sit Arist. sententia, & libro de sensu, & sensato ait idem Arist. *proprium ignis calidum est, terra verò siccium*, sicut dictum est in his, quæ de elemẽtis, superque verba ita ait D. Tho. *quamuis ex quatuor qualitatibus, duæ conueniant singulis elementis; in singulis tamen singulæ harum qualitatum inueniuntur principaliter, quasi propriæ ipsis ; nam ignis proprie calidus est; quia est nobilissimus inter elementa, siccum verò conuenit ei propter excessum caliditatis, quasi iam humiditate consumpta: aeri competit calidum secundario; secundum se autem competit ei humidum, quod est nobilius inter qualitates passiuas : aquæ proprie, & secundum se competit frigidum, quod est secunda qualitas activa, competit autem ei humidum secundario ; terræ denique competit frigidum secundario siccum autem proprie, & per se. hæc determinata sunt in libro de elementis, in 2. de generatione.* Hæc D. Tho.

Tho. in quibus verbis expresse explicat ea, quæ dixerat in hoc 2. libro, & se ipsum interpretatur, hinc Mag. Didacus Astudillo, Fidelissimus D. Tho. Discipulus q. 4. huius libri, vnique elemento vnam qualitatem in summo; alteram verò in gradu remisso tribuendam esse existimat, modo à nobis explicato: Hæc igitur tãquam vera Diui Thomæ sententia tenenda est.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Vnico elemento, vnica tantum debetur prima qualitas in summo; sed ignis est summe siccus: ergo non est summe calidus. Probatur; nã D. Tho. lect. 3. huius libri super tex. 23. affirmat *ignem esse summe siccũ*, & probatur ratione eiusdem D. Tho. calidum est causa sicci; sed ignis est calidissimus omnium calidorum: ergo erit maxime, & summe siccus.

Respondetur negando minorem, probationi dico. D. Tho. nequaquam asserere ignem esse summe siccum; sed esse siciorem, quam terra; in quibus verbis non loquitur D. Tho. de ipsis elementis formaliter, & secundum propriam naturam consideratis; sed quatenus habent ad mixtas aliàs qualitates extrinsecas productas influxu Cœlorum, & Stellarum, & mutua actione ipsorum elementorum; terra enim defacto est permixta aquę, & etiam in viscеribus ipsius magna vis aquarum inuenitur, & inde prouenit; quod sit humida, & minus sicca, quam ignis: si verò consideretur terra iuxta propriam naturam siccior est, quam ignis, cum siccitas sit principalis proprietas terræ, vt docet D. Tho. 1. p. q. 69. art. 1. ad. 5. Ad rationem D. Tho. distinguimus maiorem: Si enim intelligatur de causa per accidens vera est; caliditas enim per accidens causat siccitatem: Si verò de causa per se est falsa; cum enim siccitas sit prima qualitas, non poterit per se causari ab alia qualitate sublunari.

Secundum argumentum: Aer tempore hyemis refrigerat, & aquam in glaciem conuertit: ergo est summe frigidus: ergo non est summe humidus. Confirmatur: aer exicat terram, & pannor madefactos; sed quod est summe humidum, non exicat, sed humectat: ergo aer non est summe humidus, sed summe siccus.

Respondetur negando consequentiam: aer enim tempore hyemis refrigerat, non per frigiditatem intrinsecam, & sibi propriam; sed quia est frigidus ab extrinseco, videlicet ratione ventorum, & ratione qualitatum frigidarum, quæ ascendunt de terra. Ad confirmationem respondetur: Aerem exicare per accidens, videlicet ex ea parte, qua est calidus, & propter frigiditatem extrinsecam: hinc flante vento magis exicat.

Tertium argumentum: Si aqua ex natura sua esset frigida in summo eius frigiditas augeri non posset; sed hoc est falsum, experimur enim, quod tempore hyemis congelatur,

fatur, & frigidior efficitur: ergo aqua ex natura sua non est summe frigida.

Respondetur negando minorem: Aqua enim congelata non est aqua elementalis; nam aqua, quæ est purum elementum non congelatur, neque magis frigefit.

Quartum argumentum: Grauitas est effectus frigiditatis; sed terra est grauior omnibus elementis: ergo, & frigidior: ergo erit summè frigida, & non summè sicca.

Respondetur negando maiorem: Grauitas enim non est effectus solius frigiditatis; sed est effectus conuenientiæ, & combinationis frigiditatis, & siccitatis in vno subiecto, quemadmodum summa leuitas non est effectus solius caloris, sed caloris, & siccitatis simul; quamuis ergo aqua sit frigidior, quam terra, non tamen grauior; quia terra est summè frigida, & sicca, non tamen aqua.

QVAESTIO VI.

Vtrum quodlibet elementum possit immediatè generari ex quolibet?

OBserua primo: Certum esse, quodlibet elementum, ex quolibet generari posse absolute, & simpliciter. Ita enim loquitur Arist. cap. 4. Dubium est tamen; an hoc possit fieri immediatè? Idest non aliquo alio elemento, vel mixto prius genito? v. g. an ex aqua immediatè possit fieri ignis? An verò vtrum sit necesse, quod aqua prius conuertatur in aerem, & deinde in ignem.

Obserua secundo: Non esse quæstionem de mutatione accidentali, secundum qualitates, quæ dicitur, alteratio; certū est enim, quodlibet elemētum posse immediatè à quolibet alterari; sed de mutatione substantiali, quæ est generatio.

Obserua tertio: Non esse quæstionem de toto elemento, neque de principali parte ipsius: Certum est enim talem generationem esse impossibilem: Si enim totus ignis conuerteretur in aquam, cum talis conuersio non possit fieri sine condensatione partium, nam aqua est densa, ignis verò maximè rarus, aqua genita, non occuparet totum locum, quem antea occupabat totus ignis, sicque daretur vacuum in rerum natura: Solum igitur procedit quæstio de partibus, quæ seruata naturali dispositione elementorum possunt ad inuicem traosmutari.

Sit conclusio: Quodlibet elementum potest immediatè ex quolibet elemento generari. Ita Magister, Bañes, & Conimbricenses quæst. 1. super cap. 4. Astudillo q. 3. huius libri, & est communis inter Græcos, & latinos interpretes, & probari potest experientia: Experimur enim puluerem pugillum in magnum ignem proiectum accendi, & in ignem conuerti. Insuper aquæ gutulas sparsas in fornacem ignis ardentis celerrimè consummi ab igne, & in ip-

ipsius substantiam conuerti: Aer etiã flamma compressus in ignem conuertitur: ergo ignis ex quolibet elemento generari potest immediate, & idem de aliis elementis cœterorum dicendum est: Cum enim transmutatio substantialis ex contrarietate qualitatũ originem ducat, & quodlibet elementum habeat aliquam qualitatem, qua aliis elementis cõtrariatur, ignis enim caliditate pugnat cum aqua, & terra; siccitate autem cum aere, & aqua: inde prouenit, quod omnia elementa vicissim possunt trasmutari.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ex A. Arist. 5. Physicorum: non fit transitus ab extremo in extremum, nisi per medium; sed inter elementum, & elementum, mediat alterum; v. g. inter ignẽ, & aquam aer: inter aerem, & terram, aqua: ergo non poterit fieri transitus ab aqua in ignem, vel à terra in aerẽ; quin prius fiat per elementa intermedia.

Respondetur interpretando maiorem: Est enim vera de motu localli corporeo, & de motu alterationis, qui fit inter extrema contraria, quę habent medium, non enim fit transitus â calido in frigidum; nisi per tepidũ; non autem loquitur Arist. de generatione substantiali de qua procedit nostra quæstio.

Secundum argumentum. Aqua nõ potest fieri ignis, quin prius fiat aer: ergo non quodlibet elementum potest fieri immediate ex quolibet. Probatur antecedens: Calor ignis est multę maioris actiuitatis, quam siccitas ipsius, nam ignis est summe calidus, & remisse siccus: ergo aqua citius calefiet ab igne, quam exsiccetur: ergo aqua prius erit calida, & humida, quam sit calida, & ficca: ergo prius erit aer, quam ignis; nam aer est humidus, & calidus.

Respondetur negando antecedens. Probationi dicimus; quod quamuis calor ignis sit actiuior, quam siccitas ipsius, non tamen proinde ptius calefit aqua, quam siccetur; nam siccitas ignis est remissa: Ac per consequens; dum caliditas summa ignis expellit frigiditatem summam aquę; siccitas remissa ignis expellit humiditatem remissam aquę. His adde, quod caliditas per accidens exicat, & destruit humiditatem.

Tertium argumentum. Ex aere nõ potest fieri aqua: ergo, &c. Probatur antecedens: Si ex aere fieret aqua humiditas aquę haberet remitti; nam humiditas aquę est multo minor, vt constat ex dictis; sed non est à quo remittatur talis humiditas: ergo ex aere non fit aqua. Probatur minor; in primis non remittitur à frigiditate aquę, nam frigiditas caliditatem, non vero humiditatem remittit. Insuper neque ab humiditate aquę, simile enim non agit in sibi simile, vt supra diximus: ergo non est aquo remittatur talis humiditas.

Respondetur negando antecedens. Proinde dicimus; quod frigiditas aquę primo, & per se remittit calorem aeris; per accidens autem remittit humi-

mi-

miditatem ipsius, quemadmodum; cum ignis fit aer, calor ignis per accidens remittitur ab humiditate aeris.

Quartum argumentum. Ex igne, non potest fieri terra: ergo, &c. Probatur antecedens: Si ex igne fieret terra, daretur minus minimo; sed hoc est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur maior: Si minimus ignis; v. g. conuerteretur in terram; cũ terra sit densior igne: Ille ignis deberet condensari, vt fieret terra; sed quod condensatur fit minus, & minorem occupat locum: ergo daretur minus minimo.

Respondetur negando antecedens. Probationi dicimus non esse inconueniens dari minus minimo in diuersis speciebus, quelibet enim formica est minor minori homine; cum ergo ignis, & terra sint diuersę speciei bene potest dari terra, quę sit minor minimo igne; nam cum terra sit densior minoribus dimensionibus poterit conseruari.

QVAESTIO VII.

Vtrũ elemedta Symbola facilius trãsmutentur, quam dyſimbola?

OBserua: Elementa Symbola: Eadici: Quæ in vna qualitate conueniunt, vt ignis, & aer, in caliditate: Disymbola verò, quæ in vtraque qualitate differunt, & opponuntur, vt ignis, & aqua; aer, & terra.

Sit conclusio: Elementa symbola facilius transmutantur ad inuicem, quam disymbola: Ita Arist. cap. 4. huius libri: qui illam probat hac ratione; elementorum symbolorum solum corrumpitur vna qualitas â contraria; v. g. quando ex aere fit ignis solum corrũpitur humiditas; nam in caliditate, ignis, & aer conueniunt: In trãsmutatione verò elementorum disymbolorũ ambæ qualitates corrũpuntur â cõtraria; quia ambæ contrariantur; vt quando ex aqua fit ignis, debet destrui frigiditas, & humiditas aquæ â caliditate, & siccitate ignis: ergo inter elementa disymbola maior reperitur resistentia, quam inter symbola: ergo, & difficilior trasmutatio.

Sed dices, vt constat ex libro præcedenti in corruptione alicuius compositi fit resolutio vsque ad materiam primã, & omnia accidentia, quæ erant in corrupto desinnnt esse: ergo quando ex aere fit ignis, omnes qualitates aeris destrauntur: ergo falsa est ratio Arist. qui ex eo probat elementa symbolo facilius transmutari; quia minus difficile est vnam qualitatem, quam duas destruere.

Respondetur elementa symbola nõ facilius transmutari; quia vna tantum qualitas corrumpatur, & alia remaneat; sed quia vna dumtaxat corrumpitur, & destruitur per se â contraria qualitate; alia verò non per se, sed per accidens corrumpitur, ad corrumptionem subiecti; itaque etiam in interitu elementi symboli, vtraque qualitas expellitur: attamen ea in qua erat conuenientia non expellitur nisi ex accidenti; Facilior autem, vel difficilior conuersio elementorum, vt optime aduertit D. Tho. solum attendit ea quæ

per se expelluntur; cum ergo, in elemẽtis disymbolis duplex qualitas per se expellatur, in symbolis tamen vna tantum inde prouenit faciliorem esse transmutationem istorum, quam illorum.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Ea facilitate, qua vna qualitas expellit aliã contrariam eadem facilitate duæ expellunt duas contrarias, eadem enim est proportio vniusad vnum, quam duorum ad duo; & adeo difficile est duo à duobus, quam vnum ab vno vinci, & superari; sed in elementis symbolis vna qualitas corrumpitur ab vna qualitate contraria, in disymbolis verò duæ contrariæ â duobus contrariis: ergo non est facilior transitus inter symbola.

Respondetur maiorem esse veram, si sint cætera paria; quod non contingit in præsenti; nã quando fit transmutatio in elementis disymbolis qualitates superantes, & destruentes non adiubantur; v. g. quando aër mutatur in ignem; siccitas ignis, quæ superat iuuatur â caliditate; & proinde ignis facilius transmutat aerem in suã naturam. Inde ergo prouenit, quod in transmutatione disymbolorum maior difficultas reperitur.

Secundum argumentum: Aqua facilius conuertitur in ignem, quam terra; & tamen aqua, & ignis sunt disymbola: ignis verò, & terra sunt symbola: ergo elementa disymbola facilius transmutantur, quam symbola.

Respondetur conclusionem huius quæstionis intelligendam esse, si sint cætera paria, alioquin non habet verum, certum enim est, quod minima gutta aquæ facilius conuertitur in ignem, quam magna pars aeris, & terræ, quamuis ignis, & aqua sint disymbola, alia verò symbola: Debet etiam intelligi conclusio expectatis tantummodo primis qualitatibus: Si enim præcisse attendantur in terra, & igne primæ qualitates facilior est transitus inter ignem, & terram, quam inter ignem, & aquam; at verò ratione secundarum qualitatum raritatis videlicet, & densitatis prouenit, quod difficilius transmutentur.

Tertium argumentum, & vltimum: Transmutatio substantialis elementorum à cõtrarietate qualitatum originem ducit: ergo vbi maior est contrarietas facilior est transmutatio; sed elementa disymbola sunt magis contraria, cum in vtraque qualitate opponantur: ergo facilius transmutantur, quam symbola, quæ vnica tantum qualitate pugnant.

Respondetur negando consequentiam; non enim ex multis contrarijs maior in agendo efficatia arguitur, sed maior numerus actionum.

QVAESTIO VIII.

Vtrum detur mixtio elementorum?

OBseruandum est mixtionem, propriè dictam, de qua solum pro-

procedit quæstio sic ab Arist. diffiniri cap. 10. præcedentis libri: *Vnio mixtibilium alteratorum*, dicitur: *Vnio*; quia necesse est, vt ea, quæ miscentur vniantur; ita vt ex tali vnione tertia aliqua natura resultet distincta ab his, quæ miscentur; dicitur: *Mixtibilium*, idest, *elementorum*: Hæc enim cum sint corpora simplicia sunt primo mixtibilia, & immediate miscentur. Dicitur denique: *alteratorum*; quia necesse est, vt prius elementa ipsa alterentur, alioquin, si sine alteratione præcedenti vnirentur, non esset mixtio proprié dicta; sed multorum coaceruatio, quemadmodum ordeum cum tritico coniungitur.

Sit conclusio: Mixtio elementorum possibilis est, & defacto datur; ita Arist. capite 10. libri præcedentis, quem omnes Philosophi sequuntur. Et patet experientia: sæpe enim accidit, vt cum pluuia descendant ranæ, lupones, & alia huius generis animalia, quæ cum ad nuues non ascenderint necesse est, vt mutua vaporum, & exalationum actione, genita sint. Insuper in aeris regione ex elementis fiunt grando, nix, & alia mixta imperfecta, de quibus in libris Metheologicorum disputabimus. Ratione probatur; natura nihil fecit frustra, sed natura ordinauit elementa ad mixtionem; nam omne imperfectum ordinatur ad perfectum, & elementa sunt imperfectiora mixtis: ergo mixtio est possibilis.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum: Si daretur mixtio elementorum, causa efficiens mixti essent elementa; sed hoc est absurdum: ergo non datur mixtio. Probatur minor; elementa sunt imperfectiora mixto, vt docet D. Tho. in 2. dist. 15. q. 2. art. 1. ad 2. sunt enim gratia mixti, & ad ipsum tanquam ad finem ordinata; sed nulla causa est imperfectior suo effectu, vt probatur in 2. Physic. ergo elementa non sunt causa efficiens mixti.

Respondetur negando maiorem: Elementa enim, non sunt causæ efficientes principales mixti, vt optime obseruat D. Tho. libro præcedenti tex. 84. & Beatus Albertus Magnus, tract. 6. cap. 4. sunt autem causæ materiales mixti, vt docuit Arist. lib. præcedenti, & 2. de Cœlo cap. 2. causa autem materialis non debet esse perfectior suo effectu.

Dices: Quænam erit ergo, causa efficiens mixtorum?

Respondetur dublicem esse: Alia est vniuersalis, videlicet virtus Cœlestis: Alia particularis, & vniuoca, videlicet generans, vt respectu leonis leo.

Secundum argumentum: Si daretur mixtio, vel esset violēta, vel naturalis; sed neutrū est dicendū: ergo nō datur mixtio. Probatur minor, in quocumq; loco fiat mixtio: Si ille locus sit natulis vni elemento est violētus omnibus alijs tribus elementis: ergo mixtio nō est naturalis. Insuper mixtio est opus ipsius naturæ; ergo non erit violenta.

Respondetur negando minorem; probationi dicimus; Mixtionem absolutè, & simpliciter dici naturalem: Elementa enim dupliciter considerari possunt: Primo, secundum naturam propriam, & particularem, videlicet ignis, & aer, vt sunt leues, & tendunt sursum; aqua, & terra, vt sunt graues, & tendunt deorsum: Secundo, possunt considerari iuxta naturam vniuersalem, & quatenus sunt partes huius mundi visibilis, qui à Deo exornatur varietate Planatarum, animalium, & aliorum mixtorum; quamuis ergo locus vnius elementi sit violętus aliis, consideratis primo modo, est tamen connaturalis illis secundo modo consideratis, non enim possunt misceri elementa nisi vniantur; neque vniri possunt nisi confluant ad vnum locum.

Vltimum argumentum. In viscеribus terræ, & in profundo maris fiũt quam plura mixta; sed ibi non datur ignis, vt constat: ergo mixtum non fit saltim ab omnibus elementis.

Respondetur negando minorem: Elementa enim, non sunt pura de facto, sed inter se permixta: ac per consequens, in quocumque loco reperiuntur particulæ elementorum permiscentur qualitates ipsorum; virtus enim Cœli trahit elementa ad omnia loca, vt in omni loco generentur mixta, & hoc propter perfectionem vniuersi.

QVAESTIO IX.

Vtrum elementa maneant formaliter in mixto?

OBseruandum est: In elementis tria præcipuè repiriri; videlicet, materiam, formam, & primas qualitates, cum ergo ex alio cap. constet elementa esse materiam mixti, dubitatur, qualia maneant in mixto? Constitutum est apud omnes materiã elementorum in re mixta permanere, quod autem vertatur in dubium est, an formæ, & qualitates actu maneant.

Prima conclusio: Elementa, non sunt in mixto actu, & formaliter, idest secundum suas formas substantiales: Ita D. Tho. opus. 33. & 1. p. q. 76. art. 4. & ibidem, Caietanus, Scotus, Capreolus, & alij in 2. dist. 35. q. 1. inter quos est Durandus, Herbeus, tractatu de vnitate formarum q. 15. Ferrariensis 2. contragentes cap. 56. Soncinas 10. Metaph. q. 27. & alij quam plures, quos referunt, & sequntur Magister Bañes, & Conimbricenses cap. vlt. libri præcedentis, quidquid medici dicant. Cap. enim vltimo præcedentis libri, docet elementa partim manere in mixto, & partim non manere, manere potestate, & virtute; & non manere actu, & libro de partibus animalium cap. 2. cum dixisset compositionem fieri ex elementis quasi se ipsum corrigens statim addit, vel potius ex virtutibus, & qualitatibus elementorum. Ratione probatur; si elementa essent for-

formaliter in mixto, vel essent continua inter se, vel non essent continua; non primum; nam quæ sunt diuersæ speciei non possunt continuari, vt probauimus cum Arist. in 5. Physic. elementa autem diuersæ speciei sunt, item nec secundum; alioqui mixtio nihil aliud esset, quam elementorũ coaceruatio, neque mixtum esset vnum numero; nam in rebus Physicis, quod est vnum numero, continuum esse debet, vt dicitur 5. Metap. cap. 6.

Secundo probatur conclusio; vel elementa in eodem mixto se penetrant, vel non; primum est impossibile naturaliter loquendo: Si vero non se penetrant: ergo vnum elementum in eodem mixto esset extra alterum: ergo non quælibet pars mixti esset mixta: Imo neque aliqua pars mixti mixta esset, quod est absurdum.

Tertio probatur conclusio: Si formæ substantiales elementorum essent in mixtis, plures formæ substantiales informarent simul eandem materiam primam, & in quolibet mixto essent plures formæ substantiales. Rursus generatio mixti, non esset corruptio alterius, non enim corrumperentur elementa, ex quibus fit, hæc autem sunt absurda in Doctrina Arist. vt ex dictis in superioribus constat: ergo elementa non manent formaliter in mixtis.

Secunda conclusio: Elementa manent virtualiter in mixtis: Hanc conclusionem tenẽt omnes, qui præcedentem, varié tamen â variis explicatur; Dicimus autem cum D. Tho. 1. p. q. 76. art. 4. & in 3. dist. 16. q. 1. art. 1. & cum Galeno. 1. de elementis cap. vltimo, in quolibet mixto remanere omnes quatuor primas qualitates, videlicet, colorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem in gradu remisso, & quadam moderatione, & temperie, & hoc est manere elementa virtualiter in mixto. Probatur conclusio: Nam experientia constat, mixta omnes operationes quatuor primarum qualitatum exercere: Calefaciunt enim, refrigerant, humectant, & exicant: ergo huiusmodi qualitates manent in mixto.

Secundo probatur conclusio; Ratione D. Damasceni lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 12. singuli ex quatuor humoribus existẽtibus in corpore humano singulis elementis proportionaliter correspondent; nam bilis, quę est sicca, & frigida correspondet terræ; pituita, quæ est frigida, & humida, aquæ: Sanguinis, qui est calidus, & humidus aeri: Denique bilis flaua, quæ est calida, & sicca, igni: ergo quatuor qualitates manent in mixtis: Hanc etiam conclusionem confirmant argumenta aduersaria infra adducenda.

Obserua tamen cum dicimus qualitates elementorum manere in mixto, non esse sermonem de eisdem numero qualitatibus quæ antea erãt in elementis; nam cum in generatione fiat resolutio vsque ad materiam primam qualitates, quæ erant in elementis corrumpuntur, manent tamen eædem qualitates secundum speciem.

CON-

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Arist. lib. præcedenti cap. de mixtione, ait: *Quæ miscentur, non corrumpuntur*: ergo formaliter manẽt. Item ibidem ait, *quæ miscentur, debent per se cohærere, & posse separari*, quod non contingeret, nisi formaliter manerent. Rursus ibidem gutta vini, non miscetur multæ aquæ; quia soluitur forma vini, & corrumpitur: ergo signum est; quod ea, quæ miscentur debent formaliter permanere. Præterea mixtio, vt visum est, diffinitur ab Aristotele *vnio mixtibilium alteratorum*, quæ verò solum alterantur formaliter manent. Denique. 2. Methaph. capite vlt. ait, *quod elementa sunt in mixto, sicut syllabæ in oratione*: Syllabæ verò actu, & formaliter sunt in oratione: ergo est expressa sententia Arist. elementa formaliter manere in mixto.

Respondetur communi solutione: Arist. venire interpretandum, iuxta sensum nostræ secundæ conclusionis: manent quidem elementa in mixto, non formaliter, sed virtualiter: Sigillatim verò ad omnes Auctoritates respondetur. In primis, ea quæ miscentur non corrumpuntur; quia præter materiam primam manent etiam qualitates miscibilium in gradibus remissis. Insuper, quæ miscentur debent per se cohærere, & esse separabilia, non facta mixtione; sed ex natura sua, & antequam misceantur. Rursus non proinde negat Aristoteles gutulam vini non misceri, multæ aquæ, quia corrumpitur; sed quia ita corrumpitur, vt ex ipsa, & aqua, non resultet tertia aliqua entitas distincta, quod requiritur ad mixtionem. Præterea mixtio dicitur vnio alteratorum; quia miscibilia prius debent alterari, quam corrumpantur; non tamen prius quam corrumpantur datur mixtio. Denique elementa sunt in mixto sicut syllabæ in oratione; non tenet similitudo in omnibus, sed in hac parte, quod quemadmodum syllabæ concurrunt ad componendam orationem. Ita elementa, ad componendum mixtum.

Secundum argumentum. In mixto formaliter sunt proprietates elementorum, verbi gratia, in lapidibus siccitas: ergo, & elementa: non enim proprietas potest esse sine subiecto cuius est proprietas.

Respondetur negando antecedens. Qualitates enim, quæ sunt proprietates elementorum sunt summe intensæ; qualitates autem mixti sunt remissæ, & si aliquando sunt intensæ hoc non est naturaliter, sed violenter, in elementis verò naturaliter reperiuntur.

Tertium argumentum. Ex eo elementa dicuntur corpora simplicia; quia licet constent ex materia, & forma, non tamen, ex quatuor elementis: ergo in mixtis, quæ dicuntur corpora composita præter compositionẽ materiæ, & formæ reperietur compositio ex quatuor elementis formaliter sumptis.

Res-

Respondetur: Quod si attendatur compositio substantialis non est magis compositum mixtum, quam elementum; Dicitur tamen magis compositum; quia habet virtutes, & qualitates omnium elementorum ex quibus accidentaliter componitur.

Vltimum argumentum. Elementa dicuntur prædominari in mixtis, vt in lapide terra, in piscibus aqua: ergo formaliter manent in mixtis.

Respondetur negando consequentiam; non enim aliquod elementum dicitur prædominari in mixto, quia manet formaliter in illo: sed quia qualitas tali elemento correspondens magis viget in mixto, & est fortior, & robustior alijs qualitatibus.

QVAESTIO VLTIMA.

In qua aliquæ difficultas breuiter explicantur?

PPræter ea, quæ de elementorum natura diximus in hoc libro; quia plures alias difficultates in quarta disputatione librorum de Cœlo expoſui mus, in quarto etiam Physico de loco disputantes, quisnam esset locus naralis vniuscuiusque elementi exposui mus: Vt autem hæc disputatio omnibus suis numeris maneat absoluta, nihilque ad hanc materiam spectans relinquatur, quæstiones quasdam sub breuimus in præsenti expediemus.

Prima igitur: An elementa possint esse alimentum rei viuentis?

Respondetur: Quod licet elementa remote possint dici alimentum rei viuentis, quatenus componunt mixta, quibus alitur viuens, vel pomum, vel carnes; nullum tamen elementum per se, & in sua naturali dispositione, & puritate sumptum potest esse alimentum rei viuentis. Ita Arist cap. 8. huius libri. Et constat; nam elementa secundum se habent qualitates viuenti repugnantes, vt ignis summum calorem; aqua summam frigiditatem; terra summam grauitatem; & aer summam humiditatem. Nec obstat, quod arbores, & ex animalibus talpæ, bufones, & serpentes aliqui, nutriuntur terra. Similiter dices de Camaleone, Plinius enim inter alios hæc dicit lib. 8. naturalis Historiæ cap. 33. quod solus inter alia animalia, nec cibo, nec potu alitur, nec alio, quam aeris alimento. Denique de Salamandra scribit Hælianus lib. 2. cap. 5. quod in igne viuit. Hæc in quam non obstant; nam vt docet Arist. cap. 8. huius libri tex. 49. quæ vno simplici nutriri videntur, multis nutriuntur; nullũ enim elementorum est de facto purum, & sincerum; sed alijs elemẽtis, vel saltim aliorum elementorũ qualitatibus per mixtum, vt supra dictum est.

His adde; quod camaleon, etiam muscis vescitur, vt aliqui obseruarunt; nullum præterea animal in igne diu viuere posse, in libris de Cœlo exposuimus.

Secunda difficultas est: An qualitates symbolæ elementorum specie distinguantur; v. g. calor ignis, & calor aeris?

Respondetur cum D. Tho. q. de spi-

spiritualibus creaturis art. 3. ad 19. & cum communi sentētia omnium Philosophorum esse eiusdem speciei; nā, quæ specie distinguntur non possunt se vicissim augere, & intendere, calor autem ignis, & aeris. Insuper frigiditas aquæ, & terræ multum se intendunt. Insuper: vni vnum est contrarium tontrarietate propria, vt dicitur 1. Metaph. cap. 1. si autem qualitates symbolæ essent diuersæ speciei, vni, contrariarentur duo; v. g. frigiditati, calor ignis, & calor aeris. Denique nō darentur symbola, cum symbola dicantur, quæ habent primas qualitates eiusdem speciei: ergo qualitates symbolæ eiusdem speciei sunt; idem etiam est dicendum de qualitatibus mixtorum; v. g. de omnibus frigiditatibus, de omnibus caloribus mixtorum: omnes itaque calores sunt eiusdem speciei infimæ, nimirum calor causatus radijs Solis, & calor ignis. Insuper calor naturalis, & calor febrilis, vt ait, sapientissimus Galenus, solum distinguntur per maiorem, vel minorem intensionem; calor enim febrilis intensior est, quam postulet natura mixti, quam ob causam interitum, & mortem inducit.

Dices aqua feruens ignem extinguit, non frigiditate cū sit calida: ergo humiditate; sed hoc nō potest humiditas aeris: ergo humiditas aquæ, & aeris specie distinguntur.

Respondetur negando consequentiam: Huiusmodi enim extinctio ignis non prouenit solum, ex parte humiditatis; sed ex eo, quod humiditas est in subiecto denso, cuiusmodi est aqua, & ita ignis cum sit maximè rarus ab illa suffocatur, non verò ab humiditate aeris, cum ignis, & aer conueniant in raritate.

Vltima difficultas est: An detur temperamentum ad pondus?

Obseruandum est: Quod temperamentum est proportio primarum qualiaatum: Seu primæ qualitates sub certa proportione, & temperie: Et diuiditur in difforme, & vniformē: Difforme, quod etiam intemperamentū dicitur est in quo qualitates non habent æquales gradus intensionis; sed altera earum vincit, & dominatur alijs, & hoc à Medicis vocatur temperamentum à iustitia; quia quemadmodum iustitia non omnibus æqualia cōfert, sed vt cuiusque dignitas postulat. Ita huiusmodi temperamentum pro naturali diuersitate variatur, in coleris enim dominatur calor, & siccitas. In Flematibus, frigiditas, & humiditas, vt constat ex his quæ diximus. Quæstione præcedenti; conclusione secunda: Temperamentum vniforme, seu temperatissimum, est in quo omnes primæ quatuor qualitates æqualis intensionis gradus habent. Ita vt mixtum sit calidum vt quatuor, frigidum, vt quatuor, &c. Vnde ab Auicena, & eius sectatoribus temperamentum ad pōdus appellatur. Hoc posito.

Dico: Non datur nec dari potest in toto mixto temperamentum ad pondus eius naturæ consentaneum. Ita D. Tho. in 2. sententiarum dist. 19. q. vnica art. 4. ad ad 2. vbi quatuor rationibus hoc dictum confirmat, & idem patet in 3. sententiarum dist. 16. q. 1. art.

art. 1. ad 4. quem sequuntur Bañes cap. 7. huius libri q. vnica, & alij quam plures. Ratione probatur, omne mixtum mouetur localiter motu elementi prædominantis, vt docet Arist. 1. de Cœlo cap. 2. ergo in quolibet mixto aliquod elementum prædominatur: ergo non omnes qualitates elementorum æqualem habent intensionem. Insuper ad mixtionem elementorum requiritur alteratio; sed tunc non contingeret: Si ponerentur æquales eorum virtutes, & qualitates: Oportet enim quod virtus alterantis, virtutem alterati excedat: ergo nullum mixtum habet æquales primas qualitates: ergo non datur in mixto temperamentum ad pondus: Atque his dictis finem habent nostra commentaria in duos libros Arist. de ortu, & interitu. Finem autem non habeant nostræ ad Deum gratiarum actiones, cuius auxilio hanc vtilissimam disputationem ad finē vsque feliciter perduximus.

(?)

PARS TERTIA PHILOSOHIÆ,

QVATVOR LIBROS METHEORORVM EXPLANAT.

Iuxta Doctrinam nostri Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis.

PROEMIVM.

QVatuor libri de Cœlo sequuntur immediatè post octo Physicorum libros: Duo autem de generatione, & corruptione immediatè succedunt libris de Cœlo: Post libros autem de generatione, & corruptione immediatè sequuntur quatuor libri Metheororum, quorum expositionem hodierna die diuino auxilio freti auspicamur; Posquā enim Philosophus egit de corporibus simplicibus, videlicet de Cœlis, Astris, & elementis, incipit de mixtis disputare; quia verò inter corpora mixta, quædam sunt perfecta, quæ ex quatuor

tuor elementis componuntur, vt homo, lapis, &c. quædam verò imperfecta, quæ quidem solum habent mixtionem duorum, vel trium elementorum: Proinde Philosophus ab imperfectioribus originem ducens in his libris de mixtis imperfectis sermonem instituit, disputaturus in sequentibus de animalibus, & plantis, quæ sunt mixta perfecta: Hinc obiectum adæquatum horum librorum erit ens mobile ad formam mixti imperfecti. Inscribitur autē hæc pars Philosophiæ, Metheorologia, à vocabulo Græco Metheora, quod Latine significat excedens, & à vocabulo Loges, quod significat sermonem Latine: Ac si diceretur sermo de rebus excedentibus; & excelsis; nam quamuis in his libris non solum disputet Philosophus de his, quæ fiunt in suprema, & excelsa regione aeris, sed etiam de his, quæ fiunt in superficie, & visceribus terræ; quia tamen ea, quæ in aere fiunt mirabiliora sunt; proinde ab his desumitur horum librorum inscriptio.

LIBER PRIMVS.

INtentum principale huius libri est disputare de impressionibus ignitis, quæ in suprema regione aeris generantur, diuiditur autem in quatuor decim capita. In primo explicat connexionem horum librorum eum præcedentibus, & subsequentibus, quam nos tradidimus in procœmio. In secundo, quænam sit causa efficiens, & materialis impressionum Metheorologicarum explanat. In tertio agit de magnitudine elementorum. In quarto, tres quæstiones dissoluit. In quinto, incipit disputare de impressionibus Metheorologicis in particulari. In sexto, & septimo, agit de cometis. In octauo, de via lactea. In nono, de pluuia, & nubela. In decimo, de rore, & pruina. In vndecimo, de niue. In duodecimo, de grandine. In decimotertio, de fluminibus, & fontibus. In decimoquarto, & vltimo, de quibusdam mutationibus terræ.

LIBER SECVNDVS.

POstquam Arist. egit in libro præcedenti de his, quæ generantur in alto: siue ab exalatione sicca, siue à vapore humido: Adiungens etiam disputationem de generatione fluminum propter similitudinem, quam habet cum generatione pluuię. In hoc secundo libro cui sunt capita octo, incipit disputare de his, quæ fiunt in parte inferiori ab exalatione sicca. In pri-

primo igitur capite, agit de mari aliorum opiniones referendo. In secundo, ex propria sententia, quam plura de natura maris pertractat. In tertio, disputat de salsedine maris. In quarto, incipit disputare de ventis, qui exalatione sicca causantur: Sicut salsedo maris. In quinto agit de augmento, diminutione, & causa ventorum. In sexto, de situ, & contrarietate ventorum. In septimo, de terremotu; & tandem in octauo, de corruscatione, & tronitruo.

LIBER TERTIVS.

IN hoc libro, cui sunt capita quinque, prosequitur Arist. disputationem eorum, quæ exalatione sicca generantur. In primo enim capite agit, de procella, fulgure, præstere, & fulmine. In secundo, agit de corona, de yride, de pareleis, & de virgis in communi. In tertio, agit specialiter de corona. In quarto disputat in particulari de yride, & de caloribus ipsius. In quinto, de figura yridis, & de his quæ consequuntur ipsam, tum etiam agit in particulari de virgis, & pareleis, & in generali de generatione lapidum, & methalorum.

LIBER QVARTVS.

POst quam egit Arist. in tribus libris præcedentibus de particularibus transmutationibus elementorum, quibus secundum se transmutantur; in hoc libro, qui duo decim capita continet, agit de passionibus, & transmutationibus elementorum, quatenus veniunt in compositionem mixti; quia verò elementa agunt mediantibus qualitatibus disputat prius de Philosophus de actione, & passione primarum qualitatum. In primo igitur capite docet, quatuor esse primas qualitates, & totidem elementa; iuxta quatuor qualitatum combinationes, quam difficultatem explicuimus supra lib. 2. de ortu, & interitu q. 1. & sequentibus. In secundo agit, de digestione, & indigestione. In tertio, de speciebus digestionis. In quarto, de duro, & molli. In quinto de humectatione, & exiccatione. In sexto de liquefactione, & coabulatione. In septimo disputat de ingrossatione; quæ est via ad liquefactionem. In octauo, de aliis speciebus minus principalibus primarum qualitatum. In nono, magis in speciali agit de mollificabili exprimens cõditiones ad mollificationem requisitas, explicat etiam,

tiam, quæ possint flecti, rumpi, frangi, trahi, secari, & exhalari. In decimo declarat qua ratione cognosci debeat cuius naturæ sit aliquod mixtum. In vndecimo exponit, quæ mixta dicantur calida, & quæ frigida. In duodecimo tandem ponitur continuatio huius libri ad alios libros Physicos consequentes.

DISPVTATIO I.

DE PRINCIPIIS RERVM METHEOROLOGICARVM IN COMMVNI.

TOtam hanc disputationem de Metheoris in sex disputationes distribuo in quibus omnia notatu digna, quæ in his libris à Philosopho edocentur, à nobis explicabuntur. In prima disputatione, quæ erit veluti proemialis de Metheoris in communi fiet sermo. In secunda de Metheoris quæ generantur in suprema regione aeris. In tertia de his quæ fiunt in media regione. In quarta, de his quæ generantur in regione infima. In quinta, de his quæ reperiuntur in superficie terræ, & tandem in sexta, de his quæ in viscerib⁹ terræ generantur. Primam igitur disputationem aggredientes est.

QVAESTIO PRIMA.

Quæ dicantur mixta imperfecta.

MIxta quæ ex elementis resultant sunt in duplici differẽtia, quædam dicuntur perfecta, quædam verò imperfecta appellantur: Mixta perfecta sunt, quæ componuntur ex quatuor elementis, vt homo, & lapis, & for-

& forma substantialis horum mixtorum est alia à forma elementorum, cum elementa non sint formaliter in mixto, sed virtualiter tantùm, vt in secundo libro de ortu, & interitu ostẽsum est: Mixta imperfecta non habent aliam formam substantialem præter formas ipsorum elementorum, huiusmodi mixta, quædam solum habent formam vnius elementi, dicuntur tamen mixta; quia habent qualitates, & affectiones aliorum elementorum, huiusmodi sunt aqua maris, nix, ros, & pluuia, alia sunt mixta imperfecta, quæ ex duobus, vel tribus elementis constant, & sunt velut congeries, & aggregatio eorumdem elementorum; manent enim in ipsis elementa formaliter, ideſt secundum suas formas substantiales, huius generis sunt grando, glacies, & alia huiusmodi, quæ quidem fiunt frigiditate, proprium est enim frigiditatis congregare, & coniungere, sicut proprium est caloris disiungere, & rarefacere.

In his quatuor libris præcipuè disputat Arist. de mixtis imperfectis, quæ communiter Metheora appellantur, in quo optimam obseruat Metheodum; nam quamuis mixta perfecta sint nobiliora imperfectis; quia tamen imperfecta habent magnam similitudinem cum corporibus simplicibus (quid enim similius aquæ elementari, quam pluuia, & ros) proinde Philosophus immediate post disputationem de corporibus simplicibus, videlicet de elementis, de quibus egit in libris de Cœlo, & de ortu, & interitu, disputat in his libris de mixtis imperfectis: Ex his constat, quæ dicantur mixta imperfecta.

QVAESTIO II.

de causa Metheororum.

CAusa efficiens Metheororum principalis est Cœlum, & Astra, præcipuè verò Sol; nam à motu Cœlorum tanquam à causa omnes generationes, & motus sublunares dependent, vt docet Arist. cap. 2. libri primi Metheororum: Causa verò efficiens instrumentaria potissimum est calor, quo mediante vapores, & exhalationes ê terra eleuantur.

Causa materialis Metheororum duplex est: Alia remota, & alia proxima: Materia remota sunt quatuor elementa, præcipuè autem terra, & aqua: Materia proxima est hyatus, seu spiratio: Diuiditurque in vaporem, & exhalationem ex quibus omnia Metheora fiunt; quædam ex vapore tantum, quædam verò ex exalatione, & aliqua ex vtroque: Vapor, & hyatus calidus, & humidus; cum enim ex aqua, vel saltim ex partibus humidis terræ calore Solis educatur, ratione causæ efficientis est calidus, humidus autem ratione materiæ ex quâ educitur; ex vapore oriuntur nubes, ros, pluuia, nix, & his similia: Ex alterâ ratione est hyatus calidus, & siccus, cum enim eleuetur calore Solis, & extrahatur à siccitate terræ: Ratione causæ efficientis est calida, ratione verò principij ex quo educitur est sicca, terra enim

ex-

ex natura sua maximam siccitatem habet. Ex ista exalatione oriuntur cometæ, & alia Metheora ignita, de quibus, disputatione sequenti disputabibus. Denique causa formalis Metheororum est ipsa forma substantialis elementi, seu elementorum ex quibus componitur.

QVAESTIO III.

De loco in quo fiunt Metheora.

LOcus in quo generantur, ea quæ propriè dicūtur Metheora præcipuè est elementum aeris, quod quidem adæquate diuiditur in tres regiones: Infimam, videlicet, mediam, & supremam: infima est, ea quæ nos ambit, & extenditur, vsque ad eam partem aeris, quæ reflexione radiorum Solis calefieri non potest: Suprema dicitur, quæ à vertice altissimorū montium, vsque ad superficiem concauam ignis elementalis extenditur. Denique media regio appellatur; quæ residet inter supremam, & infimam; de qualitatibus vniuscuiusque regionis sigillatim agemus in disputationibus sequentibus.

DIS-

DISPVTATIO II.
DE METHEORIS, QVÆ FIVNT IN SVPREMA REGIONE AERIS.

QVÆSTIO PRIMA.

DE MATERIA INFLAMATIONUM, quæ apparent in suprema regione aeris.

DEscendẽtes ad specialem rerum Metheorologicarum tractationem, ab his quę in suprema regione aeris generantur initium summimus: Est autem suprema regio aeris magis calida quam eius natura postulat, cuius quidem caloris multę dantur causę: Prima est; vicinitas ignis, & contiguitas quam habet suprema regio aeris cum igne elementali: Secunda est, quia vt aliqui affirmant per sępe ab igne elementali descendunt flammę ad supremam aeris regionem: Tertiò est, quia exalationes calidę, virtute Solis eleuatę illam regionem occupãt, & denique; quia talis regio semper mouetur motu locali circulari, rapitur enim ad motum elementi ignis, quod contingit: Motus autem, est causa caloris.

Hoc posito Dico: Materia inflamationum, quę apparent in suprema regione aeris est exalatio calida, & sicca, Ita habet Arist. 1. lib. Metheororum cap. 8. & probatur; nam ea quę fiunt in suprema regione aeris sunt species

quę;

quædam igneę, vt flammę, sydera currentia, cometę, & alij ignes, qui in aere videntur! sed materia istorum non potest esse vapor: ergo erit exhalatio calida, & ficca; caliditas enim, & siccitas sunt qualitates ignis. Probatur minor; vapor est humidus, vt diximus disputatione præcedenti quæst. 2. ignis autem non est humidus, sed potius maximè siccus: ergo vapor nequit esse materia proxima ex qua fiūt inflamationes igneę, quæ in suprema regione apparent.

QVAESTIO II.

De quibusdam Metheoris ignitis in particulari.

VArietatem Metheorum ignitorum refert Arist. cap 4. huius libri ex multiplici itaque dispositione exalationum secundum raritatem, vel densitatem, & maiorem, vel minorem leuitatem acceduntur in suprema regione aeris diuersarum figurarum ignem: Ita vt hanc alij representent: Alij verò aliam figuram representent, & à figura quam habent nomina sortiuntur: Prima igitur inflamatio appellatur flamma, seu fax, quę tunc apparet; quando multa exalatio in longum, & latum æqualiter extensa simul inflamatur, & accenditur, & habet figuram quadratam; magnumque in aere causat splendorem. Secunda inflamatio appellatur trabs, & est ignis totus simul accensus, qui plus habet longitudinis, quam latitudinis; ab alijs appellatur lancea, eo quod huius similitudinem referat. Tertia inflamatio dicitur capræ saltantes, & contingit; quando partes exalationis inter se aliquantulum distant, & vna par ignem accipit, & postea alteri parti tribuit, vt ignis repente, & celeriter communicetur, dicetur que hæc inflamatio capræ saltantes, eo quod capræ saltantis speciem referat, vel etiam, quia partes exalationis pendent ex lateribus, & quodammodo assimilantur Barbis caprarum. Quarta inflamatio vocatur sydus traiectum, seu stella bolans, & discurrens, & efficitur, quando materia inflamationis, videlicet exhalatio in longum dispositā proportione quadam accenditur, quemadmodum cum puluis sulphureus in lineam dispositus adhibito igne priori parti illius progressione quadā subito comburitur, extincta enim priori parte ignis statim inflamatur altera pars, quæ illi proxima est, & postea inflamatur alia; ita vt ignis quodammodo volare videatur. Ptholomeus inquit huiusmodi syderum traiectiones summam aeris siccitatem designare.

QVAESTIO III.

De hyatibus, fossis, & coloribus cruentis.

APparent præterea nocte serena in eadem suprema regione aeris velut hyatus, fossæ, & colores cruenti, quorum materia est eadem, adustamen generationis est diuersus; hyatus enim, & fossæ fiunt, quando inter flamam accensam, & nostrum aspectum

ctum interponitur aër maxime condensatus, & niger; ita vt non appereat nobis totam flammam, sed solum medium ipsius; nã tunc apparet in flamma, quasi quędam profunditas; omne enim obscurum quamuis sit æque propinquum, & in distantia æquali, videtur nobis remotius, quam candidum, & splendidum. Hinc pictores; quando aliquid profundum, atque à nobis distans, v. g. puteum, vel antrum depingere volunt, iuxta calorem nigrum; & fuscum depingunt colorem splendidum, & candidum.

Distinguntur hyatus, & fossæ sola magnitudine, & paruitate; quando enim est maior copia coloris nigri apparet maior profunditas, & inflamatio sic apparens dicitur fossæ: si verò sit minor copia coloris nigri appellatur hyatus.

Colorum duo sunt genera: Alij causantur ex mixtione quatuor primarum qualitatum, & sun vera accidentia realia prędicamentalia: collocantur enim in Cathegoria qualitatis, sub tertia specie, quę dicitur patibilis qualitas, & huiusmodi colores Soli corpori mixto inhęrent, vt docet Arist. lib. de sensu, & sensibili. Alij colores oriuntur, ex resolutione luminis, & dicuntur colores obumbrati, & apparentes, de quibus agit Arist. in his libris: Apparent igitur interdum in suprema regione aeris colores cruenti, & sanguinei, & causa horum colorum est modicum lumen, & exalatio aliquantulum tenebrosa, & obscura; quando enim lumẽ permiscetur alicui rei obscurę, per illamque translucet, efficitur color cruentus, & quasi sangulneus, vt constat; quando intuemur flammam ignis, & inter flammam, & nostrum aspectum mediat fumus densus.

QVAESTIO IV.

De comet is.

ANaxagoræ, & Democriti sententia fuit: commetam fieri ex concursu plurimarum Stellarum in vnum conuenientium. Hanc tamen sententiam reprehendit Arist. lib. 1. cap. 6. nam si commeta esset concursus Stellarum; dissoluto commeta apparerent Stellæ separatæ; sed non apparent dissoluto commeta Stellæ, vbi antea erat commeta: ergo falsa est prædicta sententia. Præterea Stellæ erraticæ, videlicet Planetæ per sæpe coniunguntur inter se, & cum Stellis fixis secundum nostrum â spectum: Et tamen non proinde apparet commeta: ergo commeta non est concursus Stellarum. Insuper si lumen Stellarum conuenientium in vnum causaret commetam, sequeretur, quod per diem non apparerent commetæ, neque per multum temporis durarẽt; sed hoc est falsum, nam commeta etiam per diem apparet, & per multum temporis interdum durat: ergo commeta non est congregatio plurium Stellarum. Sequela probatur, nam Stellæ non apparent per diem, nec per multum temporis apparent coniunctæ: Minor autem experientia comprobari potest, vt enim alio omittam narrat Iosephus lib. 1. de bello Iudaico cap. 44. ante

des-

destructionem Hierosolimæ cometam per integrum annum apparuisse.

Pythagorici, & alij existimarunt cometam esse vnam de Stellis erran tibus, quas Planetas vocamus, sed non apparere nisi post multum temporis. Cæterum etiam hanc sententiam tan quam falsam reijcit Arist. loco citato: Primo; nam sæpe plures simul appa uere cometæ: ergo non est vna tantum Stella erratica. Insuper nulla Stel la deprehenditur euanescere; com meta autem tandem euanescit. Rursus omnes Stellæ sunt rotundæ; plures autem ex cometis apparent caudati. Denique omnes Stellæ habent motum, quem certo, & diffinito tempore perficiunt, id autem non cernitur in cometa: ergo non est vna ex Stellis.

His igitut opinionibus reiectis, vt verum modum generationis commetarum aperiamus iuxta mẽtem Arist. cap. 7. huius libri supponimus tanquam certum, in suprema parte huius mundi sublunaris, quæ contingit Cœlum Lunæ existere elementum ignis, immediate autem post elementum ignis existere supremam aeris regionẽ, quæ quidem ad motum ipsius ignis elementalis semper circulariter moue tur. Quotiescumque igitur aliqua exhalatio facta fuerit apta ad accensionem, illa, vel ab igne, vel motu Cœlesti in suprema aeris regione accenditur.

Hoc posito dico: Commetam non constare materia Cœlesti, sed sublunari, eiusque materiam esse exhalationem, cum enim in suprema aeris regione facta fuerit ea exhalationis congli patio, vt inflamari possit, & tam magna multaque fuerit, vt non facile dissoluatur: Tunc generatur commeta. Desiderat itaque commeta ad sui generationem magnam exhalationum copiam, & hæc est causa, quare raro apparent commetæ.

Figura autem ipsius commetæ assimilatur figurę exhalationis ex qua fit; nam si exhalatio in omni parte similis sit, rotundamque figuram habeat, eiusdem figuræ videtur commeta, & dicitur crinitus: Si verò exhalatio habeat figuram longam, eiusdem etiam figuræ resultat commeta, & dicitur Barbatus, seu caudatus.

Quamuis experientia teste, quolibet tempore apparuerint commetæ, præcipuè tamen generantur in autumno. Et ratio est; quia calor veris non sufficit ad subleuandam tantam copiam exhalationum; quanta ad commetarum generationẽ necessaria est, æstatis feruor, & nimius calor exhalationes dissipat, & consumit; & tandem, hyemis frigus, & humiditas generationem commetæ impediũt: Hęc igitur est causa quare pręcipuè generantur in autumno.

Obseruat tandem Arist. quod commetæ ventos, & siccitates prænunciãt, cum enim fiant ex halitu calido; & sicco eleuato â terra calore Solis, necesse est, tum temporis totum aerem exhalationibus plenum esse: Exhalatio autem est materia ventorum siccitatisque, ac sterilitatis causa: Denunciant etiam commetę; bella, Inimicitias, & mortem hominum delicato-

rum ; nam cum eo tempore quo gignitur commeta maxime vigeat siccitas, necesse est hominum corpora exiccari, bilemque incendi; tum etiam, cũ sit maxima aeris intemperies, his, qui delicatius viuunt maximopere periclitantur, hęc omnia discertissime cecinit Iouinianus Pontanus in suis Metheoris dicens.

Ventorum quoque certa dabunt tibi signa cometæ.
Illi etiam belli, motus, ferraque arma minantur.
Destructionem agrorum, & clades populorum, & funera regum.

QVAESTIO V.

De via lactea.

VIa lactea, quę, & circulus lacteus, & â Græcis galactia nuncupatur, ita describitur ab Ouidio lib. 1. Methamurfoscos.

Est. *Via sublimis Cœlo manifesta sereno. Lactea nomen habet candorem notabilis ipso.* Exstitere autem de via lactea diuersæ Philosophorum sententię; quarum duas refert, & reiicit Arist. cap. 8. primi libri. Prima fuit, Pithagoricorum existimantium viam Lacteam esse partem Cœli combustã à Sole, qui per illam partem aliquando iter suum confecit. Hanc opinionem impugnat Arist. nam cum Sol discursu anni pertranseat omna signa, quę sunt in zodiaco omnia illa essent sicut via lactea, cuius cõtrarium intuemur.

Secunda sententia fuit Anaxagoræ, & democriti, existimantium: Viam lacteam esse lumen aliquarum Stellarum, quę per noctem non illuminantur â Sole, eo quod terra interponitur inter Solem, & ipsas Hanc etiam sententiam impugnat Philosophus; quia fieri non potest, vt Sol non semper aspiciat omnes Stellas fixas: Sol etenim est multo maior, quam terra, & vt perspectiui demonstrant, quando corpus oppacum ponitur ante corpus lucidum maioris magnitudinis, radij procedentes à corpore luminoso coniunguntur, post vmbram factam à corpore oppaco: Hinc dicunt Astrologi, quod vmbra terrę solum extenditur vsque ad Cœlum Lunę, quam ob causam sola Luna eclipsatur propter terrę interpositionem.

His opinionibus relictis suam sententiam proponit Arist. dicens viam lacteam fieri quemadmodum, & cometas in suprema regione aeris, ex pluribus exhalationibus, quę virtute motus Cœlestis in ea acceduntur, plures enim Stellæ multas exhalationes trahunt â terra ad supremam regionem aeris, quæ exhalationes accenduntur, & resultat via lactea.

Hæc sentẽtia communiter â Philosophis reiicitur. Incredibile est enim, tot annorum sæculis tantam exhalationum copiam, è terra attrahi æquali quantitate, & eadem figura, ita vt via lactea semper eandem claritatem, & similitudinem oculis intuentium offerat. Insuper, quando viget hiems, & æstas, pauę exhalationes ad supremam aeris regionem deueniunt, & tamen

men etiam eo tempore via lactea apparet: ergo via lactea non fit ex pluribus exhalationibus. Præterea si via lactea esset in aere, non cerneretur ab omnibus circa easdem Stellas Cœli; sed potius in diuersis regionibus; iuxta diuersas Stellas appareret, quemadmodum etiam cometæ, qui in aere generantur; sed via lactea semper apparet in eodem loco, & situ, & secundum eandem distantiam à Stellis fixis: ergo non generantur in aere.

Aliqui attendentes vim hisrarum rationum conantur Arist. excusare: dicunt enim translationem latinam Arist. quæ communiter habetur, hac in parte corruptam esse. In antiqua autem translatione Arist. expresse affirmat viam lacteam esse materiam cœlestem; ita excussat Arist. Ioannes versorius q. 11. lib. 1. Metheororum: Alii dicunt Arist. non affirmatiue, sed probabiliter, & opinatiue tantum locutum fuisse.

Cæterum: Quidquid sit in hac parte de mente Arist. (bonus enim quandoque dormitat Homerus, vt prouerbio admonemur) dico, cum communi consensu Philosophorum: Viam lacteam esse in octauo Cœlo, & nihil aliud esse; quam splendorem multarum Stellarum fixarum, quarum vnaquæque, propter sui paruitatem videri non potest, plures tamen per se collectę in ea parte Cœli talem splendorem emittũt; vel etiam dicimus, viam lacteam esse partes quasdã Cœli densiores, quam alias partes: Minus tamen densas, quam Stellæ, quæ quidem partes ex reflexione radiorum Solis, & aliarum Stellarum, candorem, & splendorem emittunt.

QVAESTIO XI.

De Stella qua Christo nato magis apparuit.

SPlendor micantissimę Stellę, quę Christo nato magos ab oriente in Bethelem perduxit inuitat nos, vt etiã de ipsa non nihil proferamus.

Dico igitur primo; eam Stellam non fuisse de numero cœlestium Stellarum; ita tenet communis consensus Sanctorum Patrum. Præcipuè verò Sanctissimus Præceptor D. Tho. 3. p. q. 36. art. 9. & probatur, ratione; nam Stellæ Cœli singulis diebus oriuntur, & occidunt; illa verò Stella die ac nocte magis iter facientibus se ostendebat. Insuper lux Solis impedit; ne alia Astra, & Stellæ per diem luceant: Illa verò Stella, vt docet Ignatius Martir refert, tanto splendore per diem lucebat, vt alia lumina Cœli claritate vinceret. Denique hæc Stella erat certis vicina, nam vt refert D. Matthæus cap. 2. *Appropinquantibus magis Bethelem fletit Stella supra speluncam in qua Deus infans iacebat.*

Dico secundo: Hanc Stellam non fuisse cometam, vt constat ex his quæ diximus q. 4. nam cometę, vt in plurimum adueniente die euanescunt, non multum lucent, & parum mouentur, quę omnia huic Stellæ de qua loquimur minime conueniunt.

Dico tertio: Prædictam Stellam fuisse nuum quoddam, & in solitum

Me-

Metheorum non naturali, virtute genitum, sed vel Angelica, vel diuina virtute, ex materia sublunari conflatum, & magno splendore conspersum, quod non propria virtute: sed ministerio alicuius Angeli moueatur. Alia ad hanc Stellã spectãtia Theologis, & Euangelij interpretibus relinquamus.

DISPVTATIO III.
DE METHEORIS,
QVÆ FIVNT IN MEDIA REGIONE AERIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De nubibus.

MEdia regio aeris est maximè frigida, ex ea enim descendũt impressiones frigidæ, quæ ibi generantur, videlicet pluuia, nix, & grando, causatur autem hæc frigiditas influxu aliquarum Planetarum, quę virtutem frigefactiuam habent, & cum ex alia parte, hæc pars aeris non calefiat â Sole, vel ab igne elementali, sicut suprema regio, propter maiorem distantiam, neque etiam calefiat reflexione radiorum Solis, sicut infima regio; quia repercutio radiorum Solis, hanc mediam regionem non attingit: hinc est, quod hæc media regio in magna frigiditate perseuerat. In hac igitur media regione generantur nubes, quarum materia est vapor influxu Cœlorum, & maxime calore Solis, ad medium vsque regionem eleuatus, sic autem efficitur nubium generatio: Postquam vapores, ad hanc regionem perueniunt calorem ammittunt, tum frigiditate aeris ambientis, tum etiam ratione materiæ ex qua educti fuerunt, quæ est aqua seu terra madefacta, terra autem, & aqua frigidæ sunt. Vapores igitur ad mediã

regionem eleuati frigore condensantur, & sic generantur nubes; nubes enim nihil aliud sunt, quam vapores condensati.

Varij autem colores in nubibus apparent, vespere enim, & mane apparent rubeæ, interdum videntur candidæ, aliquando nigræ, quorum colorum eadē est causa, videlicet ad mixtio luminis, cum oppaco, & prespicuo nubium; nam quando nubes est valde condensata, & propterea habet plurimum appacitatis, & parum prespicuitatis tunc exiguum splendorem in se recipit, & inde nascitur color niger: Quando verò nubes est rara, & parum habet oppacitatis, & plurimum prespicuitatis est capax magni splendoris, & inde prouenit candidus color. Denique quando Soli subijcitur nubes aquosa, cui videlicet parum defficit, vt dissoluatur in aquam, tunc ita lumen Solis cum oppaco, & perspicuo nubes per miscetur, vt nubes rubicunda appareat.

QVAESTIO II.

De pluuia.

MAteria proxima pluuiæ, est nubes, vt docet Arist. cap. 9. primi Meteor; nubes enim vi frigoris comprehensa in media regione aeris mutatur in aquam, quæ cum grauis sit fertur deorsum, & sic causatur pluuia: Pluuia igitur nihil aliud erit, quā nubes in aquam conuersa.

Diuiditur pluuia in tres quasi species, aliquando enim cadunt minutæ guttæ; quia cum vapor eleuatus subtilis sit facile superatur â frigore, conuertiturque in aquam, vnicoque nomine appellatur imber: Aliquando cadunt magnæ guttæ raræ, & magno impetu; quia cum vapor eleuatas crassior sit, difficile superatur â frigore, & per aliquas partes dumtaxat in aquā mutatur, & hæc repentina, & præceps pluuia dicitur nimbus: Denique aliquando guttę medio modo se habent, & tunc absolute pluuia appellatur: *Istę* tres differentię pluuię naturales sunt.

Contingit autem aliquando, alia pluuia prodigiosa, & præter communem vsum, & ordinem naturę. Referunt enim historię aliquando ranas, bufones, sapos, & alia animalia huius generis, tum etiam lac, & sanguinem pluisse, quarum rerum vix naturalis causa reddi potest: Hęc enim ab Auctore naturę inducuntur, vt homines his visis terreantur, & suam vitam mutent in melius: Si tamen aliqua causa naturalis esse potest dicendum erit causam ranarum, & aliarum rerum mixtarum ab aere descendentium esse quatuor elementa, quę in aere concurrunt, & mutua actione, & passione permiscentur: Causa verò lactis, aut sanguinis ad calorem Solis referenda est: Quemadmodum enim in corpore animalis, quando calor est debilis vrina est alba; quando verò calor est vehemens lotium est rubicundum. *Ita* cum proportione dicendum est de lacteo, vel sanguineo colore in pluuia apparente.

QVAES-

QVAESTIO III.

De niue.

NIx generatur ex eadem materia ex qua fit pluuia: si enim vis frigoris circundantis nubem, magna fuerit; ita vt nubes priusquam conuertatur in aquam congeletur generabitur nix, quæ nihil aliud est quam nubes, vel aqua in media regione aeris virtute frigoris congelata, vt docet Arist. 4. topic. cap. 5. generatio niuis præcipuè contingit tempore hiemis, quando Sol â nobis recedit, & venti frigidiores in aerem frigidant, relinquitur autem nix alba; quia aqua frigore condemsata alba redditur, vt etiam constat in gelu.

Quæres: Quare eodem tempore interdum in vallibus pluit, & in montibus ningit?

Respondetur; causam esse; quia montes propriùs accedunt ad mediam regionem aeris, vel etiam si sunt altiores eam contingunt, & sic nix, quę in media regione aeris generatur, quando descendens ad montes peruenit adhuc formam niuis conseruat, cęterum valles longe distant â media regione, & hinc est, quod nix descendens, vel propter calores huius infimę regionis, vel quia ex motu descensionis causatur calor paulatim liquefit, sicque, quãdo ad terram peruenit non est nix; sed pluuia ex niue multum congelata in regionibus valde frigidis fit christallum, vt docet Albertus Magnus 1. Metheo. tract. 1. cap. 16. & Plinius lib. 37. historię naturalis.

QVAESTIO IV.

De grandine.

MAteria proxima grandinis est aqua, vt docet Arist. cap. 12. primi libri: Grando enim nihil aliud est, quam aqua congelata; nam ex vapore in media regione aeris fit nubes, ex nube, aqua, & ex aqua grando.

Obiicit autem sibi Arist. antequã in aere ex vaporibus generetur aqua, non potest aqua congelari; quia non dum est: Postquam autem aqua est genita statim descendit, & fit pluuia: ergo aqua non potest in aere congelari, & ex consequenti grando non erit aqua in media regione congelata.

Vt huic difficultati occurrat Philosophus supponit, interdum vnum cõtrarium esse fortificatiuum alterius contrarii), & hęc actio dicitur antiparistasis per quam actionem tempore hyemis aquę fontium, & puteorum sunt magis calidę, & tempore estatis sunt magis frigidę, vt diximus. 7. Physicor. q. 1. ad 3. Hoc posito sic generatur grando: Calore Solis, & aliorum astrorum eleuatur vapor calidus, & humidus vsque ad mediam regionem aeris, & ibi propter frigiditatem illã, vapor conuertitur in nubem, & nubes resoluitur in aquam descendentem per guttulas frigidas, quę quidem guttulę dum descendunt per antiparistasim congelantur ab infima regione

aeris

aeris quæ est calida, & sic illæ guttæ ex quibus fit grando sunt valde frigidæ, quia calor infimæ regionis per antiparis tasim, & contrariam resilentiam talem frigiditatē intendit, ex his soluitur obiectio, concedimus enim, quod nubes conuertitur in aquam, & aqua illa descendit cæterum antequā perueniat ad terrā congelantur guttę, modo expolito, & fit grando.

Ex his etiam constat quare grando fere semper fit vere, vel autumno, raro autem generatur hyeme, vel æstate; nam cum grando generetur per contrariam resilentiam caloris, hyeme autem etiam infima regio aeris est frigida, inde prouenit, quod in hyeme non generatur grando. In æstate autem raro fit grando, quia nimio calore consumuntur, & dissipantur vapores, & nubes.

Aliquando simul cū grandine cadit pluuia, quod prouenit ex hoc quod est parua antiporis tasis, & non omnes guttæ congelantur, vel etiam, quia calor infimæ regionis grandinem liquefacit in toto, vel in parte.

Grando aliquando est triangularis figuræ, & aliquando rotundæ, & ratio huius est; quia aliquando descendit ex loco remotiori à terra, & corpore molli, quæ longo tractu descendit, amittit angulos, & fit rotunda: Aliquando verò descendit grando ex loco non ita remoto, & tunc habet figuram triangularem, vel minus rotundam.

QVAESTIO V.

De tronitue, & corruscatione.

TRonituum, & corruscatio. Ita generantur; quando exhalatio calida, & sicca in media regione aeris intra nubem comprimitur, talis exhalatio propter frigiditatem, quæ reperitur in nube ambiente fortior fit, & intenditur, per antiparis tasim conatur erūpere, & foras exire, velociterq; intra nubem mouetur, & interdum frangit, & rumpit nubem densam in cuius quasi vtero violenter detinebatur, & in hac fractione nubis inflammatur exhalatio egrediens, & hæc inflammatio dicitur corruscatio, seu fulgur. Sonus autē factus ex tali ruptione nubis tonitruū appellatur, quemadmodum, quando lignum viride ponitur in igne, paruus ventus existens intra lignum, & id quod est aquosum in ipso exit per extremitatem ligni, frangiturque lignum, & in ista fractione reperitur inflamatio, & causatur sonus: Hoc exemplum ad hoc propositum adducit Arist. lib. 2. cap. 8. si autem exalatio, non rumpat nubem; sed solum feratur per concauitates ipsius, tunc sonus ille, qui sentitur non vocatur tronituum, sed stridor, neque tum temporis causatur corruscatio. Ex his facile erit colligere diffinitionem tonitrui: Est enim sonus factus in nubibus ex violenta fractione ipsarum, per egressum exhalatis calidæ, & siccæ.

Dices: Quæ tonitrua sunt magis timenda?

Respondeo; quod tonitruum, cuius nubes est nigra, parum timendū, quantum ad incensionem, & corruscationem; quia signum est, quod exhalatio est debilis, & abundantia vaporum, qui causant nigredinē nubis est magna; tonitruum cuius nubes est rubea, vel alba similiter non est multum timendum; quia etiam signum est debilitatis exhalationis, & nubis: quando vero nubes est viridis, valde timendum est tonitruum; quia signum est, quod exhalatio intus existens, est valde intensa, & frigiditas nubis magna, & id circo percusio fulguris erit multum violenta.

Dices secundo: Quare prius intuemur fulgur, quam audiamus tonitruum, cum tamen vtrumque simul generetur?

Respondetur causam esse; quia visio fit in instāti, auditio vero in tempore.

QVAESTO VI.

De corona.

COrona, quæ â Græcis appellatur halo, nihil aliud est, quam circulus apparens, circa Lunam, vel Solem, vel quodcumque aliud astrum resultatque, quando inter nostrum aspectum, & Solem, Lunam, vel astrū interponitur vapor condensatus, seu nubes in qua reflectuntur radij Astri luminosi; & tunc apparet circulus candidus, qui dicitur Corona: Si nubes in qua apparet circulus iste candidus condensatus est signum pluuiæ: Si rarefit est signum venti; & denique, si euanescit est signum serenitatis; apparet autem, halo, seu Corona rotundæ figuræ; quia Astrum, cuius similitudo in nube apparet, rotundum est.

QVAESTIO VII.

De iride.

IRis generatur, quando Sol est, vel in ortu, vel in occasu, & vapor qui est positus ante Solem conuertitur in nubem, & nubes habet paruas guttulas ad instar roris, quæ in ipsa nube detinetur: Tunc enim ex reflexione radiorum Solis, quæ fit in illa nube resultat yris; nam guttæ illæ paruulæ sunt quædam veluti specula, quæ referunt splendorem Solis, non tamen figuram ipsius Solis. Ad generationem Iridis concurrit Sol tanquam causa efficiens luminis, & illustrationis: Cō currit etiam nubes tanquam causa materialis recipiens talem illustrationem, quæ quidem nubes debet esse ro rida, idest habens paruas guttulas ad instar roris, & debet esse talis, vt in aquam facile dissolui possit, debet esse lucida ex ea parte, quæ nos, & Solem respicit, & oppaca a tergo, vt lumen Solis reflecti possit.

Iris non videtur à nobis, nisi simus inter Solem, & nubem in qua iris apparet, vt obseruat Arist. cap. 4. tertij libri, quemadmodum colores in speculo representati videri nequeunt, nisi ante speculum constituamur, tunc in meridie; quando Sol, & nubes sunt

veluti supra verticem nostri capitis; non apparet iris; quia iris non apparet nisi in parte Solis opposita, & existentibus nobis inter nubem, & Solem, & in meridie non sumus inter nubem, & Solem, sed infra.

Possunt eodem tempore simul apparere plures irides, vt experientia comprobatur, interdum enim in eodem situ aeris plures irides apparent existente vna sub alia, superior fit reflexione radiorum Solis. Inferior autem, quæ debilior est fit ex reflexione superioris, ex secunda verò interdum efficitur tertia, quæ multo debilior est, quam secunda.

Colores iridis ex lumine Solis causantur, sunt autem tres præcipui colores in iride, videlicet, poniceus, viridis, & purpureus: Hæc autem colorum diuersitas causatur, ex hoc, quod nubes in parte superiori exiguam habet oppacitatem. In parte media mediocrem, in inferiori verò maiorem: Radius autem luminosus, cum exigua oppacitate facit colorem puniceum: Cum mediocri viridem, & cum maiori oppacitate purpureum: Isti verò colores non sunt veri, & reales, sed obumbrati, & apparentes tantum sicut colores intra speculum, vel intra pupillam oculi apparentes.

Figura iridis est semi circulus, nunquam verò circulus integer; *quod Arist. multis demonstrationibus probat cap. 5. libri tertij*: Sol enim cum sit rotundus, & circularis conatur in nubem suam figurem inducere; quia verò nubes est terris vicina propter terræ impedimentum nequit apparere circulus integer.

Iris est signum pluuiæ; non enim apparet nisi in nube, quæ in aquam facile potest dissolui, ex diuina autem dispositione significat iris, quod de cetero numquam erit diluuium generale ipsius terræ: *Dicitur enim cap. 9. geneseos. Deum. Op. Maximum Sancto Patriarchæ Noe potest diluuium hæc* verba dixisse: *Arcum meum ponam in nubibus, & recordabor fœderis mei, vobis, cum, & non erunt vltra aquæ diluuij.*

Luna etiam suum arcum facit, & quasi iridem, vnius tamen dumtaxat coloris, videlicet candidi, cum enim radij lunaris propter suam tenuitatem non possint nubem profunde penetrare, inde prouenit, quod efficiunt candorem illum in nube absque alia pictura, & arcus istæ efficitur raro, & solum in plen Lunio.

Ex dictis collige iridem sic posse diffiniri: *Arcus multi coloris in nube rorida, & oppaca, ex reflexione radiorum Solis occulis intuentium apparens.*

Collige secundo: Inter iridem, & coronam, magnum reperiri discrimē, corona enim est vnius coloris; iris est plurium. *Insuper* corona fit in circuitu Solis, & Lunæ. *Iris* autem apparet ex aduerso, & in nube Soli opposita. Denique corona facilius dissoluitur, quam iris.

Collige vltimo. *Iridem* omnia Metheora pulchritudinem superare, colorum enim varietate, & venustate omnium ad se occulos conuertit. Hinc Ecclesiastici cap. 5. sic dicitur: *Vide ærum,*

reum, & benedicetum, qui fecit illum valde spetiosus est in decore suo.

QVAESTIO VIII.

De virgis, & parelijs.

VIrgę fiunt ex reflexione radiorum Solis, quæ fit in aliqua nube propter in æqualitatem ipsius nubis, quæ secundum varias partes est magis, & minus densa, & magis, & minus profunda apparet, quæ in ea varij colores ad instar virgę in longum protracti, lumen enim permixtum corpori habenti istas differentias causat varias colorum similitudines.

Parelius idem est, quod imago Solis, dicitur enim â para, quod est iuxta, & eius, quod est Sol, quasi dicerētur apparens iuxta Solem; apparet enim, quasi ad latus Solis, & fit reflexione radiorum Solis in nube ad Solis latus posita: Debet autem hæc nubes esse continuata, & æqualis, ita vt non sit vna pars magis densa, quam alia, sic enim talis nubes, tanquam naturale speculum imaginē Solis reflectit, & sic plures apparent Soles. Parelei, & virgę præcipuē fiunt quando Sol oritur, & quando occidit; nam in meridie, nimio calore Solis attenuantur nubes, vel totaliter consummantur. Parelei magis præmunciant pluuiam, quam virgę; quia fiunt â nube æqualiter condensata, quę facile in aquam potest reloui.

DIS-

DISPVTATIO IV.

DE HIS QVÆ GENERANTVR IN INFIMA REGIONE AERIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De rore.

QVamquam pluuia, & ros ex eisdem causis generentur differunt tamen; nam ad pluuiam desideratur maior calor vapores eleuans, vsque ad mediam regionem aeris, & maius frigus, quo condensentur vapores eleuati, tum etiam plures vapores eleuati, tum etiam plures vapores necessarij sunt ad generationem pluuiæ, quam, vt fiat ros. Insuper pluuia fit in media regione; ros verò in infima, & denique facilius, & frequentius fit ros, quam pluuia; nam fere omnibus diebus veris, & autumni generatur ros non autem pluuia.

Sic igitur producitur ros; quando vapores, qui calore Solis, per diem eleuantur, propter exiguitatem caloris, non possunt peruenire vsque ad mediam regionem aeris, sed remanent in infima, recedente Sole frigiditate noctis condensantur, & in tenuas guttas conuertuntur, istæque guttæ descendentes dicuntur ros: Vnde ros solum fit in locis, & temporibus temperatis, vbi neque tantus est calor, vt possit exicare vapores, nec tantum frigus, vt eos congelare possit, docet etiam Arist. rorem solum fieri nocte serena, & quieta; nam tempore nu-

nubiloſſo non eleuantur vapores flante vento diſsipantur, & hinc eſt, quod in locis ſuperioribus non appareat ros; tum quia vapores ob ſui grauitatem, & exiguitatem caloris aſcendere nequeunt; tum etiam quia in locis ſuperioribus perflat ventus, & diſsipantur vapores.

QVAESTIO II.

De pruina.

OMnia, & eadem fere diſcrimina, quæ inter rorem, & pluuiam reperiuntur, & quæ aſsignata ſunt quæſtione præcedenti, reperiuntur etiam inter pruinam, & niuem, generatur enim pruina ex vapore, qui per diem calore Solis eleuatur, & propter exiguitatem caloris nequit talis vapor ad mediam aeris regionem peruenire, ſed in hac infima regione relinquitur: aduenientе autem nocte, vrgenteque frigore, vapor non ſolũ condenſatur, & reſoluitur in guttas aquę, ſed etiã in glaciem conuertitur, ſicque cauſatur pruina.

Ex his conſtat: Rorem, & pruinam diſtingui, quia propter maiorem vim frigoris ambientis magis condenſatur vapor, ex quo generatur ros. Hinc docuit *Ariſt. cap. 10. primi libri, rorem fieri in locis, & temporibus temperatis, pruinam verò in locis, & temporibus intemperatis*: Neutrum autem iſtorum generatur, quando flant vehementiores venti; quia tunc diſsipantur vapores, & condenſari non poſſunt.

QVAESTIO III.

De caligine, ſeu nebula.

CAligo, ſeu nebula, quæ circa terram apparet etiam cauſatur ex vaporibus, *& eſt nubes quædam infecunda, & ſterilis, ex qua pluuia generari non poteſt*, eſt inquam quaſi excrementum pluuiæ, quam ob rem nebula eſt indicium ſerenitatis; nã quod ex nube non potuit conuerti in aquã, id tandem nebula, & caligo nominatur. Quemadmodum itaque in corpore humano multa ſunt excrementa craſſa, & terreſtria, quæ propter nimiam craſitiem in ſubſtantiam hominis conuerti non poſſunt: ac proinde expelluntur: Ita ſimiliter nebula eſt excrementum craſſum, & terreſtre, quod non potuit conuerti in aquam, neque mediã regionẽ aeris attingere.

QVAESTIO IV.

De ignibus fatuis.

IN infima regione aeris aliquando inflamantur, & accenduntur per antipariſtaſim nocturni frigoris, exhalationes calidæ, & ſiccæ, apparentque illi ignes, qui communiter fatui appellantur, qui dum ſua leuitate aſcendere contendunt, frigoræ mediæ regionis deorſum deprimuntur; vocantur autem fatui; quia non comburunt. Apparent frequenter huiuſmodi ignes ſuper ſementaria, & ſuper capita eorum, qui in patibulis ſuſpenſi pendent.

dent, eo quod ex cadaueribus procedunt exhalationes calidæ, & siccæ, quæ sunt materia proxima horum ignium, aliquando etiam nauigantibus tempore tempestatum apparere solent duo ex his luminibus. Interdum verò vnum tantum, affirmantque, vnũ de signare exitum infaustum, bina verò prosperum, quod etiam refert *Plinius lib. 2. historiæ naturalis cap. 37.*

DISPVTATIO V.
DE HIS, QVÆ IN SVPERFICIE TERRÆ PRODVCVNTVR.

QVAESTIO PRIMA.

De mari.

DE mari disputat Philosophus cap. 1. 2. & 3. libri secundi. In primo reijcit opinionem veterum Philosophorum existimantium, aquam maris esse æquam fontium in eo loco existentium. Hanc sententiam sic impugnat Arist. omnis aqua fontium, vel est fluxibilis, & currens, vel est collecta, & congregata in vnum locum hominum industria, cuiusmodi sunt aliquæ aquæ puteales; sed aqua maris, neque est proprie currens, neque aliquo artificio humano quiescit (quomodo enim posset humana industria tantam aquarum magnitudinem in vnum congregare?) ergo aqua maris non est aqua fontium. Dicendum igitur est mare in ipso exordio creationis mũdi à Deo, Op. Max. productum fuisse, & initio mundi aqua totam terræ magnitudinem, & superficiem complectebatur, & cooperiebat: Tertio autem creationis die, vt dicitur Genesis. 1. dixit Deus: *Congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida*, id est, *terra* hæcque con-

gre-

gregatio aquarum appellatur mare.

Mare: Quantum ad situm non est altius terra, vt aliqui arbitrati sunt: Imo potius terra est altior mari, vt docent Diuus August. explicans Psalmum 135. & D. Chrisostomus homilia 9. ad populum Antiochenum.

In eodem capite primo: Docet Arist. in mari duplicem esse fluxum, & motum, primus cernitur in fretibus, & partibus angustis maris: Secundus est motus, quo maria septentrionalia fluunt in meridionalia; aqua enim septentrionalis, altior est meridionali, tum etiam in mari septentrionali plures fluuii ingrediuntur.

In capite secundo duas quæstiones de mari pertractat Philosophus: Prima est; an mare sit principium omnium aquarum? Cui difficultati reiectis aliorū opinionibus occurrit Arist. dicens; quod mare potius dicitur finis, quam principium omnium aquarū, est enim profundissima vallis terræ, seu multitudo aquarum in parte concaua ipsius terræ constituta, & hæc est causa, quare omnia flumina tendunt ad mare, si quidem proprium est aquæ, cum sit corpus graue, locum inferiorem petere.

Secunda quæstio est: Quare mare, non redundat, cum omnia flumina mare ingrediantur?

Respondet Arist. causam esse; quia calore Solis, quam plures eleuantur vapores â mari quibus eleuatis aqua maris minuitur, & peraduentum fluminum nō redundat: Possumus etiam respondere dicendo; quod mare non redundat, quamuis flumina ingrediātur ipsum; quia etiam flumina de mari exeunt, sicque eorum exitu tantum detrahitur aquæ, quantum additur eorum ingressu, hoc insinuat Spiritus Sanctus cap. 1. Ecclesiastes: Vbi dicitur; omnia flumina intrant in mare, & mare, non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.

In cap. 3: disputat Arist. de maris æternitate, & salsedine, & affirmat, quod mare non habuit principium si mundus est æternus, habuit verò initium si mundus æternus non est: Reiicit etiam sententiam Democritis asserentis: Mare habiturum esse finem: Ipse verò Arist. infinitam durationem mari concedit; quæ sententia; si intelligatur de mari, quantum ad substantiam aquæ, & de infinita duratione à parte post vera est; nam omnia corpora simplicia, cuiusmodi sunt Cœli, Astra, elementa æterne perseuerabunt, vt diximus disp. 1. librorum de Cœlo.

Disputat præterea Arist. de causa salsedinis maris: Reiectisque aliorum sententijs inquit: Causam salsedinis esse exhalationem calidam, & siccam permixtam cum aqua maris, cum enim ista exhalatio sit salsa efficit mare salsum: Voluit autem D. Max. supremus naturę Auctor tantam exhalationum abundantiam, cū aqua maris permiscere; quia aqua salsa magis accomodata est nauigationi, quam aqua dulcis, eo quod crassior est, & multo melius nauium pondera sustinet, est etiam aqua maris magis accomodata victui pascium, & hinc est,

quod

quod pisces marini, vt in plurimum extra aquam maris viuere nequeunt.

Interrogauit aliquis: Quare, qui primo ingrediuntur mare plerumque euomantur?

Respondetur; causam esse, quia salsedo maris subtilitati humorum humani corporis maximé repugnat: causatur etiam ex continuo motu maris, qui subtiles corporis humores facile perturbat, quemadmodum etiam qui celerrimé currunt facile ad vomitum prouocantur.

QVAESTIO II.

De glacie.

GLacies, seu gelu efficitur, quando aqua supra terram existens, vi frigoris condensatur, & congelatur, quod maximé euenit tempore hyemis: erit igitur glacies aqua congelata, ad istam autem congelationé non sufficit sola vis frigoris; sed requiritur ad mixtio, quædam terrenæ exhalationis, quæ cum sit maximé densa, plurimum conducit ad congelationem: Ratio huius Doctrinæ est manifesta: si enim ad aquam congelandam sola vis frigoris sufficeret, cum aqua elementalis secundum se sit summe frigida, vt diximus 2. lib. de ortu, & interitu proculdubio aqua elementalis non esset liquida; sed congelata, quod quidem falsissimum est.

Quæres: Aqua maris potest ne congelari?

Respondetur cum D. Tho. qui explicans illa verba Iob cap. 28. *Superficies abyssi constringitur*: Inquit, quod aqua maris, quantum ad superficiem potest condensari, & congelari: Profunda autem maris congelari non possunt; quia vis frigoris ea non penetrat.

DISPVTATIO VI.

DE HIS, QVÆ IN VISCERIBVS TERRÆ GENERANTVR.

QVÆSTIO PRIMA.

De ventis.

DE ventis egit Arist. cap. 4. 5. & 6. libri secundi: in cap. 4. inquit, quod materia ventorum est exhalatio; sicut materia pluuiæ est vapor, vnde non est eadem causa materialis ventorum, & pluuiæ, & falso veteres existimarunt Philosophi: Experimur enim quosdam annos esse maximè pluuiosos, & humidos, alios verò abundare ventis, & siccitate, cuius diuersitatis non est alia causa, nisi, quia alij abundant vaporibus ex quibus oriuntur pluuiæ alij verò exhalationibus ex quibus fiunt venti: Verum est tamen, quod illa exhalatio, quæ est materia proxima ventorum est crassior, grauior, & magis permixta vaporibus, quam illæ exhalationes ex quibus generantur Metheora ignita supremæ regionis. Ex his colligit Arist. quænam sit causa propterquam venti non mouentur motu recto, sed obliquo; nam cum materia ventorum sit exhalatio calida, & ficca aliqualiter permixta vaporibus crassis non potest ascendere, sed cogitur descendere, cum autem hæc exhalatio aliqualiter sit leuis, non potest moueri deorsum motu recto, & sic mouetur oblique. Causa efficiens ventorum est Sol,

qui

qui sua virtute, & calore eleuat exhalationes, & vapores, tandem finis ventorum est purgatio, & purificatio aeris â peregrinis impressionibus.

In cap. 5. aliqua docet Arist. circa naturam ventorum, præcipue verò circa ipsorum augmentum, & diminutionem: Imprimis enim docet aliquot diebus ante caniculam esse maximam aeris tranquilitatem, neque flare ventos, & ratio est; quia tunc est maximus calor, vrgente autem maximo calore cessant venti, vel quia consumuntur exhalationes, antequam eleuentur, vel quia eleuatæ nimio calore dissipantur.

Docet præterea; quod venti magis solent flare per diem, quam per noctem, & ratio est; quia per diem cum ad sit præsentia Solis eleuantur exhalationes, quæ sunt materia proxima ventorum.

Docet denique, terram diuidi in habitabilem, & in inhabitabilem, quam quidem diuisionem, his nostris temporibus nõ admittit experientia; qua comprobatum est omnem terram, etiã eam, quæ est apud antipodas, peragrabilem, & perhabitabilem esse.

In cap. 6. agit Philosophus de numero ventorum supponitque in primis; quod in terra debemus nos concipere orizontem rotundum, vt inde numerum, & situm ventorum colligamus. In isto autem orizonte, quatuor præcipue partes distinguendæ sunt, videlicet ortus, occasus, septentrio, & meridies: Ortus, & occasus equinoctialis subdiuiditur in æstiuum, & hyemalem: Ex his colligit Arist. numerum, & situm venturum: Ab ortu enim equinoctiali flat ventus, qui latine dicitur Subsolanus, Hispanicé verõ Leuante, hic ventus cõtrariatur illi, qui flat ab occasu equinoctiali, & appellatur latine Phabonius, Hispanicè verõ Poniente: Ab ortu æstiuo flat ventus, qui latine dicitur secies, Hispanicé autem viento griego, huic contrariatur ventus, qui flat ab occasu hyemali, & latine dicitur Affiricus, Hispanicê verô leueche ab ortu hyemali oritur ventus, qui latine dicitur, vulturnus, Hispanice verò chaloque: huic contrariatur ventus, qui flat ab occasu æstiuo, & dicitur latine agrestes, Hispanicê verõ, viento Magistral; A septentrione nascitur ventus, qui latine dicitur aquilo, Hispanicé verò tremuntana; Huic contrariatur, ventis, qui flat à meridie, & dicittur auster, vel meridionalis; Hispanicé verô viento de mediodia.

Præter istos octo ventos; duos alios in parte septentrionali agnoscit Arist. & alij Authores plures alios ventos admittunt, qui omnes ad quatuor præcipuos; iuxta quatuor præcipuas mundi partes reuocantur, videlicet ad ventum septentrionalem, meridionalem, orientalem, & occidentalem.

In reliquo capitis, quasdam ventorum proprietates enumerat Philosophus: Prima est, venti orientales sunt calidiores occidentalibus: Secunda est; venti contrarij non possunt simul flare; v. g. Subsolanus, & Phabonius, qui sunt directe oppositi: Tertia venti Septentrionales sunt vehementissimi;

mi; tum quia ex proximo loco ad nos perueniunt; tum etiam; quia ex locis plenis niue flant: Quarta temporibus contrarijs flant venti contrarij: Vltima, venti septentrionales, quia frigidi sunt generant fulmina, & procellam.

QVAESTIO II.

De procella, turbine, præstere, & fulmine.

QAmuis ista, quæ in titulo proposita sunt in media aeris regione generentur; quia tamen plurimam habent affinitatem, cum ventis, merito de his in præsenti disputamus, de quibus egit Arist. cap. 1. libri tertij: Procella igitur, quæ â Græcis dicitur; ecnephias; nihil aliud est, quam ventus in maxima, copia, & maximo impetu ex nube egrediens; quando enim in nube reperitur maior copia exhalationis, quam vaporis, & tota exhalatio, vi frigoris condensatur, magno impetu, vsque ad nos descendit; cum enim fit huiusmodi exhalatio crassa incendi non potest: Tanto autem impulsu, & vi ad terram descendit, vt non nunquam arbores domos euertat, & huiusmodi vehemens, & repentinus flatus venti procella nuncupatur, estque frequentior in mari, quam in terra.

Turbo, qui, & typhon appellatur fit ex eadem materia, ex qua fit procella, contingitque, quando exhalatio impetuosa de nube egrediens incurrit in aliam nubem inferiorem, vel in ventum contrarium, & cum non possit progredi recta via propter impedimentum occurrens, neque etiam possit retrocedere, quia vna pars exhalationis impedit aliam, mouetur in obliquo, & circulariter, & sic turbo resultat, quemadmodum in his inferioribus; quando ventus impeditur ab aliquo corpore, ne recta via progrediatur, mouetur in orbem. Turbo igitur, & procella distinguntur; quia procella mouetur motu recto, nec defert secum partem nubis: Turbo autem mouetur circulariter, & cum sit densior semper secum defert partem nubis; neque procella, neque turbo fiunt; quando nix cooperit terram, neque flante aquilone, neque hyeme; quia his temporibus maxime viget frigiditas, quæ impedit eleuationem exhalationum.

Præster nihil aliud est, *quam turbo inflamatus, & accensus, ita vt ignis, & flatus simul ferantur deorsum:* Soletque, non solum prosternere, sed etiam comburere, quæ ei obijciuntur.

Fulmen nihil aliud *est quam exhalatio calida, & sicca, maximo impetu ex nube extracta;* fulminum duplex est genus: Aliud habet materiam tenuissimam. Ita vt prætenuitate non vrat, aliud est, cuius materia est densior, & maxima celeritate mouetur, & corpora altiora, & crassiora maiori impetu percutit. Docet prætera Arist. fallam esse sententiam asserentium fulmen esse lapidem: Si enim esset lapis non posset consumere ferrum ensis intra vaginam existentis, non consumpta vagina, & ossa hominis

nihis non consumpta carne, hoc autem ita euenire experientia cõprobat.

QVAESTIO III.

De terræ motu.

Disputatio de terræ motu, quam tradit Arist. cap. 2. lib. 2. sequitur disputationem de ventis, procella, & turbine, si quidem omnia ista eandem fere habent causam: Tria autem supponenda sunt, veluti principia, vt naturam terræ motus commodè explicemus.

Primum est nunquam eleuari â terra solas exhalationes; neque solos vapores; sed simul exhalationes, & vapores educuntur, quando verò abundat vapor absolute dicimus, quod eleuatur vapor: quando verò abundat exhalatio, dicimus absolute, & sine addito, quod exhalatio eleuatur.

Secundum supponendum est: Terram madefactam, & postea calefactã, quam plures exhalationes emittere, non solum in partibus exterioribus, sed etiam in interioribus, quæ communiter viscera terræ nuncupantur: His autem exhalationibus intra viscera terræ existentibus aliquando patet egressus, fiuntque venti; aliquando verò manent inclusæ quatitur que terra, & fiunt terremotus.

Tertium supponendum est exhalationem habere magnam vim, ad mouendum; quia cũ subtilis sit maximè penetrat, & celeriter mouetur; vnde maximam vim potest ad ferre terræ.

Ex his colligere possumus; veram materiam, & causam efficientem terræ motus, materia enim est pars illa terræ, quæ concutitur, & commouetur: Causa verò efficiens proxima est exhalatio, quæ intra terram inclusa est, & exitum quærens, terram ipsam agitat; remota verò est Sol, & aliæ Stellæ, quæ virtute sua exhalationes educũt, quod autem ex his causis oriatur terremotus ex his signis colligi potest. Primo; quia multi, & magni terræ motus fiunt, quando supra Cœlum est tranquilitas ventorum, eo quod exhalatio in visceribus terræ inclusa est. Secundo; quia plures, & maiores terræ motus fiunt per noctem quã per diẽ; nam per noctem frigiditas infimæ regionis aeris quoddam modo occludit spiracula terræ, ita vt exhalationibus in visceribus terræ existentibus, non pateat egressus. Tertio, quia terremotus potissimum fit in locis cauernosis, & mari vicinis, eo quod in cauernis magis detinetur exhalatio; & fluctibus maris quoddam modo occludunt pori ipsius terræ; vt exitus exhalationis impediatur. Quarto; quod terremotus potissimum fiunt autumno, & vere, & temporibus pluuiosis; nam cum autumnus, & ver sint tempora temperata his temporibus abundat exhalationibus, hyeme autem extinguuntur frigore, & æstate calore dissipantur, & hinc fit, quod his temporibus rarissime fiunt terremotus, similiter postquam pluit interdum fiũt terremotus; quia tunc est abundantia exhalationum, atque his signis perspicuum factum, quibus temporibus, & locis potissimum fiant terremotus.

Terre-

Terremotus interdum parum durat. Ita vt simultantum terra tremat, quia exhalatio in viscéribus terræ existens tenuis, & parua est, interdum verò multo tempore durat, vt duobus, vel pluribus mensibus, quandoque per annum, quandoque etiam per biennium non cõtinuê, sed cum intermissione: Huius autem durationis causa est amplitudo cauernarum, & exhalationum multitudo.

Terremotus semper fit in paruo terræ spatio; quia ad commouendũ terram amplissimam multa exhalatio desideratur, quæ vix nunquam reperitur. Si autem obiicias, quod refert Plinius lib. 2. cap. 56. regnãte Tibertio Cæsare, vna nocte, quodam terremotu duodecim vrbes Asiæ corruisse; Dicam id fortasse nõ euenisse viribus naturæ; nos autem in præsenti loquimur de his, quæ secundum naturam contingunt.

QVAESTIO IV.

De fontibus, & fluminibus.

De fontibus, & fluminibus egit Arist. cap. 13. primi libri in quo postquam retulit sententiam aliquorum asserentium, vnam, & eandem esse materiam ventorum, & aquæ, omnesque ventos esse vnum vẽtum, quia fiunt ex eadem materia; reiicit hoc vltimum ex hoc, quod si omnes venti sunt vnus ventus; quia fiunt ex eadem materia etiam omnes fluuij erũt vnus fluuius, cum ex eadem materia generentur, quod tamen absurdissimum est.

Circa generationem fontium, & principium fluuiorum: Sciendum est; quod quidam Antiquorum Philosophorum dixerunt aquas puteorum, & fluuiorum nihil aliud esse, quam aquas fluuiales receptas, & conseruatas in viscéribus ipsius terræ ex quibus oriũtur, & fluunt huiusmodi fluuij. Confirmant hanc sententiam duplici signo: Primo; quia fontes, & fluuij maiores sunt in hyeme, quam in æstate: Secundo; quia aliqui fontes, & fluuij sunt perpetui, videlicet, qui habent magna receptacula, quæ sufficiunt ad retinendam aquam pluuialẽ, ad ministrandum aquam per totam æstatem, vsque ad hyemem sequentem: Alij verò fontes, & fluuij non sunt perpetui, videlicet, qui non habent sufficientia receptacula; nec satis magna.

Contra hanc sentẽtiam arguit Philosophus; nam multitudi fontium, & fluminum decurrentium per totum annum est maior, quam tota terra: ergo in terra non potest esse sufficiens receptaculum ad recipiendam tantam multitudinem aquæ. Impugnari etiã potest prædicta sentẽtia ex hoc, quod videmus fontes, & fluuios magnos, sub magnis lapidibus, & rupibus, vbi non posset aqua pluuialis descendere, in cacuminibus etiam montium reperiuntur fontes, ibi autem non potest tanta aqua pluuialis ascendere.

Docet igitur Arist. quod aquæ fontium, & fluuiorum generantur in viscéribus terræ per conuersionem aeris in pluuiam, quemadmodum ex multis

tis vaporibus sursum eleuatis in media regione aeris generatur nubes, ex qua iterum generatur pluuia, ita vapores, qui continentur in visceribus terræ frigiditate condensantur, & in aquam conuertuntur, illa verò aqua, per venas terræ procedens peruenit vsque ad loca concaua, vbi sunt scaturigines manantiales fontium, & fluuiorum.

Hunc modum generationis fontiũ, & fluuiorum declarat Philosophus duplici signo. Primum est defossoribus terræ, qui dum faciunt puteum non reperiunt aquam in vno receptaculo, sed vident eam per diuersos poros, & venas terræ descendere, ac si terra sudaret. Secundum signum est; nam ex magnis montibus oriuntur magni fluuij, quæ quidem comprobat Arist. nominando maximos montes, qui sunt in Asia, Africa, & Europa, & magnos, & maximos fluuios ex talibus montibus Orientes. Quod autẽ, ex magnis montibus, & rupibus oriãtur illi fluuij non est propter aliud, nisi; quia sunt valdè spongiosi, & in illis multus aer, & vapor includitur ex quo maguæ aquæ generari possunt.

Quamuis autem fontes non generentur ex aquis pluuialibus receptis in visceribus terræ, concedendum est tamen, quod aquæ pluuiales plurimũ faciunt ad augmentum aquarum fontium, & hoc probant duo illa signa initio huius quæstionis proposita.

Angelicus Doctor. D. Tho. in 2. dist. 14. q. vnica, ad 5. & quam plures ex Sanctis Patribus, & interpretibus Scripturæ Sacræ affirmant: Quod fontes, & fluuij originem ducunt ex mari. Colligitur veritas huius sententiæ ex illis verbis supra adductis ex cap. 1. Ecclesiastes: *Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat: Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*: Ex quibus verbis, hæc conficitur ratio: Omnia flumina reuertuntur ad locum vnde exeunt; sed reuertuntur ad mare: ergo omnia flumina exeunt â mari.

QVAESTIO V.

De mineralibus.

DE mineralibus in speciali idest quantum ad speciales, & proprias rationes vniuscuiusq; agit Arist. in speciali libro Metheororum: cap. vlt. solum agit de mineralibus in cõmuni, & docet, quod quemadmodum in alto, idest supra terram est duplex halitus, alter vaporosus, idest humidus ex quo aliqua Metheora generantur per condensationem, quæ efficitur frigore: Alter verò fumosus, & siccus ex quo fiunt ea, quæ generantur per inflamationem. Ita similiter in visceribus terræ est duplex halitus ex quo duo genera corporũ generantur, quorum aliqua dicuntur formalia eo quod é terra effodiuntur, & generantur ex halitu sicco. Alia verò dicuntur metalica, quæ magis generantur per condensationem, & exhalitu humido.

Assignat Arist. causam istorum, & primo assignat causam fossilium, dicens, exhalatio sicca, secundum quod

est

est ignita â calido est principium omnium fossibilium; ita vt exhalatio sit materia ex qua fiunt; calidum verò igniens est quoddammodo principiũ actiuum; principium verò actiuum principale est virtus cœlestis, quæ dicitur virtus mineralis â qua habent fossibilia, quædam videlicet lapides præciosi, quandam virtutem cœlestem, & occultam, & quam occultas operationes verê exercentur, caliditas autem est principium actiuum instrumentale, quæ humidum exicat, & generat omnia fossibilia, cuiusmodi sunt genera lapidum.

Assignat præterea Arist. causam, modum, & locum generationis eorum quæ exhalitu humido generantur in viscribus terræ: Ait itaque, quod illa quę metallantur, idest habent formam metalli generantur materialiter ex vapore; frigiditas autem condensans vaporem concurrit effectiue instrumentaliter, principale autem agens est virtus cœlestis mineralis, sicut diximus de his, quę ex halitu sicco fiunt.

Obseruat tamen D. Tho. circa principia materialia metallorum, quod duplex est metallorum materia, alia proxima, & alia remota, materia remota est aqua, seu vapor inclusus in locis lapidosis terrę, materia autem proxima metallorum sunt sulfur, & argentum viuum, sicut dicunt Alchimistę ita, quod in prędictis locis lapidosis terrę, per virtutem mineralem primo generetur sulfur, & argentum viuum, deinde ex ipsis immediate generentur diuersa metalla.

Ex metallis, quędam sunt liquebilia, quę plures accedunt ad naturam humidam, quam sicci, sicut stagnum, vel plumbum; quędam verò sunt ductilia, quę plus accedunt ad naturam sicci, quam humidi, sicut ferrum, quod calefactum igtu mallei extenditur. Metalli sex sunt species ad quas omnia metalla reuocantur, videlicet aurum, argentum, æs, ferrum, stagnum, & plumbum: Alij addunt electrum; sed tamen non est alia species ab auro, & argẽto, electrum enim est quoddam metalli genus, quod ex parte quadam auri, & argenti commixtione conficitur, de quo dixit Plinius lib. 33. cap. 4 aurum in quo quinta argenti portio est electrum, vocatur similiter etiam oricalcum ad æs refert.

Assignat præterea Arist. modum, & locum generationis metallorum dicens, quod generantur ex vapore incluso in partibus terræ præcipuè vero in lapidibus propter siccitatẽ lapidũ, quæ cõstringit humidũ vaporis, & propter fortiorẽ, & maiorem congelationem factam â frigido per virtutem cœlestem, quę dicitur virtus mineralis, quemadmodum ab eodem frigido generantur supra terram in infima regione aeris, ros, & pruina, quando â vapore segregatus est exhalatio calida, & sicca, quæ sursum mouebat. Est tamen maximum discrimen inter generationem roris, & pruinæ, & generationem metallorum; nam in generatione roris, & pruinæ prius segregatur siccitas antequam materia congeletur, & condensetur, & ros descendat, & hinc est, quod ros, & pruina

na sunt liquida; at verò metalla generantur in visceribus terræ, ex eadem materia antequam separetur siccitas, & ideo sunt dura, & quanto plus est in eis de siccitate tanto sunt duriora.

Ex his constat; quod metalla sunt aqua secundum vnum modum; quia videlicet fiunt ex vapore humido, qui est aqua in potentia; & secundum alium modum non sunt aqua; quia videlicet siccitas in eis non est segregata, in cuius signum metalla igniuntur, comburuntur, & reducuntur in puluerem, & terram, & hoc solum cõuenit eis propter siccam exhalationem, quæ sola exuritur; quia propter siccitatem est materia apta ignitioni.

Metalla post exustionem reducuntur in minorem quantitatem; quia calore ignis separatur aliquid crassum, & impurum ipsius metalli per exhalationem, vel euaporationem humidi crassi. Solum autem aurum inter omnia metalla non fit minus, nec minoris ponderis, quando exuritur; quia est genitum ex sicco, & humido subtilissimis, & non habentibus aliquid impurum ad mixtum, quod per ignitionem separari queat. Ex quo cõstat, quod aurum nõ solum secundum opinionem hominum, sed secundum naturam rerum est præstantius, nobilius, & purius, quam cœtera metalla; quod etiam patet ex virtute, quam habet in operando marabiliores, & nobiliores operationes; atque his dictis, huic quæstioni, & his libris, Metheororum felicem exitum imponimus, ad laudem, honorem, & gloriã illius, qui Metheororum omnium, & omnium creaturarum est Supremus Auctor, & prima causa ipse sit per æterna sæcula benedictus.

Amen.

QVINTA PARS PHILOSOPHIÆ.

CONTINENS ARISTOTELIS PHILOSOPHORVM PRINCIPIIS DE ANIMA LIBROS TRES.

CVM COMMENTARIIS, ET QVÆSTIONIBVS EXAGITARI SOLITIS.

IVXTA DOCTRINAM, ET INTERpretationem Angelici Doctoris Diui Thomæ Aquinatis.

PROEMIVM.

INgeniorũ suæ ætatis Phenix Arist. lib. 1. de partibus animalium cap. 5. hæc verba scriptis commendauit: *Magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus, & altissimis etiam si topicè, & probabiliter illud sciamus; quam scire multum, & per certitudinem de rebus minus nobilibus. Primum enim habet nobilitatem ex se & ex sua substantia. Secundum verò ex modo, & qualitate:* Ex hac Philosophi sententia à perte colligitur disputationem de anima, quam

hodierna die cum confidentia auxilij Diuini aggredimur omnes alias Philosophiæ partes dignitate præcedere, est enim certior, & nobilior cæteris: certior quidem; nam quilibet ex peritur in se ipso se habere animam, & quod anima viuificet: nobilior verò; quia anima de qua agitur in præsenti inter omnes inferiores creaturas primatum tenet: Antequam autem ad expositionem textus Arist. deueniamus, quædam quæstiones proœmiales præmittendæ erunt.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum de anima possit dari scientia?

SIt conclusio: De anima potest dari, & datur de facto, verè, & propriè scientia. Probatur; nam Arist. inter partes Philosophiæ naturalis (quæ proprie scientia est, vt probauimus in eius proœmialibus) Doctrinam de anima connumerat.

Secundo probatur ratione: Eius est scientia cuius sunt causæ, & proprietates; sed de anima dantur causæ, & proprietates, quæ de ipsa per veram demonstrationem possunt concludi: ergo de anima datur scientia: Minor constat; nam intellectus, voluntas, & aliæ potentiæ proprietates sunt animæ rationalis, & anima vegetatiua, & sensitiua etiam suas habent proprietates, vt infra patebit.

Tertio probatur; quorum datur diffinitio, dari etiam potest scientia; sed de anima datur diffinitio, vt dicemus: ergo etiam scientia dari potest: Hæc autem scientia speculatiua est, cum non detur scientia practica, vt ostensum est in Logicæ proœmialibus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Obiectum scientiæ debet esse, quid completum, & integrum; sed anima non est quid completum, cum essentialiter sit pars rei viuentis: ergo anima nequit esse obiectum scientiæ.

Respondetur distinguendo minorem; quamuis enim anima, & quælibet pars Physica sit Physicè loquendo quid incompletum, & partiale; est tamen, quid completum Methaphysicum, cum componatur ex genere, & differentia, & ob hanc causam pars Physica potest esse subiectum demonstrationis, potestque diffiniri, & de ipsa potest dari scientia, maximè si habeat proprietatts, vt contingit in in anima.

Secundum argumentum. Scientia in nobis ortum habet à sensibus, sed anima, nec per se, nec per accidens est perceptibilis sensibus: ergo de anima

non potest dari scientia. Probatur minor; in primis non per se, cum sit substantia, nulla autem substantia per se sensibilis est; sed per accidens tantum, ratione accidentium, quibus subijcitur. Deinde neque per accidens; quia cum non sit totum compositum, sed forma compositi non subijcitur accidentibus, quæ sensibus percipiuntur: ergo anima nullo modo est perceptibilis sensu.

Respondetur negando consequentiam; nam licet anima non percipiatur sensu: Plures tamen animæ effectus, sensibus percipiuntur, & hoc sufficit vt de ipsa detur scientia, sicut datur in hac vita scientia de Deo, & de Angelis, quamuis Deus nullatenus sensibilis sit, vt enim de aliquo detur in nobis scientia, sufficit, quod aliquid ipsius exciterit in sensu.

Tertium argumentum. De formis non habetur specialis scientia præter eam, quæ habetur de toto composito, cuius sunt formæ; v. g. de formis elementorum non habetur alia scientia præter eam, quæ agit de elementis; sed anima est forma substantialis rei viuentis: ergo de ipsa non habetur specialis scientia.

Respondetur negando absolute maiorem; potest enim haberi specialis scientia de formis substantialibus; quia verò interdum non habent formæ multam difficultatem, coniungitur ipsarum consideratio cum consideratione compositorum: At verò anima innumeras habet speciales difficultates præter eas, quæ sunt propriè compositorum.

QVÆSTIO II.

Vtrum ad Physicum spectet agere de anima?

ANimaduertendum est: Triplex esse genus animarum, iuxta triplex genus operationum: Cum enim essentiæ rerum sint nobis ignotæ ex earum effectibus, & operationibus interdum agnoscendæ sunt: Alia est anima vegetatiua: Alia sensitiua: Et alia intellectiua: Prima, reperitur in plantis, & est principium augmenti: Secunda, in brutis, & est principium cognitionis sensitiuæ: Tertia, in hominibus, & est principium motuum rationalium, videlicet volitionis, & intellectionis: Istæ autem animæ habent se, quodammodo, sicut superius, & inferius; nam rationalis etiam est vegetatiua, & sensitiua, cum sit principium augmenti, & cognitionis sensitiuæ: Sensitiua, est etiam vegetatiua non verò è contra.

Prima conclusio: Ad Physicum spectat agere de anima vegetatiua, & sensitiua. Communis est conclusio; & colligitur ex Arist. 1. lib. de partibus animalium cap. 1. vbi docet *Physici esse disputare de anima, quæ à materia dependet*; sed anima vegetatiua, & sensitiua dependent a materia in fieri, & conseruari, cum educantur de potentia ipsius: ergo ad Physicum pertinet agere de anima vegetatiua, & sensitiua.

Secundo Probatur: Ad Physicum spectat disputare de formis generabilibus,

libus, & corruptibilibus in materia sensibili existentibus, vt dicitur 1. Physicor. tex. 83. sed tales sunt animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ: ergo Physico erit de eis disputare.

Secunda conclusio: Anima rationalis non solum, vt vegetatiua, & sensitiua est, verum etiam, vt intellectiua, seu rationalis, spectat ad considerationem Physicam. Hanc conclusionem docent Auicena, Beatus Albertus Magnus, Iandunus, & Magister Soto, quos refert, & sequitur Magister Bones 1. p. q. 76. art. 2. dubio 3. eandem etiam conclusionem habet Arist. multis in locis, præcipue verò 2. Physicorum cap. 2. vbi iuxta interpretationem Diui Tho. docet, *quod supremum, quod attingit Physicus est anima rationalis*, & 1. de partibus animalium cap. 1. inquit *Physicum agere de his formis, quæ sunt principium motus*; sed anima rationalis est principium motus, cum sit forma substantialis rei viuentis: ergo Physici erit disputare de anima rationali. Probatur ratione; Ad eandem scientiam pertinet disputare de toto, & de partibus ipsius; sed ad Physicum spectat agere de homine, qui tanquam ex partibus Physicis componitur ex corpore, & anima rationali: ergo ad Physicum spectat agere de anima rationali.

Secundo probatur conclusio: Anima intellectiua, & rationalis, etiam vt intellectiua, est forma, & perfectio substantialis corporis humani, & materiæ primæ: ergo etiam, vt intellectualis est pertinet ad considerationem Physicam.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Ex Arist. 2. Physicor. tex. 45. *tria sunt circa quæ versatur Physicus, videlicet natura, ens naturale, & ens secundum naturam*; sed anima non est aliquid istorum: ergo animæ consideratio non spectat ad Physicum. In primis non est ens secundum naturam; cum non sit operatio, proprietas, vel accidens entis Physici. Deinde neque est ens naturale: nam ens naturale dicitur substantia Physica composita, seu totum Physicum. Denique, quod non sit natura probatur saltim, de anima sensitiua, & intellectiua; nam natura est principium motus Physici; anima verò sensitiua est principium cognitionis sensitiuæ, & anima rationalis est principium cognitionis intellectiuæ, quæ quidem cognitiones nō sunt motus Physici, nec proprié dicuntur motus: ergo anima, neque est natura, neque ens naturale, neque ens secundum naturam.

Respondetur negando minorem, probationi dicimus; quod anima est natura; ita eam vocat expressis verbis Arist. 1. de partibus animalium cap. 1. Ad huius autem impugnationem dico; quod vt aliqua forma dicatur natura, non requiritur, quod respectu omnium suarum operationum dicatur natura; v. g. forma Physica ipsius ignis absolute dicitur natura, & tamen non est natura respectu calefactionis ab ipso igne procedentis; nam natura, vt in 2. Physic. osten-

sum

sum est, & principium intrinsecum ipsius motus; forma autem ignis non est principium intrinsecum, sed extrinsecum calefactionis, cum calefactio non sit in igne calefaciente, sed in re, quæ calefit. Dicitur nihilominus forma ignis *natura*; quia est principium intrinsecum alterius motus, v. g. motus localis ipsius ignis; ita similiter in præsenti anima absolute dicitur *natura*, non quidem respectu sensationis, vel intellectionis, sed respectu augmentationis, nutritionis, & motus localis.

Secundum argumentum. Physica solum agit de formis inseparabilibus à materia, vt dicitur 6. Metaph. tex. 2. sed anima intellectualis realiter separatur à materia: ergo non spectat ad considerationem Physicam.

Respondetur negando consequentiam; nam anima rationalis etiam separata à materia dicit ordinem, & habet naturalem propensionem ad ipsam, & sic est forma Physica, & ad Physici considerationem spectat.

Tertium argumentū. Physica disputat de formis generabilibus, & corruptibilibus, vt dictum est in probatione primæ conclusionis; sed anima rationalis non est generabilis, nec corruptibilis, sed solum creabilis, & annihilabilis à solo Deo: ergo disputare de anima rationali nō est munus Physicæ.

Respondetur negando consequentiam; quamuis enim anima rationalis, non sit generabilis, nec corruptibilis habet se nihilominus admodum generabilium, & corruptibilium, cum sit pars Physica entis generabilis, & corruptibilis, videlicet hominis, dicatque ordinem ad materiam, quam informat à qua naturaliter separabilis est, & hoc sufficit, vt dicamus animam rationalem ad Physicam considerationem spectare.

QVAESTIO III.

Vtrum anima sit obiectum horum librorum?

REcolenda sunt, quæ diximus in Proœmialibus Logicæ, de natura, & conditionibus obiecti alicuius habitus. Quibus suppositis.

Sit conclusio: Anima in communi est obiectum adæquatum horum librorum. Ita docent Albertus Magnus in præsenti, D. Tho. AEgidius, Landunus, q. 3. Tholetus q. 4. & quam plures alii, potestque probari hæc conclusio ex inscriptione, & titulo horū librorum, inscribuntur enim libri de anima de sumpta denominatione ex obiecto.

Ratione probatur: Illud est obiectum adæquatum alicuius scientię cuius diffinitio ponitur in ipsa, cuius species enumerantur, & cuius passiones demonstrantur; sed in his libris diffinitur anima, explicantur eius species, videlicet vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, & tandem concluduntur proprietates, videlicet potentiæ ab ipsa anima procedentes: ergo anima est obiectum adæquatum, & totale horum librorum.

CON-

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Obiectum partiale scientiæ totalis debet esse species subiectiua obiecti totalis: ergo obiectum librorum de anima debet esse pars subiectiua entis mobilis, quod est obiectum totale ipsius Physicę, sed anima non est species subiectiua entis mobilis, hæc enim est falsa prædicatio anima est ens mobile: ergo anima non est obiectum horum librorum.

Respondetur negando antecedens; non enim id necessarium est, cum nō semper in partibus alicuius scientiæ de eius speciebus agatur; sed interdum agitur de principijs, & causis, & sic in præsenti fit sermo de anima, quę est principium naturale, & forma Physica entis mobilis viuentis.

Secundum argumentum. Videre, audire, irasci, & alię passiones, quę in his libris demonstrantur non conueniunt animę, sed rei animatę: ergo res animata, seu totum compositum animatum erit obiectum horum librorum, non autem anima.

Respondetur negando antecedens: Nam principium illarum passionum est anima, quamuis enim per corpus exerceantur, ab anima tamen procedunt, & hoc modo tales passiones considerantur in his libris, & sic constat animam esse obiectum horum librorum, quia passiones, quę in his libris demonstrantur ab anima proueniunt, quamuis non prędicentur de ea.

LIBER PRIMVS
DE ANIMA.

IN tegram disputationem de anima in tres libros diuidit Philosophus. In quorum primo: Sui institutionem reddit, & quid veteres Philosophi circa naturam animę opinati fuerint exponit. In secundo, de proprietatibus, & communibus affectionibus animæ, de sensibus quoque internis, & externis disputat. In tertio tandem agit, de intellectu agenti, & patienti, de animæ immortalitate, & de alijs huiusmodi.

Primo libro sunt capita quinque: in quorum primo, quod est totius operis proemium, lectorem reddit benebalum, docilem, & attentum huius disputationis dignitatem, procedendi modum, & difficultatem commendans. In alijs autem quatuor capitibus veterum Philosophorum sententias

las de natura animæ refert, & reijcit, omnia autem scitu digna in sequentibus quæstionibus explicabuntur.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM SCIENTIA DE ANIMA sit nobilior, & certior cæteris?

ANimaduertendum est cum D. Tho. lect. 1. huius libri perfectionem scientiæ pendere ex actu: perfectionem autem actus desumi ex duobus, videlicet ex obiecto, & ex modo ipsius actus, videlicet ex certitudine ipsius, vnde scientia de homine perfectior est ratione obiecti, quam scientia de equo, & scientiæ Mathematicæ ex parte certitudinis perfectiores sũt, quam Physica; quia verò perfectio actus, magis pendet ex obiecto, quam ex modo, & certitudine ipsius actus; nam ex obiecto sumunt speciẽ, hinc est, quod scientia, quæ agit de nobiliori obiecto est absolute præstantior, & dignior ea, quę agit de obiecto minus nobili, quamuis sit minus euidẽs, & certa; vnde Philosophia naturalis est absolute nobilior mathematicis; quia licet mathemmatica antecedant Physicam in certitudine Physica, tamen eas superat nobilitate obiecti.

Obseruandum est secundo: Vt certa ab incertis separemus Arist. in primo capite huius libri non comparare disputationem & scientiam de anima cum omnibus alijs scientijs, sed cum alijs partibus Philosophię naturalis, & ita docet, respectu istarum præstantiorem esse, & dignitate obiecti, & certitudine demonstrandi: Certum itaque est Methaphysicam omnium scientiarum naturalium nobilissimã esse, cum disputet de nobilissimo obiecto videlicet de Deo, & de Angelis: certum etiam est scientias Mathematicas omnes alias scientias naturales certitudine vincere, cum præcedant ex principijs nobis, & natura notioribus, & excludentibus omnem rationem dubitandi, huiusmodi sunt omne totum est maius sua parte: Si ab æqualibus demas æqualia, quę remanent sunt in æqualia.

Prima conclusio: Scientia, & disputatio de anima dignior, & præstantior est omnibus alijs scientijs Physicis, vel quod idem est omnibus alijs partibus Philosophię naturalis. Probatur; nam agit de nobiliori obiecto, videlicet de anima in communi includendo etiam animam rationalem, quę inter res Physicas, & naturales primum tenet locum: ergo vera est conclusio.

Secunda conclusio: Disputatio inde anima est certior omnibus alijs par-

partibus Philosophiæ naturalis. Probatur conclusio; nam procedit certioribus demonstrationibus, & principijs, & agit de his, quę in nobis experimur, nihilque est certius in nobis, quam videre, audire, & alia huiusmodi de quibus agitur in his libris: ergo scientia de anima certior est alijs partibus Physicæ.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Animal, quod est obiectum scientiæ Physicæ præstatius est, quam anima; nam omne totum nobilius est sua parte: ergo scientia, quæ agit de animali præstantior est, quam scientia de anima.

Respondetur distinguendo antecedens: Animal enim dupliciter potest considerari: Primo, in genere rei, quatenus videlicet est totum, quoddam, & ens completum, & hac ratione animal nobilius est, quam anima, vt optime probat argumentum. Secundo potest considerari animal in genere scibilis, videlicet quatenus est quid abstractum, & immateriale, & hac ratione anima est nobilior, quam animal, cum sit simplicior, & immaterialior, maximè si de anima rationali fiat sermo.

Secundum argumentum. Cœlum nobilius est quam anima, cum sit incorruptibile, & habeat esse inuariabile: ergo pars Physicæ, quæ agit de Cœlo præstantior erit, quam disputatio de anima.

Respondetur negando absolute antecedens; nam quamuis Cœlum si consideretur; quantum ad esse sit nobilius quolibet ente corruptibili, non tamen si consideretur, quantum ad gradum naturæ; sic enim formica, & quælibet res viuens est nobilior Cœlo; nã quælibet res viuens habet esse, & viuere, & formica habet esse, viuere, & sentire, corpora autem cœlestia, nec vitam, nec sensum habent. Iam verò perfectio absolutè, & simpliciter desumitur ex gradibus naturæ, non autem ex corruptibilitate, vel incorruptibilitate, quælibet enim forma substantialis, quamtumuis corruptibilis sit, est nobilior, & præstantior, quã materia prima, quæ est omnino incorruptibilis. Ex his constat, quamlibet animam nobiliorem esse quolibet corpore cœlesti.

Tertium argumentum: Primus Motor, qui est Deus perfectior est, qualibet alia re, non solum, quo ad gradũ naturæ, sed etiam quoad modum essendi; sed in Physica agitur de primo motore: ergo saltim hæc pars nobilior erit quam hæc disputatio de anima.

Respondetur distinguendo minorem. In Physica enim non agitur de primo motore per se, & ratione sui, & tãquam de proprio obiecto, sed per accidens, seu per aliud; at verò in his libris per se agitur de anima, & tanquam de proprio obiecto, vt ostensum est quæstione tertia Proemialium.

QVAESTIO II.

Vtrum anima sit substantia?

PLura antiquorum Philosophorum deliramenta circa naturam, & quidditatem animæ refert, & reijcit Arist. cap. 2. & sequētibus; Quidam enim dixerunt animam esse corpus. Alij existimarunt animam non esse substantiā, sed accidens, & isti diuisi fuerunt; nam aliqui dixerunt animam esse armoniam quandam, non vocum musicalium, sed qualitatum contrariarum. Alij autem esse temperamentum primarum qualitatum. In qnæstione sequenti probabimus animam non esse corpus, in hac verò non esse accidens.

Sit igitur prima conclusio: Anima est substantia, & non accidens. Probatur conclusio: Viuentia non sunt accidentia, sed substantia: ergo id quo constituuntur in tali esse substantiali necessario est substantia, & non accidens; nam constitutiuum essentiale substantiæ necessario debet esse substantia; sed viuentia constituuntur essentialiter in tali specie per animā, & per ipsam differunt essentialiter à non viuentibus: ergo anima est substantia, & non accidens.

Secundo probatur conclusio: Pars essentialis totius substantialis non potest esse accidens; sed anima est pars essentialis viuentis, quod est totum substantiale: ergo anima non est accidens, sed substantia: Minor constat; nam viuens essentialiter componitur ex anima, & corpore.

Secunda conclusio: Anima non est armonia, vel temperamentum qualitatum. Ita Arist. loco citato, & D. Tho. ibidem; & secundo contra gentes cap. 63. & 64. Ratione probatur; temperamentum primarum qualitatum est accidens; sed anima non est accidens, vt probabimus: ergo anima non est temperamentum primarum qualitatum. Probatur maior: Illud temperamentum, vel armonia est quoddam constitutum ex contrarijs qualitatibus, quæ quidem sunt accidentia: ergo tale temperamentum est accidens. Insuper tale temperamentum suscipit magis, & minus, sed nulla substantia suscipit magis, & minus: ergo tale temperamentum non est substantia: ergo accidens.

Secundo probatur conclusio: Anima in viuentibus, est principium diuersorum motuum, & in animalibus est principium motus progressiui; sed temperamentum, & armonia qualitatum, non potest esse principium diuersorum motuum, nec potest esse principium motus progressiui: ergo anima non est tale temperamentum. Probatur minor; nam motus, qui profluit à temperamento qualitatum, solum est vnus, & sequitur naturam qualitatis prædominantis, vt constat manifeste in mixtis non viuentibus: Grauia enim solum mouentur naturaliter deorsum propter prædominantem terram, & leuia solum mouentur naturaliter sursum; quia in ipsis prædominatur caliditas, & siccitas ignis: ergo temperamentum qualitatum non potest

est esse principium diuersorum motuum, neque motus progressiui, quod enim mouetur motu progressiuo in omnem partem mouetur, nec magis in vnam, quam in aliam inclinatur.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum; contra primam. Substantia adæquate diuiditur in primam, & secundam; sed anima non est substantia prima, cum non sit suppositum; nec substantia secunda, cum non sit genus, vel species: ergo anima non est substantia.

Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera de substantia prædicamentali; non autem de substantia in communi, quæ complectitur substantiam integram, & substantiam incompletam, qualis est anima; solum itaque probat argumentum animam nō esse substantiam prædicamentalem, quod libenter fatemur.

Secundum argumentum; contra secundam conclusionem. Omne viuens corporeum est mixtum; sed forma mixti est temperamentum: ergo forma viuentis est temperamentum; sed anima est forma viuentis: ergo anima est temperamentum.

Respondetur distinguēdo primam minorem in mixto enim viuente duplex forma Physica reperitur, alia substantialis, & essentialis ipsi, & talis est anima: Alia verò accidentalis, & talis est temperamētum qualitatum, quod quidem non est forma substantialis, sed accidentalis.

QVAESTIO III.

Virum anima sit corpus?

OBseruandum est: Quæstionem non procedere de corpore Cathegoriæ substantię, quod dicitur substantia corporea capax trinæ dimensionis, & condiuiditur substantiæ spirituali: Certum enim est animam vegetatiuam esse substantiam corpoream: Solum igitur procedit quæstio de corpore Cathegoriæ, quantitatis, quod dicit trinam dimensionem.

Sit conclusio: Anima non est corpus. Ita Arist. hic, & D. Tho. 1. p. q. 75. art. 1. & 2. contra gentes cap. 65. vbi his rationibus probat conclusionem; primo, viuentia cum sint quædam entia Physica componuntur ex materia, & forma, sed componuntur ex corpore, & anima, qua facit viuentia actu: ergo necesse est alterum istorum esse formam, & alterum esse materiā; sed corpus non potest esse forma: ergo anima est forma; & per consequens anima non est corpus. Probatur secunda minor; forma est in materia quam informat; sed nullum corpus est in altero sicut in materia, & subiecto: ergo corpus non potest esse forma.

Secundo probatur conclusio: Impossibile est saltim naturaliter duo corpora esse simul; sed anima non est seorsum â corpore; sed simul cum ipso in viuente: ergo anima non est corpus.

Tertio probatur conclusio: Omne corpus alteri corpori per mixtum ma-

ius ipsum efficit; sed anima dum corpus viuificat non auget eius quantitatem, sed potius eadem magnitudo quãtitatis remanet: ergo anima non est corpus.

Vltimo probatur conclusio: Omne corpus est diuisibile in infinitum; sed nulla anima est diuisibilis in infinitũ: ergo nulla anima est corpus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Filius interdum assimilatur Patri etiam in accidentibus animæ; sed filius generatur à Patre per decisionem seminis corporalis: ergo signum est quod anima est corpus.

Respondetur negando consequentiam; nam talis assimilatio procedit ex hoc, quod complexio corporis est aliquo modo causa passionum animæ per modum disponentis. Vnde vbi sunt similes complexiones propter efficatiam virtutis generantis, sunt sæpe numero similes passiones animæ.

Secundum argumentum. Anima compatitur corpori; ideſt simul patitur cum ipso; si enim vulneratur corpus, tristatur anima: ergo anima est corpus.

Respondetur negando consequentiam. Anima enim compatitur corpori, quia est forma eius; corpore si quidem patiente oportet animam, quæ est eius forma etiam pati.

Tertium argumentum. Separatio est corporum se tangentium, sed anima separatur à corpore: ergo anima etiam est corpus.

Respondetue; quod anima non separatur à corpore, sicut tangens à tacto; sed sicut forma informans à materia informata.

Respondetur secundo. Quod etiam est aliquis tactus incorporei ad corpus, videlicet secundum virtutem, & hac ratione tangitur corpus ab anima. Ex hac duplici solutione constat falsam esse absolute maiorem propositionem argumenti. Hæc in primo libro dicta sufficiunt.

LIBER

LIBER SECVNDVS
DE ANIMA.

POsquam Arist. libro præcedenti Antiquorum Philosophorum sententias circa naturam animæ retulit, & reiecit, incipit in hoc libro secundum propriam opinionem, & veritatem de anima, & eius potentijs disputare, triaque præstat in hoc libro. In primis, quot, & quotuplex sit anima ostendit. Postea de anima vegetatiua sermonem facit. Et demique desensitiua, & eius potentijs deserit. Hæc autem in duodecim capita continentur.

CAPVT I. & II.

Quid sit anima?

IN his duobus capitibus duas animæ diffinitiones proponit. Prima est, *anima est actus corporis Physici organi potentia vitam habentis.* Secunda verò, quam tradit cap. 2. est huiusmodi: *Anima est forma, qua primo viuimus sentimus, mouemur, & intelligimus*, quæ quidem diffinitiones in sequentibus quæstionibus exponentur.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM PRIMA DIFFINITIO animæ sit bene assignata?

SIt conclusio: Apte diffinitur anima in communi: *Actus corporis Physici, organici potentia vitam habentis:* Ad probationem huius conclusionis sufficit Authoritas Arist. & cõmunis Philosophorum consensus, explicanda est autem diffinitio per singulas particulas. In primis dicitur,

actus,

actus, cum enim substantia, vt ait Arist. cap. 1. huius libri adæquate diuidatur in materiam formam, & totum compositum, anima autem non sit materia neque totum compositum, sequitur euidenter quod sit forma, omnis autem forma est actus: ergo anima, quæ est forma viuentis optimè diffinitur per actum; sciendum est autem cum Arist. cap. 1. quod actus est duplex: Alter est principium operandi, & dicitur actus primus, & huiusmodi est scientia: Alter est ipsa operatio; v. g. actualis speculatio scientifica, & hic actus appellatur actus secundus. Præterea actus primus duplex est: Alter est actus primus accidentalis, vt risibilitas: Alter verò substantialis, & talis est, quælibet forma substantialis; vterque actus si referatur ad actualem operationem dicitur primus: Si verò actus illi referantur ad compositum, vel comparentur inter se, actus substantialis dicitur actus primus; quia per ipsum res primo habet esse: Actus verò accidentalis dicitur actus secundus; quia per ipsum res secundario cõstituitur in actu, quam ob causam dici solet, quod prius est esse simpliciter, quam esse tale: Cum ergo dicitur in diffinitione animæ: Anima, *est actus*, intelligendum est de actu primo substantiali, habetque prima particula locum generis in prædicta diffinitione: aliæ verò particulæ habent rationem differentiæ.

Secunda particula est: *Corporis Thysici*: Idest, *corporis naturalis* per quam particulam excluditur figura, quæ est actus corporis artificialis, non autem corporis naturalis. Probat autem Arist. in contextu ex anima, & corpore fieri vnum per se; quia corpus est veluti potentia, & materia; anima verò est actus, & forma; sed ex actu & potentia fit vnum per se: ergo ex anima, & corpore fit vnum per se, vt corpus viuens.

Tertia particula est; *organici*; partes enim corporis animati dicuntur esse instrumenta, & veluti principia, & organa diuersarum operationum. Hoc explicat Arist. in plantis, quæ habent folia tanquã tegumenta fructuum, habent radices, quibus quasi ore trahunt nutrimentum, & alia huiusmodi, in alijsque viuentibus, hoc manifestius constat: dicitur ergo anima, *actus corporis organici*; quia viuentia habent partes organicatas, quibus diuersas operationes exercent.

Vltima particula est. *Potentiam vitam habentis*; Ad cuius intelligentiã docet Arist. quod dupliciter dicitur aliquid in potentia ad aliud. Primo; quia illud non habet, potest tamen habere; verbi gratia, materia prima hominis potest dici in potentia, pars cadaueris; quia non est pars cadaueris, potest tamen esse. Secundo modo dicitur aliquid in potẽtia ad aliud, quod iam habet potest tamen illud aliquid operari, & in hac secunda acceptione corpus habens animam dicitur, in potentia vitam habens; quia licet actu habeat vitam essentialem, remanet tamen in potentia ad operationes vitales exercendas, quæ quidem dicitur vita accidentaria: Hæc diffinitio sic explicata omni animæ conuenit, vt pro-

probat D. Tho. 2. contragentes cap. 61. & Ferrariensis ibidem.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Anima habet potentiam ad susciendum esse, & ad recipiendas passiones, & operationes: ergo non magis debet diffiniri per actum, quam per potentiam.

Respondetur negando consequentiam: Quamuis enim anima non solum sit actus, sed etiam potentia, vt optimé probat argumentum; quia tamen respectu compositi, & respectu alterius partis Physicæ, cum qua facit vnum per se non exercet rationem potentiæ; sed rationem actus, & formæ; id circo non diffinitur per potentiam; sed per actum.

Secundum argumentum. Actus secundus nobilior est actu primo; sed in viuente nihil est nobilius anima: ergo anima non est actus primus: alio qui actualis operatio viuentis, quæ est actus secundus, esset nobilior, quam anima. Probatur maior; actus secundus est finis actus primi: ergo est nobilior ipso; nam finis nobilior est, quã ea quæ sunt ad finem. Arist. etiam 1. æticorum cap. 12. inde probat felicitatem, & beatitudinem non esse collocandam in habitu, sed in operatione; quia operatio cum sit actus secundus est nobilior, quam habitus, qui est actus primus.

Respondetur distinguendo maiorem: duplex enim est actus primus. Alter, qui proxime refertur ad actum secundum, vt potentia, & habitus proxime referuntur ad operationem, & in his actus secundus nobilior est actu primo propter rationem in argumento assignatam. Alter est actus primus, qui nõ immediate refertur ad actum secundum; sed mediis facultatibus, & potentiis, & huiusmodi est anima, & quælibet forma substantialis, quę immediate ordinatur ad substantialem rei constitutionem, & in his actus primus nobilior est actu secundo.

Tertium argumentum. Anima semper est in actu secundo, numquam enim cessat operari: ergo potius est actus secundus, quã actus primus. Probatur antecedens; nam anima vegetatiua semper viuificat, & nutrit, & anima sensitiua semper facit sensationẽ.

Respondetur aliis omnibus solutionibus, negando consequentiam; nã licet anima semper sit in actu secundo: Ipsa tamen non est actus secundus, sed primus.

Dices saltim colligitur ex illo antecedenti; nam non esse actum corporis potentiam vitam habentis; sed actu vitam habentis, etiam loquendo de vita accidentaria, quæ est operatio, cum semper sit in actu seu operatione: ergo vltima particula diffinitionis, videlicet potentia vitam habentis, falso ponitur in diffinitione animæ.

Respondetur negando consequentiam; nam quamuis anima numquam cesset ab aliqua operatione, non tamen semper habet omnem operationem, quam potest habere: Ac per cõsequens semper est in potentia ad aliquam operationem.

Quar-

Quartum argumentum. Anima rationalis à corpore separata, veré, & propriè est anima; & tamen non est actus corporis Physici: ergo non est de ratione animæ esse actum corporis Physici. Probatur minor; nam anima rationalis separata à corpore, non actuat, nec viuificat corpus: ergo non est actus corporis Physici.

Respondetur negando minorem; nam quamuis anima separata non viuificet, nec informet corpus in actu exercito, est tamen ipsius informatiua, & hoc sufficit ad rationem animæ; nam quemadmodum non est de ratione accidentis actu inhærere, sed posse inhærere, ita non est de essentia animæ informare actu corpus Physicum, sed posse informare.

Quintum argumentum. Corpus habet, quod sit organicum, ex eo, quod habet animam: ergo male ponitur in diffinitione animæ, quod sit actus corporis organici: Antecedens constat; nam ab ipsa anima causatur diuersitas organorum, quam inanimata non habent.

Respondetur negando consequentiam: Anima enim non ita diffinitur per corpus organicum tanquam per subiectum, quod debeat præsupponi ante informationem actiuam ipsius animæ: sed diffinitur per corpus organicum, quia sua informatione corpus organicum facit, quemadmodum lux diffinitur, qu dsit actus lucidi, non quasi detur lucidum, sine luce, vel ante lucem; sed quia lux corpus lucidum facit.

QVAESTIO II.

Vtrum secunda diffinitio animæ sit optima?

SIt conclusio: Optime diffinitur anima *forma, vel actus, quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*: Hanc diffinitionem adducit Arist. cap. 2 & admittitur ab omnibus Philosophis: Explicanda est autem, sicut præcedens per singulas particulas. Prima est, *actus, vel forma*; quæ ponitur loco generis, & est intelligenda modo explicato in quæstione præcedenti.

Secunda particula est; *quo*, per quã designatur, quod proprium munus animæ, vt actus est, non est esse id quod viuit, mouetur, & intelligit; sed esse id quo viuimus, sentimus, &c. nõ tamen negat hæc particula aliquam animam esse etiam principium, quod, aliquarum operationum vitalium; nã anima rationalis separata à corpore, mouetur, & intelligit, vt quod.

Tertia particula est: *Primo*, per quam excluduntur accidentia, & potentiæ, quæ etiam sunt principia operationum vitalium; v. g: intellectus est principium intelligendi, non tamen sunt principia prima, & radicalia, sed principia secundaria, & immediata, per eandem etiam particulã excluditur cor, quod quidẽ licet sit principiũ vitæ, non tamen primarium, sed secundarium; vita enim primo conuenit animæ, & ratione animæ cordi.

Vl-

Vltima particula est: *Viuimus sentimus, mouemur, & intelligimus*; Quæ quidē verba non sunt vsurpanda coniunctim, & copulatiuè; nam hac ratione solum conueniret hæc diffinitio animæ rationali; nā sola ipsa est principium viuendi, sentiendi, mouendi, & intelligendi copulatiuè; sed sunt vsurpāda diuisiuè, vel, vt dicunt Magister Bañes 1. p. q. 75. art. 1. dubio vltimo, & Caietanus ibidem, sunt verba illa intelligenda explicatiuè, ita vt sit sensus diffinitionis; anima est actus, quo primo operamur vnumquodque opus vitæ, siue sit viuere, siue sentire, &c. & hæc diffinitio sic intellecta omni animæ conuenit; ex explicatione huius diffinitionis omnia argumenta aduersaria facile possunt dissolui.

QVAESTIO III.

Vtrum anima sit indiuisibilis?

OBseruandum est tripliciter dici animam diuisibilem: Primo, in partes essentiales Physicas, videlicet, in materiam, & formam, vel Metaphysicas, videlicet, genus, & differentiam. Secundo modo potest anima dici diuisibilis in partes potentiales, idest, in suas potentias; v. g. anima rationalis in intellectum, memoriam, & voluntatem; Potentiæ enim animę partes animæ appellantur ab Arist. tex. 11. huius libri. Tertio potest dici anima diuisibilis in partes extensionis, seu quantitatiuas eo modo, quo albedo diuisibilis est in partes, ratione quantitatis, ita quod in qualibet parte quantitatis reperiatur albedo. Quæstio præsens non procedit de primo, & secundo genere diuisibilitatis: Certum est enim animam esse diuisibilem in genus, & differentiam, vt constat ex eius diffinitionibus, & similiter esse diuisibilem in suas potentias, vt constat in exemplo adducto de anima rationali. Solum igitur est difficultas de tertio genere diuisibilitatis, quod primo, & per se conuenit quantitati, & ratione quantitatis conuenit subiecto; & ratione subiecti conuenit formis accidentariis, vt albedini, nigredini, &c.

Obseruandum est secundo. Animalia, vt ad præsens attinet instituum esse in duplici differentia. Alia dicuntur imperfecta, & alia perfecta. Imperfecta dicuntur, quæ facta diuisione suarum partium viuunt, huiusmodi sunt lacertæ, vermes, &c. Perfecta animalia vocantur, quæ partes habent; sed separatæ non viuunt, huiusmodi sunt leo, bos, &c. Separato enim cap. à leone, nec caput, nec reliquum corporis viuit.

Prima conclusio. Anima rationalis nulla ratione est diuisibilis in partes extensionis, seu quantitatiuas. Hanc conclusionem habet D. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. & ibidem Magister Bañes. Ratione probatur; anima rationalis est spiritualis, & incorporea: ergo non est diuisibilis in partes quantitatiuas.

Secundo probatur conclusio. Ad diuisionem corporis non diuiditur anima rationalis, abscissa enim manu ab ho-

homine, non remanet ibi anima, & idem de aliis partibus dicendum est: ergo signum est, quod anima rationalis non est diuisibilis.

Secunda conclusio: Animæ animalium perfectorum; v. g. leonis, & equi non sunt diuisibiles, ratione quãtitatis in partes extensas. Probatur conclusio eo modo, quo prouabimus præcedentem; Nam facta diuisione animalis perfecti non remanet anima in qualibet parte; nec quælibet pars viuit; ergo anima animalium perfectorum non est diuisibilis. Confirmatur hæc ratio: ex eo animæ plantarum, & animalium imperfectorum diuisibiles sunt; quia facta diuisione totius, quælibet pars viuit; sed facta diuisione animalium perfectorum, non viuit quælibet pars, vt experientia comprobatur: ergo animæ istorum animalium sunt indiuisibiles.

Tertia conclusio: Animæ plantarum, & animalium imperfectorum, vt lacertarum, & vermium diuisibiles sunt eo modo, quo albedo est diuisibilis per accidens, ratione quantitatis. Probatur; nam diuisione facta adhuc viuunt partes diuisæ: ergo anima totius diuisibilis erat, si quidem facta diuisione diuisa est. Antecedens probatur experientia: Ramus enim ab arbore abcisus non statim moritur, imo potius interdũ exercet actus vitales, & plantatus in terra attrahit humorem, emittit radices, & crescit, partes etiam animalium imperfectorum diuisione facta mouentur à principio sibi intrinseco: ergo viuunt: Verum est tamen, quod nequeunt per multum temporis vitæ munera exercere.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Omnis anima recipitur in corpore extenso: ergo omnis anima est extensa ratione corporis in quo recipitur.

Respondetur negando consequentiam: Nam quamuis aliquibus animabus non repugnet extensio partium alijs tamen repugnat.

Secundum argumentum. Brutorum animæ sunt corporeæ; sed de ratione rei corporeæ est diuisibilitas in partes extensas, & corporeas: ergo animæ brutorum diuisibiles sunt in partes extensas.

Respondetur distinguendo maiorem, dupliciter enim aliqua res corporea dicitur: Primo; quia habet trinam dimensionem, vel potest per trinam dimensionem extendi, & hac ratione dicitur homo substantia corporea: Secundo, dicitur aliquod corporeum; quia est actus corporis, clauditurque, & subditur legibus corporeis, qua ratione albedo appellatur accidens corporeum: Omnis res corporea primo modo diuisibilis est in partes extensas, vel ratione sui, vel ratione quantitatis; res autem diuisibilis secundo modo non est necesse, quod sit diuisibilis in partes extensas. Iam verò animę Brutorum perfectorum sunt res corporeæ secundo modo; nam sunt actus corporis, & ab ipso corpore maximam dependentiam habent, non

autem

autem sunt res corporeæ primo modo: Ac per consequens non est necesse, quod omnis anima sit diuisibilis in partes extensas.

QVAESTIO IV.

Vtrum anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte?

OBseruandum est primo: Quod totum, vt ad præsens attinet institutum, tripliciter dicitur; Aliud enim est totum essentiale, siue Physicum, siue Methaphysicum: Aliud dicitur totum potestatiuum, & huiusmodi est subiectum respectu suarum proprietatum; v. g. anima rationalis respectu memoriæ, intellectus, & voluntatis: Aliud denique est totum extensum, seu quantitatiuum, quod habet partes extensas, & quantitatiuas; vel ratione sui, vt quantitas, vel ratione quantitatis, vt albedo.

Obseruandum est secundo: Latum reperiri discrimen inter animam, & formas rerum inanimatarum, cuiusmodi est forma lapidis; nam anima, cum sit actus corporis Physici organici postulat corpus organicatum, & cæteris dispositionibus, figuriſque dispositum, vt sic variis organis, & instrumentis possint viuentia diuersas operationes vitales exercere: At verò formæ substantiales rerum inanimatarum non postulant in materia, neque in corpore huiusmodi organa, & instrumenta, quia in animata non habent tantas operationes, neque ita diuersas, sicut viuentia: Ex hoc discrimine aliud colligitur, videlicet, quod formæ inanimatæ, non solum respiciunt ipsum totum, sed etiam primo, & per se respiciunt partes totius, vt actuandas ab ipsa forma: At verò formæ rerum viuentium, videlicet animæ, primo, & per se respiciunt totum: ipsas verò partes respiciunt ratione totius, videlicet, vt sunt organa, & instrumenta, quibus totum suas operationes exercet.

Prima conclusio. Si anima consideretur, vt est totum essentiale Metaphysicum; tota anima est in toto corpore, & tota in qualibet parte ipsius. Probatur conclusio; actus est in ea re, cuius est actus, sed anima essentialiter vsurpata est actus totius corporis, & cuiuslibet partis ipsius corporis: ergo anima essentialiter considerata est tota in toto, & tota in qualibet parte.

Secunda conclusio. Si anima consideretur, vt est totum, quoddam potestatiuum, non est tota in toto, & tota in qualibet parte, sed potius iuxta vnã potentiam est in vna parte corporis, & iuxta aliam potentiam est in alia parte corporis. Probatur cõclusio; anima secundum vnam potentiam, tantum est in illa parte corporis, in qua habet organum accomodatũ, ad exercendam operationem talis potentiæ; sed non omnes partes corporis habẽt organa apta ad operationes cuiuscumque potentiæ: ergo anima secundum omnem potentiam non est in qualibet parte corporis. Probatur minor; nam in pede; v. g. non est sufficiens organum ad videndum; neque in manu est organum ad audiendum, &

gustandum: ergo anima non erit in illis partibus, secundum istas facultates, & potentias. Sed potius dicēdum erit animam secundum potentiam visiuam esse in oculis, secundum auditiuam esse in auribus, & secundum fantasiam esse in cerebro.

Tertia conclusio: Anima arborum, plantarum, & animalium imperfectorum, de qua diximus quæstione præcedenti, quod est diuisibilis in partes extensas, & quantitatiuas est tota in toto corpore, & pars in parte, loquendo de totalitate quantitatiua. Probatur conclusio: Nam ista anima extensa est, & diuisibilis per accidēs sicut albedo: ergo sicut albedo loqnendo de totalitate extensionis est tota in toto, & pars in parte, non autem tota in qualibet parte; ita similiter dicendum est de animabus plantarum, & animalium imperfectorum.

Argumenta, quæ contra conclusiones fieri possunt facile dissoluuntur per distinctionem positam in secunda obseruatione; & in conclusionibus. Solet enim obijci, quod si tota anima hominis esset in manu ibi intelligeret, quod constat esse falsum. Hoc autem non obstat; nam licet tota anima hominis sit in qualibet parte totalitate essentiali, non tamen est in qualibet parte totalitate potentiali; alioquin in qualibet parte corporis posset omnes suas operationes exercere.

QVAESTIO V.

Vtrum anima rationalis sit in vnguibus, & in capillis?

OBseruandum est primo, cum Magistro Bañes 1. lib. de generatione, & corruptione q. 8. quod partes hominis, & animalis sunt in duplici differentia. Aliæ sunt, quæ spectāt ad primariam, & substantialem perfectionem totius, & huiusmodi sunt caput, cor, Hepar. Aliæ sunt, quæ non spectant ad primariam, & substantialem perfectionem totius, sed ad secundariam, & ad ornatum, seu pulchritudinem aliarum partium, & huiusmodi sunt capilli, pili & vngues.

Obseruandum est secundo. Animam rationalem, quamuis vna, & indiuisibilis sit, non solum habere in se gradum rationalitatis, sed etiam sentientis, & vegetantis: non autem est necesse, quod huiusmodi gradus essendi, cuilibet parti hominis communicentur, sicut non communicatur cuilibet parti actus videndi, audiendi, vel gustādi. Sed pro diuersitate dispositionum ipsarum partium anima diuersos gradus essendi ipsis communicat. Hinc est, quod anima rationalis non communicat pedi hominis gradum ratiocinandi formaliter, communicat tamen ipsi gradum sentiendi, & vegetandi: Similiter autē quamuis capillis non communicet gradum sentiendi, vel ratiocinandi poterit tamen ipsis communicare gradum essendi, & vegetandi.

Pri-

Prima conclusio. Vngues, capilli, & pilli sunt partes hominis, & animalis. Ita Magister Bañes loco citato, vbi inquit: Hanc opinionem esse cõmunem: Colligitur etiam ex Arist. lib. 3. de historia animalium: Vbi disputans de partibus animalis, etiam agit de pilis, & vnguibus enumerans illa inter veras partes animalis.

Secunda conclusio. Vngues, capilli, & pili in homine informantur anima rationali. Ita D. Tho. in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. & Magister Bañes vbi supra. Ratione probatur; huiusmodi partes viuunt in homine: ergo informantur aliqua anima, nam sola anima est forma rei viuentis; sed in homine non est alia anima præter animam rationalẽ: ergo informantur anima rationali. Minor constat, ex his quæ diximus 1. lib. de generatione vbi probauimus, quod in vno composito substantiali nequit dari nisi vna forma substantialis: Antecedens autem probatur; nam prædictæ partes habent actionem vitalem: ergo viuunt. Probatur antecedens; nam augentur, & nutriuntur, & nõ per extrinsecam appositionem; sed ab intrinseco: ergo habent actionem vitalem; nam augeri ab intrinseco solum potest conuenire viuentibus.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum. Capilli si abscindantur, vel cadantur conseruant eandem formam, idem esse, & eadem accidentia retinent, si quidem eundem colorem, eandemque figurã; sed postquam sunt abcisi, & separati à capite non informantur anima rationali: ergo neque informabantur anima rationali antequam abscinderentur.

Respondetur negando maiorem; nam vt probauimus 1. lib. de generatione nulla accidentia eadem numero, quæ erãt ingenito manent in corrupto, quamuis in quibusdã corruptis maneant accidentia, quæ habent maximam similitudinẽ cum illis, quæ erant in genito, & ita contingit in capillis abcisis: Et quemadmodum manus abcisa est diuersæ speciei à manu vnita corpori; ita capilli abcisi distinguntur specie à capillis existentibus in homine ante eorũ abcisionem.

Secundum argumentum. Mortuo homine non remanet anima rationalis in corpore; sed mortuo homine viuunt capilli: ergo non viuificantur, vel informantur anima rationali. Probatur minor; nam mortuo homine crescunt; & augentur capilli, & multo amplius, quam homine viuo, vt docet ex præfat. Arist. lib. 3. de Historia animalium cap. 11. ergo mortuo homine capilli viuunt.

Respondetur negando minorem: Probationi ideo; quod in mortuo in rei veritate non crescunt capilli, crescunt tamen apparenter, ideo videntur crescere propter depressionem, & attenuationem aliarum partium, & propter extensionem ipsorum capillorum; non autem ex eo, quod illud augmentum proueniat ab intrinseco, sicut causatur in viuentibus, vel dicendum

dimensi, quod hoc augmentum proueniat ab extrinseco propter ex uberantiam humorum, & corruptionis, sicut videmus in augmento lapidis, quod fit ab extrinseco, & per iuxta positionem.

Tertium argumentum. Quod augetur ab intrinseco, & ab anima augetur secundum omnem dimensionē, vt colligitur ex Arist. 1. de generatione cap. 5. & cap. 2. huius libri; sed capilli in homine non augentur nisi secundum longitudinem, quæ est vna dimensio: ergo non augentur ab anima.

Respondetur distinguendo maiorem: Est enim vera de augumento perfecto: Cæterum anima rationalis non extendit suam virtutem ad augmentum ita perfectum in capillis, sicut in alijs partibus, quod quidem prouenit, vel quia capilli sunt partes magis remotæ, & quasi extrinsecæ pertinentes magis ad pulchritudinem hominis, quam ad eius integritatem, vel quia ad debitum ornatum hominis decebat, quod capilli extenderentur in longum; non autem secundum alias dimensiones.

Respondetur secundo: Negando minorem: Capilli enim sine dubio augentur à principio secundum omnem dimensionem, seruata tamen debita proportione, quod quidem experientia comprobatur, videmus siquidem aliquos homines habere capillos subtiliores, alios verò habere capillos multo grossiores alijs.

Quartum argumentum. Anima diffinitur: Actus corporis Physici organici; sed capilli non sunt corpora organica: ergo non informantur aliqua anima. Minor probatur; corpus organicatum est corpus dissimilare; v. g. oculus, non enim quælibet pars oculi est oculus; sed capilli non sunt corpora dissimilaria, sed potius homogenea, & similaria; nam qualibet pars capilli est capillus: ergo capilli non sunt corpora organica.

Respondetur negando consequentiam, ad hoc enim, vt anima dicatur actus corporis organici, non est necesse, quod quælibet pars informata ab anima sit organica, sed sufficit, quod totum ipsum organicum sit. Constat manifeste hæc Doctrina; nā caro est pars hominis, & informatur anima rationali, & tamen non est corpus organicum, sed homogeneum, & similare: Idem dicendum est de sanguine, qui in sententia probabiliori informatur anima rationali, & tamen sanguis non est pars organica. Ita similiter dicendum est de capillis, vt enim aliqua informentur anima, non est necesse, quod sint organica; sed sufficit, quod sint partes corporis organici.

Quintum argumentum. Capilli nō sentiunt: ergo non informantur anima rationali. Probatur consequentia; nam anima rationalis etiam est sensitiua: ergo, quod informatur anima rationali etiam sentit.

Respondetur negando consequentiam; quamuis enim anima rationalis sit sensitiua, non tamen est necesse, quod omnes partes corporis informet prout sensitiua est, formaliter exercendo in qualibet parte operationes.

nes animæ sensitiuæ: Anima igitur rationalis quæ simul vegetatiua, sensitiua, & intellectiua est informat capillos, & in ipsis exercet operationes vitales conuenientes animæ vegetatiuæ, & hinc est, quod capilli nutriuntur, & ab intrinseco augentur.

Sextum argumentum: Capilli, & vngues sunt partes excrementales hominis; sed partes excrementales non informantur anima rationali, vt constat de sudore, & orina: ergo capilli, & vngues non informantur anima rationali.

Respondetur negando minorem: omnes enim partes hominis informãtur anima rationali, supponitur autem falsum in minori; videlicet orinam, & sudorem esse partes hominis, non enim sunt partes excrementales, sed excrementa, quæ tanquam superflua, & corruptiua subiecti extrinsecus mittuntur, & expelluntur, at vero capilli, & vngues sunt partes conseruatiuæ aliarum partium, quemadmodum folia sunt partes conseruatiuæ fructus arboris, & veluti scutula, quibus protegunt fructus ab iniuriis, & inclementiis temporum: Quemadmodum igitur folia informantur anima arborũ, & quandiu sunt in ipsis viuescunt ita capilli, & vngues informantur forma hominis.

QVAESTO VI.

Vtrum in vno viuenti sint plures animæ?

PRima conclusio. Anima non potest esse vna in omnibus viuentibus. Hæc conclusio est contra erroneam quandam sententiam aliquorum dicentium, non solum in vno viuente, vnam esse animam; sed etiam in omnibus viuentibus vnicam tantum animam esse, quæ ratione diuersarum dispositionum in corporibus existentium varia operabatur. Contra istam sententiam, & pro confirmatione conclusionis est prima ratio: Diuersæ materiæ, quantitate seiuncta non possunt informari vna numero forma; sed anima est forma viuentium: ergo plura viuentia non possunt habere vnam numero animam.

Secunda ratio. Si omnium viuentium vna esset anima sequeretur hominem, leonem, & arborem esse eiusdem speciei, & solum differre corporali dispositione; sed hoc est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur.

Tertia ratio: Anima rationalis immediate creatur à Deo: Animæ autem aliorum viuentium educuntur de potentia materiæ: ergo omnium viuentium non est vna tantum anima.

Secunda conclusio: Anima rationalis, & intellectiua non est vna numero in omnibus hominibus, sed potius secundum pluralitatem hominum pluralicantur animæ rationales. Ita vt singulæ sint in singulis. Hæc conclusio

est

est certa fide tenenda; est enim determinata in concilio lateranensi 3. congregato sub Leone decimo. Oppositū docuit Aberroes, qui vnicum intellectum in omnibus hominibus posuit, contraquem errorem scripserunt multi viri docti, & inter hos præsertim D. Tho. 2. contragentes cap. 78. & Beatus Albertus Magnus in libello de vnitate intellectus: Vbi soluit triginta argumenta huius erroris, & totidem proponit pro veritate nostræ conclusionis.

Tertia conclusio: In vno homine tantum est vna anima, & ea est anima rationalis, quæ virtute continet alias, videlicet vegetatiuam, & sensitiuam. Hanc conclusionem docet D. Augustinus, multis in locis, præcipuè verò in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 15. D. Tho. 2. contra gentes cap. 58. & 1. p. q. 76 art. 4. Albertus Magnus libro de origine animæ cap. 4. Arist. etiam tex. 91. libri præcedentis reprehendit Platonem eo quod plures animas in vno posuerit. Ratione probatur; ex duobus entibus per se, non potest fieri vnum per se; sed quælibet forma est ens per se: ergo in vno viuente non potest dari multiplex forma: ergo in homine non datur nisi vnica tantū anima rationalis.

Secundo probatur; vna quæque anima facit animatum: ergo si in homine essent plures animæ, homo esset multiplex viues, seu animatum, quod est absurdum.

Tertio probatur; anima est forma substantialis compositi viuentis, sed in vno composito substantiali non datur nisi vnica forma substantialis, vt in 1. lib. de generatione ostensum est: ergo in vno viuente tantum datur vna anima; & per consequens in homine solum datur vna anima rationalis.

Hæc conclusio, maximè consentanea est Scripturæ Sacræ, Doctrinæ conciliorum, & Sanctorum Patrum. In Sacra enim Scriptura, vbicumque fit mentio de hominis anima, seu per asseritur vna anima in singulari, & non plures: Ezechielis 18. dicitur: *Omnes animæ sunt, sicut anima Patris, ita, & anima filij.* Et Psalmo 21. ait Psalmista: *Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*: Et Psalmo 118. *anima mea in manibus meis semper*: Præterea in Concilio lateranensi sub Innocentio 3. dicitur, *hominem constare ex natura spirituali, & corporali*: & in Concilio viennensi habetur, *verbum Dei vnum assumpsisse partes humanæ naturæ, videlicet animam, & corpus.* In his verbis loquuntur Concilia de anima rationali in singulari. Habent etiam expresse eandem cōclusionem quam plures Sancti Patres, videlicet Augustinus loco citato, D. Tho. 1. p. q. 76. art. 3 & 2. contragentes cap. 58. D. Damascenus lib. 2. Fidei Orthodoxæ cap. 12. D. Gregorius Nyssenus lib. de creatione hominis cap. 15. & Beatus Albertus Magnus lib. de origine animæ tractatu 1. cap. 4. Ex his constat oppositam sententiam, quæ pluralitatem animarum in vno homine admittit valde temerariam esse, vt optime explicat Magister Bañes q. 76. art. 4. dub. 1. concl. 3.

Quæ-

Quarta conclusio. In vno viuente vna tantum est anima. Hæc conclusio probari potest eisdem rationibus, quibus probauimus præcedentem, & probatur vlterius hac alia ratione. Si in vno numero viuente essent plures animæ, vel essent eiusdem speciei, vel diuersæ. Si eiusdem, frustra essent plures, cùm vna sit sufficiens ad actuandum corpus. Si diuersæ speciei: ergo vnum numero viuens esset multiplex secundum speciem, quod est absurdū: ergo in vno viuente vna tantum est anima.

CONTRA SVPERIORA.

¶ Primum argumentum, contra tertiam conclusionem. Appetitus contrarij non possunt esse in eadem anima; sed in homine datur appetitus carnis, & appetitus rationalis, qui interse contrariantur, iuxta illud Pauli ad Galatas 1. *caro concupiscit aduersus spiritum: Spiritus autem aduersus carnem*: ergo in homine datur saltim duplex anima.

Propter istam repugnantiam carnis, & spiritus, quæ in homine inuenitur dixerunt Manichei in homine esse duas animas vnam bonam, & à bono Deo, alteram verò malam à carne progenitam: Hæc tamen sententia est Hæresis contra fidem, vt constat ex 8. sinodo generali actione 10. canone 11.

Respondetur igitur ad argumentum, negando absolute maiorem, quāuis enim anima intellectiua sit vna, attamen propter suam maximam perfectionem diuersas continet potentias in diuersis subiectis partialibus, habetque diuersos appetitus, quorum vnus tendit in bonum sensibile; Alter verò in bonum vniuersale, & inde prouenit contrarietas, quæ inter ipsos appetitus reperitur; sicut igitur Sol propter suam eminentiam vnus existens in diuersis subiectis producit diuersos, & contrarios effectus, incurat enim lutum, & liquefacit ceram; ita similiter anima intellectiua in quātum vtitur diuersis potentijs causat in homine diuersas actiones, & etiam contrarias.

Secundum argumentum. In homine reperitur anima vegetatiua, & intellectiua; sed istæ non sunt vna numero anima: ergo in homine datur plures animæ. Probatur minor, anima vegetatiua est diuisibilis, corruptibilis, & educta de potentia materiæ primæ; intellectiua autem est omnino indiuisibilis, incorruptibilis, non educta de potentia materiæ primæ; sed immediate creata à Deo: ergo eadem anima non potest esse vegetatiua, & intellectiua simul.

Respondetur negando minorem; probationi dico: Quod anima, quæ est vegetatiua tantum, qualis est anima plantæ est diuisibilis, corruptibilis, & educta de potentia materiæ primæ, non autem si sit vegetatiua, & intellectiua simul, cuiusmodi est anima rationalis.

Tertium argumentum. Apostolus Paulus 1. ad Thessalonicenses cap. 5. inquit, *vt integer spiritus vester, & anima, & corpus, in aduentu Domini*

Nos-

Nostri Iesu Christi conseruetur; in quibus verbis Apostolus distinguit spiritum hominis ab anima, & corpore; sed nomine spiritus intelligitur anima rationalis: ergo præter animam rationalem datur alia anima in homine.

Respondetur cum D. Tho. super hunc locum Apostoli, quod eadem anima rationalis vocatur spiritus, & anima; spiritus quidem secundun operationes intellectuales, quæ non exercentur organo corporeo; anima verò dicitur secundum operationes sensitiuas; ita etiam explicant verba Apostoli D. August. lib. de spiritu, & anima cap. 9. & D. Gregorius Miscenus lib. de creatione hominis cap. 8. Alij dicunt, quod nomine animæ designatur anima rationalis, nomine verò spiritus intelligitur Spiritus Sanctus, & eius dona, quæ animæ communicantur. Ita D. Ireneus lib. 5. contra valentinum. D. Chrisostomus humilia 11. super prædictum locum, & alij Doctores.

Quartum argumentum. Actio vegetandi, & sentiendi sunt corporeæ; sed anima rationalis est incorporea: ergo actio vegetandi, & sentiendi nō profluunt ab anima rationali: ergo ab alia anima in homine existente.

Respondetur: Animam rationalem, quamuis sit formaliter spiritualis, & incorporea, esse tamen virtualiter corpoream, & sic potest esse principium vegetandi, & sentiendi.

Quintum argumentum. Anima rationalis separata à corpore non potest vegetare, & sentire, sed solum intelligere: ergo solum est anima intellectiua, non autem vegetatiua, & sensitiua.

Respondetur negando consequentiam; nam ad actionem vegetandi, & sentiendi indiget anima organo corporeo, non autem ad actionem intelligendi, & ob hanc causam anima rationalis separata à corpore potest intelligere: Non autem vegetare, vel sentire.

QVAESTIO VII.

Vtrum anima rationalis contineat animam vegetatiuam, & sensitiuam?

OBseruandum est primo. Quod vna res tripliciter continet aliā, vt ad præsens attinet institutum. Primo formaliter præcisse, qua ratione materia prima continet formam. Secundo, virtualiter, seu eminenter tantum, & non formaliter, qua ratione lux solis continet eminenter omnes effectus inferioris, & hæc continentia eminentiæ, seu virtualis duplex est; alia est continentia causæ efficientis, vt constat in exemplo adducto de Sole; & alia est continentia causæ formalis, qua ratione anima rationalis cōtinet eminenter esse corporeum. Tertio modo dicitur aliquid continere aliud formaliter, & eminenter simul, qua ratione sapientia est in Deo formaliter, & eminenter; formaliter quidem, quia sapientia secundum propriam rationem importat cognitionem per altissimas causas, & hac ratione reperitur in Deo; eminenter autem;

tem; quia sapientia prout est in Deo est perfectior, quam ipsa sapientia secundum rationem analogam considerata, quatenus videlicet est communis ad sapientiam creatam, & Diuinam; nam sapientia in Deo est ipsum esse Diuinum, & est causa efficiens totius sapientiæ creatæ.

Obseruandum est secundo. Inter cõtinentiam virtualem causæ efficientis, & causæ formalis latum reperiri discrimen; nam continentia virtualis causæ efficientis, cum sit causæ operantis debet esse secundum aliquam perfectionem, quæ formaliter sit in ipsa causa, & per quam ipsa causa operetur, quemadmodum Sol eminenter continet calorem in luce, quam habet formaliter: Cõtinentia autem virtualis causæ formalis, cum non sit productio alicuius effectus per actionem non est necesse, quod contineat suos effectus, sub aliqua perfectione, quæ existat formaliter in ipsa causa: Sed solum dicitur continere illos eminenter; quia secundum suam vltimam differentiam tribuit omnes effectus, quos alia forma minus perfecta tribueret, & alios etiam perfectiores.

Prima conclusio. Anima rationalis continet virtualiter, & eminenter animam sensitiuam, & vegetatiuam. Ita D. Tho. 1. p. q 76. art. 3. in corpore; vbi sit dicit: *Anima intellectiua cõtinet in sua virtute quidquid habet anima sensitiua brutorum, & nutritiua plantarum.* Ratione probatur; tunc aliqua forma dicitur aliam continere virtualiter, & eminenter, quando ratione suæ essentiæ, & vltimæ differentiæ potest producere omnes effectus, quos potest producere alia, & adhuc plures, & perfectiores; sed anima rationalis ratione suæ essentiæ, & vltimæ differentiæ potest producere omnes effectus, quos producit anima vegetatiua, & sensitiua, & adhuc præstantiores: ergo anima rationalis continet virtualiter animam vegetatiuam, & sensitiuam. Maior constat, ex secunda obseruatione, & ex eo, quod docent Theologi, secundum mentẽ D. Tho. videlicet habitum sapientiæ esse eminenter intelligentiam, & scientiam, non quia ex his componatur, alioqui non esset simplex qualitas; sed quia facit assentire primis principijs, quod est munus intelligentiæ, & conclusionibus propter principia, quod est munus scientiæ, & adhuc vlterius aliquid aliud præstat, cum causas altissimas contempletur. Minor autem probatur; nam anima rationalis, ratione suæ essentiæ dat esse vegetabile homini, & esse sensitiuum, & est causa potentiarum, & operationum vegetabilium, & sensibilium; & præterea facit intellectuum: ergo vera est minor.

Secunda conclusio: Anima rationalis etiam est formaliter vegetatiua, & sensitiua. Probatur; nam animæ rationali conuenit tota diffinitio animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ: ergo est formaliter vegetatiua, & sensitiua. Probatur antecedens; nam anima vegetatiua est, quæ facit rem vegetabilem; sensitiua verò quæ facit sensitiuam: Hoc autem conuenit animæ rationali respectu corporis humani.

Secundo probatur conclusio. Proprietates alicuius rei non possunt inueniri absque essentia talis rei; sed in homine formaliter sunt proprietates animæ vegetatiuæ, & sensitiua reperitur formaliter in homine, & cum in ipso non dentur plures animæ, vt in quæstione præcedenti ostensum est, dicendum erit animam rationalem esse formaliter vegetatiuam, & sensitiuam, quæ diximus in his duabus cõclusionibus de anima rationali in ordine ad vegetatiuam, & sensitiuam; dicenda etiam sunt de anima sensitiua in ordine ad vegetatiuam.

QVAESTIO VLTIMA.

In qua aliquæ difficultates explicantur.

PRæterea, quæ de anima hactenus dicta sunt, quædam sunt propositiones, communi consensu apud catolicos receptæ, circa naturam animæ rationalis.

Sit igitur prima conclusio: Anima rationalis secundum se, & secundum suam substantiam est forma corporis, materiam informans, & vna cum ipsa, vnum per se efficiens. Hæc conclusio: Proponitur in Cõcilio laterane si sectione 8. tanquam de fide. Oppositum huius conclusionis, tenuit Plato, vt refert Arist. tex. 11. huius libri, existimauit siquidem animam assistere corpori, non sicut formam in materia, sed sicut nautam in naui. Nostra tamen conclusio probari potest ex diffinitione formæ: Forma enim est, quæ dat esse intimè rei, sed anima rationalis dat esse intimè homini; ergo anima rationalis est forma Physica hominis.

Secunda conclusio: Anima rationalis à solo Deo creata est. Constat hæc conclusio ex his, quæ diximus supra libro 1. Physicorum disputatione de forma: Vbi probauimus animam rationalem non educi de potentia materiæ, virtute alicuius agentis naturalis, sed immediate fieri à Deo. Est autem hæc conclusio contra Tertullianũ, qui vt refert D. August. existimauit animam vnius hominis produci ab anima alterius, v. g. animam filij ab anima Petri: Hanc opinionem Tertulliani vocat errorem D. Tho. 2. contra gentes cap. 86. est etiam hæc conclusio aduersus illos, qui dixerunt animas fuisse factas ab Angelis.

Tertia conclusio: Anima rationalis non est corpus, neque est corporibus composita, sed spiritus. Hæc est contra Platonem, qui vt refert Arist. libro præcedenti tex. 45. asseruit: Animam ex elementis esse compositam: Præsens tamen conclusio habetur expresse in Scriptura Sacra: Dicitur enim Lucæ 23. *in manus tuas commendo spiritum meum*: Et ad Galatas 5. *caro concupiscit aduersus spiritum*, id est, *corpus aduersus animam*.

Quarta conclusio: Anima non fuit creata ante corpus; sed simul creatur à Deo, & corpori infunditur, & quãuis non fiat ex corpore, fit tamen in corpore. Contra illam conclusionem fuit error Originis, qui existimauit animas fuisse creatas ante corpora:

Hic

Hic autem error damnatus est à Leone primo.

Quinta conclusio: Anima rationalis non corrumpitur corrupto corpore, sed manet potius in æternum dura tura. Ad probationem huius cõclusionis ad sunt plura loca Scripturæ Sacræ: dicitur enim Mathei 22 *nolite timere eos, qui occidunt corpus: Animum autem occidere non possunt*; & Sapientiæ cap. 2. dicitur: *Iustorum animæ in manu Dei sunt vis si sunt oculis insipiẽtium mori, illi autem sunt in pace.*

Sexta conclusio: Animæ rationales à corpore separatæ, non migrant de vno in aliud, ideſt de vno corpore in aliud corpus. Ita habet D. Athanasius lib. 6. de beatitudine Filii Dei; vbi docet conclusionem istam ita esse certam, vt eius contrarium sit contra fidem; oppositum huius conclusionis tenuit Pithagoras, & eius discipuli.

CAPVT TERTIVM.

De potentijs animæ.

A B isto capite, ad finem vsque libri agit Arist. de potentijs animæ, tam in communi, quam in particulari explicans genera animatorum, & potentiarum, quod & nos præstabimus in reliquo libri proponentes, quasi simplici narratione per varias quæstiones textum Arist. & eiusdem textus glosam, & interpretationem; hic autem statim in initio summam totius textus proponemus.

Tres igitur sunt, ut dixime, videlicet vegetatiua, sensitiua, & intellectiua: Quatuor sunt genera viuentium, vegetatiuum, sensitiuum, motiuum secundum locum motu progressiuo, & intellectiuum. Primi generis sunt arbores, & plantæ. Secundi generis, conchilia, spongia, & alia similia animantia, quæ habent vitam, & sensum, non tamen mouẽtur motu progressiuo. Tertij generis sunt, leones, equi, &c. quarti denique generis, sunt homines.

Quinque sunt genera potentiarum; videlicet potentia vegetatiua, sensitiua, motiua secundum locum, appetitiua, & intellectiua: Potentia vegetatiua, subdiuiditur in nutritiuam, augmentatiuam & generatiuam: Nutritiua habet quatuor vires sibi deseruientes, videlicet attractiuam cibi, retentiuam, digestiuam, & expulsiuam: Augmentatiua non habet aliquam sibi deseruientem ab enumeratis diuersam: Potentia generatiua habet tres potentias sibi deseruientes, videlicet seminatiuam, immutatiuam, & formatiuam. Potentia sensitiua est duplex, alia interna, & alia externa. Potentia sensitiua interna subdiuiditur in quatuor potentias, videlicet in sensum communem, phantasiam, cogitatiuam, & me-

mo-

moriam. Potentia sensitiua externa subdiuiditur in quinque sensus, videlicet visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum. Potentia motiua secundum locum duplex est, videlicet progressiua, & dilatatiua, vel constrictiua.

Potentia appetitiua similiter duplex est: Alia est potentia appetitiua intellectiua, seu rationalis, quę nihil aliud est, quam ipsa voluntas, seu liberum arbitrium; & alia est appetitiua sensitiua, quę subdiuiditur in concupiscibilem, & irascibilem.

Tandem potentia intellectiua, seu intellectus, quod idem est diuiditur in agentem, & patibilem. De potentia sensitiua, & intellectiua, aliqua diximus in Logica disputatione de ente rationis, dum de facultatibus cognoscendi egerimus.

QVÆSTIO PRIMA.

De anima vegetatiua.

ANima vegetatiua, via generationis primum tenet locum inter omnes animas, vltimum verò via perfectionis, cum sit minus perfecta, quam aliæ animæ: Anima enim sensitiua dicit totam perfectionem animæ vegetatiuæ, cum sit formaliter vegetatiua, & addit perfectionem sensitiuæ, & à fortiori id habet verum de anima rationali. Animę vegetatiuę, vt dictum est, tres sunt potentię, nimirum potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua; quarum potentiarum obiecta, seu materia circa quā est alimentum, vel cibus; v. g. panis, qui quidem tripliciter vsurpari potest, & secundum hanc triplicem vsurpationem, triplici potentię deseruit: Primo siquidem potest summi panis; v. g. quatenus est in potentia, vt per decoctionem caloris naturalis in stomaco conuertatur in substantiam cōmedentis, per quam conuersionem comedens conseruatur in esse viuentis.

Secundo summitur panis, quatenus est corpus quantum, eiusque materia postulat quantitatem, & hac ratione est materia circa quam potentię augmentatiuę.

Tertio potest vsurpari panis, quatenus est superfluum quid, & superabundans rei animatę post nutritionem; v. g. si Petrus comedat duos panes, isti duo panes decocti, & digesti dicuntur esse actu alimentum ipsius Petri, nam ante decoctionem solum erant alimentum in potentia: Anima igitur vegetatiua conuertit partem huius alimenti in substantiam Petri, & per potentiam augmentatiuam addit partem quantitatis panis quantitati

titati ipsius Petri, & sic fit maior: Si verò aliquid superest alimenti natura conseruat talem substantiam superabundantem nutrimento in vasis seminalibus, vt per hanc substantiam conuersam in semen possit Petrus sibi similem generare: Hinc est, quod semen dicitur esse superfluum alimenti, vt docet D. Tho. 1. part. q. vlt. art. vlt.

Anima igitur vegetatiua est forma substantialis viuentis à qua huiusmodi potentiæ originantur, & profluunt, & est causa principalis actuum istarum potentiarum de quibus, actibus, statim dicturi sumus.

QVAESTIO II.

De actibus potentiarum animæ vegetatiuæ.

ACtus, & officium potentiæ nutritiuæ est nutritio, quæ ita diffinitur: *Conuersio alimenti in substantiam aliti*: Actus potentiæ generatiuæ est generatio, quæ iam diffinita est supra 1. lib. de ortu, & interitu; actus potentiæ augmentatiuæ est *augmentum quod nihil aliud est, quam motus à minori quantitate ad maiorem quantitatem.*

Potentia nutritiua data est viuenti, vt mediante ipsa conseruetur in esse viuentis; substantia enim viuentis resoluitur, & consummitur a calore naturali viuentis, sicut resoluitur oleum a lumine lampadis, & idcirco ne totalis substantia resoluatur, data est viuenti potentia nutritiua, quæ se habet veluti applicans, & subministrans oleum lampadi, & quemadmodum lumen lampadis extinguitur per totalem resolutionem olei, nisi oleum de nouo addatur. Ita similiter extinguitur lumen vitæ per resolutionem substantiæ aliti, nisi per nutritionem addatur noua pars substantiæ.

Potentia generatiua data est viuenti, vt species ipsius perpetuetur, cum enim omne individuum rei viuentis corporeæ corruptibile sit, proculdubio si per generationem aliud sibi simile in specie non produceret omnino deficeret species; vt igitur species conseruetur data est individuis potentia generandi sibi simile.

Potentia augmentatiua data est viuentibus, vt per ipsam ad debitam quantitatem, & ad debitum augmentum perueniant: Ex his constat ad quid sint tributæ huiusmodi potentiæ viuentibus.

Potentiæ nutritiuæ quatuor sunt virtutes, vt diximus: Prima est attractiua, cuius officium est attrahere nutrimentum ad stomachum, vel ad partem viuentis, quæ stomachi vices gerit, vt sunt radices in arbore, in homine autem ista attractio fit mediis dentibus, lingua &c. Secunda, appellatur retentiua, cuius officium est retinere cibum in stomacho quandiu decoquitur, & quando hæc virtus debilitatur in homine patitur vomitum, vt constat indigesto, & ingraviter infirmante. Tertia, vocatur digestiua, cuius officium est digerere, & decoquere nutrimentum, quod est in stomacho. Quarta denique, dicitur expulsiua, cuius

ius munus est expellere partes crassas, & superfluas ipsius nutrimenti, nullus etenim cibus est, in quo non sit aliqua pars, quę nequit conuerti in substantiam aliti, & hæc est, quę expellitur per hanc potentiam.

Potentię generatiuę tres sunt virtutes sibi deseruientes. Prima, dicitur seminatiua, cuius officium est emittere semen reseruatum in vasis seminalibus. Secunda, dicitur immutatiua, cuius officiū est permiscere semen Masculi, & Feminę, & contęperare prout expedit generationi, & formationi ipsius fœtus. Tertia, est formatiua, cuius officium est, ex seminibus permixtis formare membra, & partes integrantes rei genitę.

Potentia augmentatiua, non habet speciales virtutes sibi deseruientes, cum enim semper sit coniuncta, cum potentia nutritiua, & augmentatio nutritionem consequatur, hinc fit, quod virtutes, quę deseruiunt potentię nutritiuę etiam augmentatiuę deseruiunt.

Actus istarum potentiarum tanquam a causa principali procedunt ab anima vegetatiua: Anima enim est principium actiuum, & radicale operandi: a calore autem naturali, & ab aliis qualitatibus procedunt tanquam a principijs instrumentalibus: Consulenda sunt, quę diximus supra lib. 2. Physicor. disp. de causis: Vbi explicuimus, qua ratione concurrant accidentia, ad productionem substantiæ.

QVAESTIO III.

De obiecto, & actu potentiæ sensitiuæ.

QVia potentia per actus, & actus per obiecta cognoscuntur, id circo disputaturi in sequentibus de potentia sēsitiua, agimus in prędicti de eius obiecto, & actu. Triplex igitur solet assignari obiectum sensibile: Primum, dicitur sensibile proprium: Secundum appellatur sensibile commune: Tertium tandem, sensibile per accidens. Sensibile proprium dicitur illud obiectum, quod solum attingitur ab vno sensu, vt sonus est obiectū proprium auditus; sensibile commune est illud obiectum, quod a pluribus sensibus externis potest percipi. Ab aliquibus perspectiuis, viginti sensibilia communia assignari solent: Ab Arist. autem quinario numero comprehenduntur: Sunt enim quies, motus, figura, numerus, & magnitudo; nam motus, verbi gratia, potest videri, & audiri.

Sensibile per accidens illud dicitur, quod ratione sui non potest sentiri, bene tamen ratione alterius: v. g. cithara per se, & ratione sui nō est audibilis, auditur tamen ratione soni: Similiter substantia per se, & ratione sui insensibilis est, ratione tamen qualitatum, & accidentium percipitur sensu.

Actus potentiæ sensitiuæ appellatur sensatio, seu sentire: circa quem actum

actum sunt duæ difficultates breuiter expediendæ.

Prima est, à quo producatur effectiue ipsa sensatio, seu actus sentiendi? Quidam enim existimant, quod ab obiecto. Alij verò à potentia. Alij tandem mediam viam tenentes affirmant: Quod neque ab obiecto solum, neque à potentia sola, sed ab ipsa potentia sensitiua, vt informata obiecto mediante specie sensibili producitur effectiue sensatio; & huic sententiæ tanquam probabiliori ad hæremus; nam potentia sola, non est sufficienter determinata ad actum sentiendi, sed tantum est in potentia remota ad ipsum: Similiter obiectum solum non sufficit ad actualem sensationem: ergo vtrumque requiritur.

Secunda difficultas est. In quo differant sentire, & intelligere?

Respondetur differre: Primo; quia omne sentire fit medio aliquo organo corporeo; v. g. actualis visio fit per pupillam: At verò intelligere nõ fit medio organo corporeo, nam quãuis intellectus sit in ipso corpore, non tamen est alicui organo corporeo innixus. Differunt secundo ex parte medij; nam medium sensationis per quod species sensibilis defertur ad potentiã est medium corporeum, intellectionis autem nequaquam.

QVAESTIO IV.

De potentijs sensitiuis externis in particulari, & in primis de potentia visiua.

POtentia visiua, via perfectionis, & dignitatis prior est omnibus potentijs sensitiuis, vnde de ipsa primo loco agendum est. Aliquas difficultates, circa eius naturam, sub breuibus explicantes.

Prima igitur difficultas est: Quod nam sit obiectum potentiæ visiuæ?

Huic difficultati respondet Iabellus cap. 2. huius libri dicens: coloratum non esse obiectum adæquatum potentiæ visiuæ, sed tantum esse obiectum præcipuum: Obiectum verò adæquatum visus asserit esse visibile. Probat hanc sententiam, ex hoc, quod multa videntur, quæ colorata non sunt, videlicet, aqua, Cœlum, & Stellæ, quæ cum sint corpora Diaphana, & transparentia colorem non habent.

Cœterum hæc sententia Iabelli non placet, cum enim dicit visibile esse obiectum adæquatum visus, nimis secure loqui videtur; nam visibile idem est, quod obiectũ visus, vnde eadem prorsus difficultas est, quod nam obiectum dicatur visibile, & quod nã sit obiectum visus. Præterea secundum sententiam Iabelli possemus etiam dicere obiectum intellectus esse

ens intelligibile, obiectum appetitus esse ens appetibile, & obiectum Logicæ esse ens Logicabile, sicque omnium habituum, & potentiarum obiecta facilimo negotio possent assignari.

Aliter ergo propositæ difficultati occurrendum erit. Supponendo, quod duplex est obiectum alicuius potentiæ: Aliud dicitur obiectum, quod, seu ratio quæ: Et aliud obiectum quo, seu ratio sub qua, quam quidem diuisionem abūde satis explicuimus in Logicæ præmialibus: Quo posito.

Respondetur igitur quæstioni: Quod obiectum adæquatum visus est coloratum, vt stat sub luce, ex quo constat coloratum esse obiectū quod, seu rationem quæ: Lumen verō, seu lucem esse rationem sub qua. Duplex autem est lux: Alia, quæ se tenet ex parte obiecti, cuiusmodi est lux deriuata à Sole, qua mediante colorata redduntur lucida: Alia verò est lux tenens se ex parte potentiæ, quæ residet in pupilla oculi.

Ad argumentum aduersariū, quod proponit Tabellus. Respondetur aquam, Cœlum, & Stellas, quamuis non sint colorata colore reali: Sunt tamen colorata colore intentionali, & apparenti. Hinc est, quod Cœlum appareat cerulei coloris, Luna, & Stellæ coloris albi, & Sol coloris aurei, quod autem lucidum, vt sic, non sit visibile, nisi aliquo modo induat rationem colorati, satis intentionalis, manifeste constat in aere: Aer enim lucidus est, cum sit corpus Diaphanum recipiens lucem Solis, quæ medio aere communicatur his inferioribus, & tamen aer non percipitur visu.

Secunda difficultas est: Quod nam sit medium quo mediante fit visio?

Respondetur ad visionem triplex medium requiri. Primo enim, requiritur similitudo rei visæ, quæ quidem similitudo causatur à corpore colorato constituto in debita distantia: Ita vt non sit maximè approximatum potentiæ visiuæ (Si enim aliquis ponat coloratum supra oculos non poterit ipsum percipere) Neque etiam si sit maximê distans, & hæc similitudo est species sensibilis recepta in potentia visiua.

Secundum medium est, corpus Diaphanum, per quod defertur species, & transit ab obiecto in potentiam: Obiectum enim imprimit speciem potentiæ, corpus autem Diaphanum sic diffinitur: *Corpus tranparens non coloratum secundum se*: Vt aqua, aer, Christallum, vitreum, &c. Quod autem huiusmodi corpus Diaphanum non debeat esse coloratum secundum se, aliquo determinato colore constat; nam alioquin si esset coloratum non esset medium accomodatum ad videndos alios colores: Omnia si quidem illius coloris apparerent, & hinc est, quod si per vitreum coloratum, colore rubeo, aliqua albá, vel nigra intueamur, rubea apparent.

Tertium medium, est lux, qua corpus Diaphanum, quod mediat inter obiectum, & potentiam, redditur dispositum ad deferendam speciem visibilem vsque ad potentiam: si enim aer medius lucidus non fuerit res colorata videri non poterit.

Ter-

Tertia difficultas est. Quod nam sit organum visus?

Respondetur secundum Albertum Magnũ: Quod inhuiusmodi organũ sunt duo nerui egredientes â parte anteriori cerebri, & per hos neruos defertur species sensibilis rei visæ ab oculis in sensum communem: In extremitate autem horum neruorum sunt duo oculi. Oculorum verò substantia ex tribus componitur. Primo, ex humore quoddam Christallino quasi cõgelato: Secundo, ponitur humor quidam rubeus, qui est terminans, & fouens ipsum Christallinum, & ex mixtione horum humorum resultat pupilla: Tertio, ponuntur plures tunicæ intra se continentes hos humores, ponitur etiam aliquis humor niger, vel viridis, & secundum per mixtionem horum humorum. Alia pupilla est nigra: Alia cerulea, &c. Dedit insuper natura oculis palpebras, vt defendant oculos ab exterioribus nocumentis: Dedit etiam supersilia, vt magis congregentur species sensibiles rei visæ in pupilla oculi.

Organus igitur visus continet omnia ista, duos neruos, duos oculos, duas pupillas, duas palpebras, & duo supersilia.

Ex dictis in hac quæstione facile colligitur diffinitio potentiæ visiuæ: Quæ est huiusmodi: Visus, *est potentia per se terminata ad colorem lucidũ medijs organis corporeis.*

QVAESTIO V.

De potentia auditiua.

PRima difficultas circa potentiam auditiuam est: Vtrum sonus sit eius obiectum?

Respondetur affirmatiue: Sic autem diffinitur sonus: *Ictus duorum corporum solidorum.* Ad sonum requiruntur tria: Primo, corpus percutiens: Secundo, corpus percussum. Et tertio, medium in quo fiat percussio ista. Corpora interquę fit percussio debent esse solida, alioquin sonum non efficient, debetque percussio aliqua vi fieri; nam si corpora paulatim, & pedetentim se tangant non causabitur sonus. Requiritur itaque ad sonum motus localis corporis percutientis, non tamen sonus est ipse motus localis, sed potius est qualitas quædam ex ipso motu locali resultans, & ab ipso causata.

Subiectum soni, non est corpus percutiens, vel percussum, sed aer in quo ista qualitas subiectatur: Hinc est, quod licet in instanti percussionis corporum solidorum annihilaret Deus ipsa corpora percussa, adhuc in aere remaneret sonus, durat enim per aliquod breue spatium. Ex hoc etiam constat sonum non esse motum localem, cum transacto motu adhuc perseueret sonus.

Inter species soni connumerantur duę, videlicet vox, & equo, vox diffinitur: *Sonus ab ore animalis prolatus, &c.* Quam quidem diffinitio-

nem, & vocis diuisiones adduximus, & explicuimus 3. lib. Compendii cap. 5. vt vox sit articulata, requiruntur certa quædam instrumenta, videlicet, guttur, lingua, palatum, & dentes, & præter ista requiritur pulmo, qui datus est animali, modo attrahat aerem, & eundem reddat, suaqu continua eleuatione, & compressione calore cordis lenitur: Pulmo igitur requiritur ad formationem vocis, & hinc est, quod pisces, qui pulmonem non habẽt vocem emittere nequeunt: Echo, *est resonantia, & reflexio vocis, ex reuerueratione aeris replicantis*; vt si quis ad orificium putei vocem emittit eandem deinde resona resentit: requiritur ergo ad hoc, vt formetur echo, vt detur reflexio ipsius vocis, vel soni, & quod hęc reflexio sit vehemens propter dispositionem certam corporis, aquo reflectitur vox, & hinc est, quod echo magis apparet in vna parte, quam in alia, & frequentius reperitur in conuallibus apud ouidium 3. lib. Methamorf. sios his versiculis reperitur.

Plancendunt dryades, plangentibus assonat echo.

Secunda difficultas est: Quod nam sit medium, per quod fit auditio?

Respondetur. Hoc medium esse corpus illud, per quod potest deferri sonus ad aures, & huiusmodi corpus principaliter, & frequentius, in quo est sonus per aliquam morulam breuem: Dixi *principaliter*, quia etiã potest fieri auditio mediante aqua.

Tertia difficultas est: Quod nam sit organum auditus?

Respondetur cum Arist. quod huiusmodi organum duo continet, videlicet pelliculam quandam in parte interiori auris, quę quidem fixa est nerue egrediente à cerebro, vt per neruum deferatur species soni ad sensum communem, vt dictum est de specie visus. In hac pelicula est aer sicut in pelliculis oculi est inclusus humor aqueus, & Christalinus oculorum, ex se nullum colorem habet, cum sit corpus Diaphanum; ita similiter aer ille pelliculę auditus, nullum habet sonum. Organum igitur auditus est ista pelicula cum isto aere, & si hęc pellicula lędatur, vel aer corrumpitur destruitur potentia auditiua, & remanet animal surdum; quemadmodum aliquis redditur cecus, si tunicę oculorũ, vel humor ledantur; & quemadmodum natura prouida dedit oculis palpebras, & supersilia ad ipsorum defensionem; ita pariter fecit autem tortuosum, vt ab exterioribus corrumpentibus defendatur.

Ex dictis in hac qręstione, sic poterit diffiniri potentia auditiua: *Potentia perceptiua soni existens in nernis molibus, procedentibus à cerebro ad concoauitatem aurium.*

QVAESTO VI.

De potentia odoratiua.

PRima difficultas est: Quod nam sit obiectum odoratus?

Respondetur obiectum huius potentię esse odorem, ab obiecto enim hęc potentia odoratiua appellatur, odor au-

autem non est qualitas prima, sed secunda ex mixtione primarum resultans, generatur enim odor ex sicco aereo, vt ex humido aqueo medio calore decoquente: requiruntur itaque tria ad productionem odoris, videlicet humidum in corporatum, & inbibitum alicui sicco, quemadmodum aqua inbibitur cineri: requiritur etiã calor decoquens huiusmodi mixtionem, humidi, & sicci, ita vt prævaleat siccitas ad differentiam saporis, qui ex eisdem qualitatibus resultat, ita tamen, quod prævaleat siccum propter defectum illorum, ignis qui non est odorabilis, & similiter terra propter defectum humiditatis, quæ vero habent humidum, & siccum odorabilia; & hinc est, quod aqua maris habent aliquem odorem, quia in ipsa siccum terrestre admiscetur humido aqueo, ex qua mixtione resultat salcedo maris, vt in libris Metheororum dictum est, lapides autem quia habent propter sui duritiem siccitatem sine humido carent odore. Quod autem requiratur calor decoquens humidum sicco incorporatum experientia comprobatur, in hyeme enim propter frigiditatem minuitur odor, & res minus emittunt odorem eo tẽpore, at verò in æstate quando viget calor facilius sentiuntur odores.

Ex his, hæc potest colligi diffinitio odoris: *Qualitas secunda principaliter in sicco subtiliter in humedo, consistens calore à temperante, & decoquente.*

Plures sunt odoris differentiæ sicut, & saporis, quemadmodum enim datur sapor dulcis, & amarus, qui sunt veluti extremi sapores intra quos, quã plures alij mediant. Ita etiam datur odor suauis, seu dulcis, & odor amarus, seu fœtidus, qui sunt veluti odores extremi inter quos mediant alij odores quasi mixti.

Secunda difficultas est: Quodnam sit medium per quod species sensibilis odoris defertur ad potentiam.

Respondetur: huiusmodi medium esse duplex, videlicet aerem, & aquã. Media aqua percipiunt odores animalia aquatiua, videlicet pisces: per aerem autem percipiunt odorem homines, & alia animalia terrestria, & volatilia, & hæc perceptio odoris fit per attractionem aeris media respiratione, vnde quãdo homo retinet aerem, & non respirat, non percipit odorem, & similiter non percipit odorem, quãdo emittit aerem.

Sciendum est tamen, quod licet aliqua odorifera debeant converti in fumum, & vaporem, vt videre licet in thure, at verò odor nõ est ipse fumus, & vapor; sed qualitas quædam in ipso fumo existens. Ex ipsa autem experientia thuris colligitur verum esse, quod diximus difficultate præcedenti, videlicet calorem resoluentem humiditatem necessarium esse ad odorem, & hinc est, quod in igne causante calorem, odorem emittit thus, & alia corpora odorifera, non autem si proijciantur in aquam, vel niuem.

Tertia difficultas est. Quodnam sit organum odoratus?

Respondetur. Quod licet odoratus sit sensus eiusdem speciei in omnibus ani-

animalibus, non tamen in omnibus habet idem organum; in animalibus enim respirantibus, cuiusmodi sunt homines, aues, & animalia terrestria organum odoratus tria habet. Primo enim continet duos neruos egredientes ab anteriori parte cerebri, & descendentes ad nares, vt per illos neruos species odoris deferatur ad cerebrum, & ad sensum communem. Secundo, continet duas carunculas spongiosas, quæ propter similitudinem, quam habent cum capitibus mamillarum appellantur mamillares. Tertio, continet huiusmodi organum duas pelliculas cooperientes prædictas carunculas, sicut palpebræ cooperiunt oculos, & quemadmodum homo non videt, nisi palpebræ apperiantur. Ita animalia respirantia, vt homo, & leones, nō percipiunt odores, nisi apperiantur huiusmodi Pelliculæ, quibus apertis subintrat aer odoriferus, & recipitur in organo odoratus. In animalibus autem, non respirātibus cuiusmodi sunt pisces, non requiruntur pelliculæ, & id circo habent organum odoratus discoopertum, & semper percipiunt odores sine respiratione, quemadmodū animalia habentia oculos sine palpebris, cuiusmodi sunt locustæ quæ vident sine apertione palpebrarum.

Sed inuestigabit aliquis. An nares sint necessariæ in anteriori parte ad odorandum?

Respondetur: Quod non sunt necessariæ, abcisis enim naribus potest homo odores percipere. Dātur autem nares ad melius percipiendos odores, & ad pulchritudinem, & decorem faciei: Quemadmodum itaque ad audiendum non sunt necessariæ simpliciter auriculæ, ipsis enim abcisis adhuc homines audiunt; ita similiter ad odorandum non sunt simpliciter necessariæ nares exterioribus.

Ex dictis in hac quæstione colligitur hæc diffinitio potentiæ odoratiuæ: *Facultas exterior animæ sensitiuæ per se terminata ad odorem.*

QVAESTIO VII.

De sensu gustus.

PRima difficultas est. Quod nam sit obiectum huius potentiæ.

Respondetur: Esse saporem: Sapor autem non est prima qualitas, sed secunda, ex mixtione, & temperamento primarum resultans, potestque sic diffiniri: *Qualitas secunda resultans, ex humido aqueo, & sicco terrestri calore decoquente humidum sensus gustus immutatiua*; sapor, & odor quoddammodo conueniunt in mixtione qualitatum; resultant enim ex humido, & sicco: Differunt autem, quia in odore viget siccitas aeris, vt in quæstione præcedenti ostensum est. In sapore vero viget humiditas aquæ. Hinc est, quod nunquam percipitur sapor in gutto, nisi sapida humectentur per saliuam, quæ est in ore, & lingua.

Saporis variæ sunt species secundum diuersam mixtionem harum qualitatum. Duæ sunt veluti extremæ, ideſt maximè repugnantes, videlicet dulcedo, & amaritudo, quemad-

modum

modũ in coloribus albedo, & nigredo : Alij sapores sunt medij, & aliquid ab vtroque extremo participãt; sapor dulcis causatur quando calor perfecte digerit humidum aqueum non consumendo ipsum, & hinc est, quod vua à calore maturata dulcior est : Si autem calor â Deo de coquit humidum aqueum, vt ipsum omnino consumat, tunc causatur sapor amarus, & sic secundum differentiam humiditatis, & siccitatis diuersi generantur sapores.

Secunda difficultas est. Quod nam sit medium, quo sapor communicatur gustui?

Respondetur, huiusmodi medium non esse extraneum, sicut in alijs tribus sensibus explicatis, sed esse internum; nam si sapor non vnitur realiter gustanti, non percipitur gustus : vnde medium in gustu est aliquid intrinsecum gustanti, idest aliqua pars gustãtis, hæc autem pars non est os, sunt enim ossa duræ qualitatis, similiter non est nervus, nam nerui sunt organum huius potentiæ, vt statim dicemus : medium igitur, quo gustamus est caro existens in lingua, vsque ad eius radicem, quam ob causam, natura prouida fecit linguam poroſam, humidam, & insipidam : Poroſam quidem, vt per poros species saporis percipiat, & transeat per poros ad organum gustus: Humidam vero, vt humectet cibos siccos : Insipidam denique, vt per ipsam sapores percipiamus; nam si lingua aliquem saporem haberet omnia viderentur, & gustarẽt illius saporis: quemadmodum si medium per quod fit visio est vitreũ viride, omnia quæ videntur virida apparent: Hinc est, quod febricitanti, qui in lingua habet saporem amarũ omnia amara videntur.

Tertia difficultas est: Quod nam sit organum huius sensus?

Respondetur cum Iabello, & Beato Alberto Magno : Organum gustus principaliter consistere in duobus neruis, qui sunt in media lingua, & quasi per ramos sparguntur in extremitatibus linguæ, & per huiusmodi ramos veniunt sapores ad neruos, per neruos autem ad sensum communem.

Ex dictis in hac quæstione colligitur diffinitio gustus : *Facultas exterior animæ sensitiuæ in lingua residens, & per se ad sapores terminata.*

QVAESTIO VLTIMA.

De sensu tactus.

PRima difficultas est : Quod nam sit obiectum huius potentiæ?

Respondetur : Quod obiectum; quod principaliter percipitur â tactu sunt quatuor primæ qualitates elementorum, videlicet frigiditas, caliditas, humiditas, & siccitas : Vnde si manus applicarentur corpori nõ habenti aliquam ex his qualitatibus nõ sentiret, vt si manus applicaretur Cœlo: Dixi, principaliter; nam minus principaliter, & quasi secundario, etiã percipiuntur tactu aliæ qualitates, vt durum, molle, asperum, &c. Quemadmodum gustus principaliter percipit

pit dulcedinem, & amaritudinem, secundario autem percipit sapores.

Secunda difficultas est: Quod nam sit medium per quod fit tactus?

Respondetur esse duplex: Aliud intrinsecum, & aliud extrinsecum: Intrinsecum est caro præcipuè illa, quæ est in palma manus, & in planta pedis, quamuis tota caro ipsius hominis sit medium huius potentiæ, ad differentiam sensus gustus, cuius medium est sola caro ipsius linguæ. Medium extrinsecum, & per accidens est aqua, vel aer, vel alia res externa, qua mediante percipimus frigiditatem, vel caliditatem alicuius rei, qua ratione medio aere percipimus calorem ignis, & medio vase, vel ampulla percipimus frigiditatem aquæ.

Tertia difficultas est, Quodnam sit organum tactus? Aliqui v. iunt, organum tactus esse carnem. Cæterum non placet hic modus dicendi; nam idem non potest esse respectu eiusdem potentiæ medium, & organū, sed caro, vt diximus difficultate præcedenti est medium intrinsecum tactus: ergo non est organum ipsius. Præterea sensibile positum supra sensum non facit sensationem; v. g. si coloratum ponatur supra visum non videtur; sed posita qualitate tangibili supra carnem percipitur tactu: ergo caro nō est organum, & sensus tactus. Probatur minor; nam si immediatè supra manum apponas niuem statim senties niuis frigiditatem. Si apponas carbonem ignitum statim percipies calorem: ergo vera est minor.

Relicta igitur hac sententia, Respondetur cum D. Tho. & Arist. in hoc libro de anima, quod organum tactus sunt duo nerui, qui vt duæ radices egrediuntur à cerebro, & per varios ramos diffunduntur per totum corpus, carnem quæ inuoluunt. Hinc est, quod illæ partes, quæ carnem, & neruos non habent non sentiunt, cuiusmodi sunt ossa, capilli & vngues. Vnde si esset possibile pungere purum os, non sentiret, sicut, nec sentitur, quando capillus scinditur; quia verò semper os est coniunctum carne, cum qua semper sunt nerui, id circo non pungitur sine dolore.

Ex his constat, quid sit sensus tactus. Diffinitur enim: *Facultas animæ sensitiua exterior per se terminata ad qualitates tangibiles, & residens in carne nernis constante.*

Vltima difficultas est, Vtrum sint duo sensus tactus?

Respondetur cum Magistro Bañes 1. p. q. 78. art. 3. solum dari vnicum sensum tactus; nam si essent duo sensus tactus, darentur plures sensus externi, quam quinque, quod est contra Arist. & communem sententiam Philosophorum asserentium sensus externos quinario numero comprehendi. Insuper omnes qualitates sensibiles, quamuis materialiter distinguantur specie, & in ratione qualitatum, attamen, vt sunt obiectum tactus sunt eiusdem speciei; nam eodem modo immutant sensum tactus: ergo sensus tactus erit vnus secundum speciem Atohmam, sicut etiam alij sensus. Consequentia constat; nam vnitas specifica potentiæ defumitur

ab

ab obiecto, non materialiter, sed formaliter vsurpato.

Dices: Sentimus tamen, & sitim; sed non per tactum, neque per alios sensu supra explicatos: ergo assignandus est alius sensus, quo famen, & sitim sentiamus.

Respondetur negando minorem. Fames enim, & sitis sentiuntur sensu tactus; nam vt docet Arist. tex. 28. huius libri, fames est. *Consificatio calidi, & sicci propter carentiam cibi.* Sitis autem est; *appetitus humidi & frigidi*, causatusque à calore interno, quæ omnia ad rationem tactus spectant atque his dictis secundi libri de anima finis esto.

LIBER TERTIVS
DE ANIMA.

POstquam Arist. lib. præcedenti egit de sensibus externis, tam in communi, quam in particulari in hoc 3. lib. potissimum disputat de potentia intellectiua, vt autem contra aliquos Philosophos demonstret intellectum distingui â sensu, etiam de sensibus non nulla pertractat. Tota igitur materia huius libri in tres præcipuas partes potest distribui. In prima agit Arist. de sensibus maximè de internis. In secunda, disputat de intellectu. In tertia, tandem, de potentia progressiua. Hæc autem omnia duodecim capitibus continentur; omnia verò observatione digna in sequentibus quæstionibus à nobis explicabuntur.

DISPVTATIO I.

DE SENSIBVS INTERNIS.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum dentur sensus interni?

SIt conclusio. De facto dantur sensus interni in animali. In hac conclusione conueniunt omnes Philosophi, quamuis in numero horum sensuum assignando dissentiant. Vt autem necessitas horum sensuum interiorum agnoscatur sciendum est: sensus externos, de quibus egimus libro præcedenti, solummodo versari circa obiecta præsentia, non autem circa absentia, futura, vel præterita; solum enim video rem præsentem, non autem præteritam, vel venturam, similiter non audio sonum, qui fuit heri, vel, qui erit cras, sed tantum illud sonum, qui modo efficitur, sed experientia comprobamus, nos habere actus circa res præteritas, & absentes, interdum enim representatur nobis amicus absens, ita præsens, ac si oculis ipsum intueremur: ergo cum hoc obiectum, cum sit absens non percipiatur aliquo sensu externo, necessario debet percipi aliquo sensu interno, qui sit principium proximum actus tendentis in tale obiectum.

Secundo probatur conclusio: Sensus externi, non percipiunt suos actus, neque etiam differentiam suorum obiectorum: ergo debet dari alia potentia sensitiua percipiens actus horum sensuum externorum, & differentiam obiectorum, & huiusmodi potentia dicitur sensus internus. Probatur, & explicatur antecedens: Visus; v.g. non percipit ipsam visionem;

quia

quia visio non est colorata: similiter auditus non percipit auditionem, quia auditio non est sonus, sed actio soni perceptiua. Insuper visus non videt differentiam, quæ reperitur inter colorem, & sonum, & similiter neque auditus; quia hæc differentia neque est colorata, vt possit sic percipi visu, neque est sonus, vt auditu percipi queat: ergo verum est antecedens.

Obijties: Si visus non posset percipere suam visionem, & actum â se elicitum, sed esset ponenda alia potentia, quæ talem actum perciperet, in ipsis potentijs procederemus in infinitum; Hoc est absurdum: ergo, &c. Sequela maioris probatur; nam actus illius potentiæ sensitiuæ, quæ perciperet visionem deberet percipi, non â se ipsa, sed ab alia potentia, & rursus actus huius potentiæ deberet percipi ab alia, & sic in infinitum.

Respondetur negando sequelam; nam tandem deueniendum est ad intellectum, qui est potentia reflexiua supra suum actum; intellectus enim percipit per reflexionem se intelligere, & suam actionem intelligendi. Vnde in his potentijs non procedimus in infinitum.

QVAESTIO II.

Vtrum sensus interni sint quatuor?

SIt conclusio. Quatuor sunt sensus interni, nec plures, nec pauciores, videlicet, sensus communis, phantasia, cogitatiua, seu æstimatiua, & memoria, seu reminiscentia. Hæc conclusio; in schola D. Tho. receptissima est, pro cuius intelligentia sciendum est, ex huiusmodi sensibus internis, quosdam esse receptiuos specierum: Alios autẽ retentiuos, sensus enim communis, & cogitatiua recipiunt species, retinent, & conseruant Sciendum est etiã, quod ex speciebus sensibilibus, quædam dicuntur sensatæ, quædam autem insensatæ; species sensatæ dicuntur, quæ prius fuerunt in sensibus externis, vt species sensibilis representans Petrũ. Species insensatæ appellantur, quæ non fuerunt prius in sensibus, externis, sed ipsas colligit æstimatiua, seu cogitatiua, ex aliis speciebus, quæ sunt in phantasia, vt species sensibilis, qua cognoscimus damnum, vel commodum, amicitiam, & inimicitiam. Videns enim Petrus Paulum alloquentem, vultu iracundo, & animo irato colligit speciem iræ, quæ quidem species, non fuit in sensibus externis; nam in oculis solũ fuit Pauli species, in quantum Paulus coloratus est, & huiusmodi species fuit in sensu communi, & in phantasia, non autem species iræ. Hanc tamen eduxit cogitatiua, vel æstimatiua ex speciebus sensatis.

Sciendum est insuper, quod sensus communis, & phantasia recipiunt species sensatas, diuersimode tamen; nam sensus communis propter nimiam humiditatem species receptas male conseruat; daturque proinde phantasia, in qua huiusmodi species conseruantur. Cogitatiua autem, & memoria recipiunt species insensatas diuersimode tamen; nam cogitatiua bene reci-

pit has species, sed parum eas conseruat. Memoria autem, seu reminiscentia easdem conseruat, & retinet, & hinc est, quod ira, seu inimicitia præterita modo conseruatur, & est præsens in memoria.

Ex his sic potest probari conclusio. Sensus interni ponuntur in animali ad conseruandas species rerum sensibilium absentium; sed ad hoc requiruntur quatuor sensus: ergo quatuor sunt sensus interni. Probatur minor; nam vnus sensus requiritur ad recipiendas species sensatas, & hic appellatur sensus communis; quia verò hic sensus propter humiditatem illius partis, in qua residet, non potest per multum temporis conseruare has species, debet dari alius sensus conseruatiuus ipsarum, & huiusmodi sensus dicitur phantasia. Ad species autem insensatas recipiendas, & conseruandas, duo etiam alij sensus requiruntur, videlicet cogitatiua, & memoria.

Isti autem sensus interni dicuntur, non quia inhærent ipsi animali; nam etiam externi inhærent; sed quia sunt occulti intra clausum cubiculum ipsius cerebri inuisibiles, & intangibiles perseuerant: At verò sensus externi non sunt occulti, sed omnibus manifesti.

Dices, contra conclusionem; Arist. 2. de anima cap. 15. sensus internos enumerans Solũ meminit sensus communis, & phantasiæ: ergo duo tantum erunt sensus interni.

Respondetur negando consequentiam; nam licet ibi Arist. non enumerauerit nisi sensum communem, & phantasiam, in aliis tamen locis memi nit cogitatiuæ, & memoriæ.

Respondetur secundo; cum Magistro Bañes 1. p. q. 78. art. 4. dub. 3. quod Arist. nomine Phantasiæ, intelligit tres sensus internos distinctos à sensu communi; est enim Phantasia nomen veluti genericum: Ob penuriam tamen vocabulorum prima species Phantasiæ, nomen sui generis sibi assumens, Phantasia appellatur, quod quidem multoties euenire solet, vt diximus in Logica agentes de dispositione, & etiam disputantes de numero, & etiam in Physica explicantes, qua ratione locus dicatur superficies.

QVAESTIO III.

De situ, & ordine sensuum internorum?

TRes cellulæ reponuntur in cerebro Secundum communem sententiam Philosophorum, & Medicorum, in quibus residunt sensus interni: Prima cellula, siue ventriculus cerebri residet in parte anteriori cerebri statim supra frontem, cuius quidem cellulæ prima pars est humida, & in ipsa residet sensus communis, qui propter humiditatem facile recipit, male tamen conseruat species omnium sensuum externorum: Secunda autem pars huius cellulæ est magis ficca, & in ea residet Phantasia, quæ propter siccitatem optimè conseruat species receptas à sensu communi, quã ob

ob causam dicitur Thesaurus specierum.

Secunda cellula est in parte superiori cerebri, & veluti in medio capitis, & in hac cellula residet cogitatiua, seu æstimatiua, est quæ pars humida, quam ob causam, quamuis facil. recipiat species in sensatas, non tam n per multum temporis eadem c ner uat. Obseruat Iabellus, hanc cellulam secundam in Brutis poni Paulo posterius, quam in hominibus; vnde in Brutis est minus humida, quam in hominibus, & id circo dificilius hauriunt species in sensatas Bruta, quam homi es. Humiditas huius cellulæ; minor est, quam humiditas primæ partis cerebri in qua residet sensus communis,

Tertia denique cellula est in posteriori parte cerebri, videlicet in hoc capite, & in hac cellula residet memoria, seu reminiscentia, quæ cum sit in posteriori parte siccior est, & id circo optimè conseruat species acceptas à cogitatiua seu æstimatiua.

Ex his constat; quam dispositionem habeant in cerebro sensus interni.

QVÆSTIO IV.

De sensu communi.

SEnsus communis, inter sensus internos primum tenet locum, eo quod in prima cellula cerebri sedem habet, cius obiectum est omne sensibile à sensibus externis; vnde obiectum visus, videlicet color illuminatus, qui quidem respectu visus est obiectum adæquatum, est obiectum inadæquatum, & partiale sensus communis: omnia verò obiecta sensuum externorum collectiuè sumpta efficiunt vnũ obiectum adæquatum, & totale sensus communis. Hæc Doctrina est D. Thom. 1. par. q. 1. art. 3. vbi inquit *obiectum sensus communis esse sensibile in communi continens sub se visibile, audibile, &c.*

Situs huius sensus, vt in quæstione præcedenti dictum est, est supra frõtem in prima cellula cerebri, in qua radicantur omnes nerui descendentes ad organa sensuum externorum: Per huiusmodi enim neruos sensus communis communicat sensibus externis virtutem sensitiuam: Omnes autem sensus externi sicut serui Domino famulantur; species enim sensibiles, quas quidem à rebus suscipiunt per neruos offerunt sensui communi: Hinc est, quod sensus communis comparatur Mari; nam quemadmodum flumina exeunt à Mari, & tandẽ ad Mare reuertuntur; ita similiter omnes sensus externi, quoddammodo egrediuntur è sensu communi, cum ab ipso habeant virtutem sensitiuam, & tãdem mediis speciebus sensibilibus ad ipsum sensum communem quoddammodo reuertuntur.

Sensus communis duplicem habet sensationem: Altera est perfecta, distincta, & clara: Altera verò obscura, & imperfecta: Ad primam requiritur præsentia obiecti, ad secundam verò nequaquam: Potest enim sensus communis in absentia obiecti sensibilis im-

imperfecte sentire ipsum. Ita docet Magister Bañes 1. part. quæst. 48. art. 4.

Potest esse difficultas : Quare iste sensus communis appellatur? Et ratio dubitandi est, quia ille dicitur sensus communis, qui de aliis sensibus prædicari potest, sed iste primus sensus internus de nullo alio sensu potest prædicari, nisi de se ipso: ergo non est dicēdus sensus communis. Maior probari potest à simili; nam homo communis ille dicitur, qui de aliis hominibus prædicari potest; v. g. de Petro Ioanne, &c. Ergo similiter ille dicendus erit sensus communis qui de omnibus sensibus potest prædicari: Minor etiam constat; nam istæ sunt falsæ prędicationes Phantasia est sensus communis: Memoria est sensus communis, & similiter istæ aliæ, visus est sensus communis auditus est sensus communis, &c.

Respōdetur huic difficultati, quod iste primus sensus internus appellatur communis, non prædicatione, vt optime concludit argumentum, sed receptione; quia videlicet est locus communis in quo omnes species sensuum externorum recipiuntur. Appellatur itaque sensus communis ad differentiam sensuum externorum, qui sunt sensus particulares: Quemadmodum platea dicitur locus communis; quia ad ipsam omnes confluunt & dicitur etiam locus communis, ad differentiam domus particularis.

QVAESTIO V.

De phantasia.

HIc sensus internus, vt dictū est, quæstione tertia, in secunda parte primæ cellulæ ipsius cerebri residet; quæ quidem pars, cum sit siccior optimè conseruat species acceptas à sensu communi. Sensus enim communis habet se, velut Rex in Solio, ad quem quidem confluunt sensus externi, quasi cum muneribus, quæ sunt species sensibiles, quas sensus communis reponit, & seruat in phantasia, sicut in thesauro, & archiuo, quam ob causam phantasia thesaurus specierum nuncupatur.

Huius potentiæ duo sunt munera; iuxta sententiam D. Tho. & discipulorum eius. Primum munus est conseruare species acceptas à sensu communi. Secundum est ex especiebus simplicibus effformare alias species complexas; v. g. accepit phantasia à sensu communi speciem montis, & etiam speciem auri, quas phantasia conseruat, & ex his ipsis format aliam speciem complexam, quæ nunquam extitit in sensu communi, videlicet speciem montis aurei, & hoc non solum contingit in vigilia; sed etiam nobis dormiētibus, in phātasia etenim somnia construuntur.

Cum somniare sit actio phantasiæ, & immaginationis postulat hic locus, vt breuiter de somnio disputemus, eius saltim diffinitionem proponendo. Somnium igitur sic diffiniri po-

potest: *Apparitio facta dormientibus virtute Phantasiæ, ex speciebus in ea existentibus, ita vt videatur sic se res habere, nullo externo sensibili concurrente*: Prima pars diffinitionis est, *apparitio facta dormientibus*; per quã designatur somnium solum esse ostensionem quandam, quæ dormientibus representatur: Secunda particula est, *virtute immaginationis*: per quam designatur somnia non fieri in facultatibus animæ vegetantis; nam somnia fiunt in dormiente quatenus dormiens, & animal non dormit, vt vegetans, sed vt sentiens: Per eandem etiam particulam ostenditur somnia non fieri in sensibus externis, qui qui dẽ in dormiente, quasi dormiunt, somnus enim est impedimẽtum sensuum externorum, qui in dormiente impediti sunt, nihilque perfecte percipere possunt sensus exteriores, sed aliquid imperfecte saltim percipere, vt experientia comprobatur, sæpe enim accidit, vt qui dormit vocatus respondeat, nec tamen excitatur: Non potuisset autem respondere nisi audisset.

Similiter, si pulicæ, aut Syniphæ infestetur manum admouet, non tamen admoueret nisi horem animalium morsus perciperet: Constat ergo posse sensus exteriores nobis dormientibus suis operationibus fungi quamuis imperfecte, & indistincte. Per eandem etiam particulam designatur somnia non fieri per se ab intellectu, quod quidem comprobari potest; nam etiam bruta animalia, quæ sunt expertia intellectus somniant: Quod enim somnient colligit Arist. ex canibus, & equis; nam illi dormientes interdum latrant, hinnitũ inhiunt. Dixi per se; nam interdum accidit etiam intellectui, quædã somnia adiungi, multi enim dormientes carmina componunt; vrgent argumentis aduersarijs, & alia præstãt, quę sine intellectus operatione fieri nequeunt. Dicitur denique; *nullo externo sensibili concurrente*; quia cum sensus externi quoddammodo dormiant non possunt percipere sensibile externum.

QVAESTIO VI.

De æstimatiua, seu cogitatiua.

TErtius sensus internus appellatur æstimatiua, seu cogitatiua, cuius munus est ex speciebus sensatis, quę sunt in phantasia elicere species insensatas; v. g. species damni, & commodi, tristitię, & ilaritatis montis aurei, & alię huiusmodi, quę quidem species non fuerunt acceptę formaliter à sensibus externis.

Situs huius potentiæ est secunda cellula existens in superiori parte cerebri, quæ quidem pars humida est, & id circo facile recipit, male autem retinet species insensatas. Hæc potentia est seminalium suspiriorum, & fons iudiciorum temerariorum. In homine vocatur cogitatiua, in brutis autem æstimatiua, est enim maximè differentia; nam bruta, ex speciebus simplicibus existentibus in phantasia colligunt alias species sine discursu, solo instinctu quodam naturali, v. g. Iouis, viso lupo, instinctu naturali fugit,

git, & hirundo certo anni tempore instinctu naturali construit nidum. Hic autem instinctus naturalis, idem est, quod æstimatiua: Quemadmodum enim ratio, & discursus, non sunt res diuersæ ab intellectu; ita instinctus naturalis non est potentia differens ab æstimatiua; sed est quoddam æstimatiuæ munus in Brutis. In nobisque cogitatio appellatur, quod enim Bruta solo instinctu naturali faciũt, hoc præstat homo libere operando, cogitando, & vnũ alteri conferendo. Hinc est, quod docet Iabellus in hac materia posse fieri syllogismos expositorios, vt cum dicimus Petrus est hic homo; sed Petrus est hoc animal: ergo hoc animal est hic homo. Probabilius tamẽ est syllogiscare, & discurrere ad solum intellectum pertinere, nullique alteri potentiæ posse conuenire.

QVAESTIO VII.

De memoria, seu reminiscentia.

QVartus sensus interous, & vltimus est memoria, seu reminiscentia, cuius munus est retinere species insensatas ipsius æstimatiuæ, seu cogitatiuæ, reficet etenim hæc potentia in parte posteriori cerebri, quæ ob maximam siccitatem est apta ad prædictas species conseruandas. Vnde quemadmodum se habet phantasia ad sensum communem, ita se habet memoria ad cogitatiuam, seu æstimatiuam, & sicut phantasia est thesaurus specierum sensus communis, ita memoria est thesaurus specierum cogitatiuæ, est tamen memoria nobilior, quam phantasia, & eminentiori quadam ratione percipit suum obiectum, maximè verò in homine in quo cum discursu coniuncta est, & aliquid participat ab ipso intellectu.

Distinguuntur autem memoria, & reminiscentia, sicut æstimatiua, & cogitatiua; nam memoria non includit discursum. Vnde etiam in Brutis animalibus memoria reperitur, reminiscentia verò discursum includit: Ac per consequens, solus homo proprié reminisci dicitur: Hæc dicta sint de potentijs sensitiuis internis.

DIS-

DISPVTATIO II.

DE POTENTIA MOTIVA SECVNDVM LOCVM.

QVÆSTIO VNICA.

Quid, & quotuplex sit potentia motiua?

POtentia motiua est *facultas animæ, quæ est principium proximum, & immediatum actiuum motus localis.* Hæc potentia in animalibus est. Alia dicitur dilatatiua, & constrictiua, quæ etiam reperitur in hostrea, & in conchilibus, quando enim dilatant se, occupant maiorem locum, & quando constringũtur minorem. Alia est potentia motiua secundum locum, perfectaque reperitur in animalibus perfectis, & hæc subdiuiditur in potentiam directiuam, imperatiuam, & xecutiuam.

Potentia directiua appellatur quælibet potentia animæ representans bonum prosequendum, vel malum fugiendum: Proponendo enim obiectũ dirigit alias potentias in suos actus, & ob hanc causam appellatur potentia directiua, & hæc potentia diuersa est in Brutis, atque in hominibus, homines enim cum rationales sint dirigũtur in suos actus per intellectum practicum. Bruta veró per apprehensionem sensitiuam, siue sit phantasia, siue æstimatiua, &c.

Potentia imperatiua ea dicitur, quæ imperat actum illum ad quem ordinatur per potentiam directiuam,

& hæc potentia imperatiua in homine est voluntas rationalis, in Brutis autem appetitus sensitiuus.

Denique potentia executiua illa dicitur, quæ executioni mandat imperium, & directionē aliarum potentiarum; v. g. in homine exequitur directionem intellectus, & imperium. In Brutis autem imperium, & directionem cognitionis, & appetitus sensitiui.

Potentia autem executiua motiuæ secundum locum affixa est alicui organo corporeo, & habet principiū in corde animalis, vel, vt alij dicunt in cerebro: Hæc omnia in hoc exemplo manifesta fiunt, ad hoc, vt homo iter faciat illerdam tres illæ potentiæ concurrunt: In primis enim intellectus practicus dictat iter faciendum esse: Posteà voluntas rationalis, quæ est veluti Imperatrix omnium potentiarum Imperat, vt iter faciamus: & tandem potentia progressiua sequens directionem intellectus, & ob temperans Imperio voluntatis, & est principium proximum, & immediatum iter faciendi illerdam, & actu iter facimus, quam ob causam potentia hæc progressiua, potentia executiua appellatur.

DISPVTATIO III.

DE POTENTIIS INTELLECTIVIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De intellectu agente.

INtellectus adæquate diuiditur in intellectum agentem, seu abstrahentem, & intellectum patibilem. Intellectus agens sic potest diffiniri: *Potentia animæ rationalis separata ab omni organo corporeo*, cuius munus est illustrare phantasmata: Prima particula, videlicet, *potentia animæ ratio-*

tionalis: Habet locum generis in quo communicat intellectus agens, cum intellectu patibili, & cum ipsa voluntate, quæ etiam sunt potentiæ animæ rationalis. Dicitur: *Separata ab omni organo corporeo*; ad differentiam potentiæ sensitivæ, quæ semper alicui organo corporeo est affixa, vt supra ostensum est: Intellectus vero vna cum ipsa anima rationalis sit in corpore, non tamen est affixus alicui organo corporeo, sed potius ad instar animæ rationalis est omnino spiritualis, & in corporeus, Estque totus in toto corpore, & totus in qualibet parte; Quia verò intellectus est excellentissima hominis potentia proinde communiter, & secundum vulgi opinionem, solet dici intellectum in capite residere, sicut amorem in corde, quia caput inter reliqua corporis mẽbra primatum tenet. Dicitur denique *cuius munus est illustrare phantasmata*; vt distinguatur intellectus agens ab intellectu patibili, & â voluntate. Quid autem sit illustrare, vel illuminare phantasmata? Abunde satis explicatum est in Logica, in quæstione de facultatibus cognoscendi. Intellectus agens est quasi famulus intellectus patibilis, educit enim species à phantasmatibus in phantasia existentibus (Hoc enim est illuminare phantasmata) Et easdem species imprimit intellectui patibili, non itaque intellectus agens intelligit, sed res intelligibiles, & cognoscibiles facit, quam ob causam comparatur luci, quæ non videt, sed res visibiles facit.

Dices: anima rationalis separata â corpore habet omnes suas proprietates; sed in ipsa non datur intellectus agens: ergo huiusmodi intellectus nõ est proprietas, vel potentia animæ rationalis. Probatur minor; intellectus agens datur ad abstrahendas species â phantasmatibus; sed anima separata non abstrahit species à phantasmatibus: ergo in anima separata, non datur intellectus agens.

Respondetur negando minorem: Probationi dicimus, quod intellectus agens non solum datur animæ, vt abstrahat species â phantasmatibus, sed etiam, vt easdem species abstractas, & existentes in intellectu patibili illuminet ad intellectionem actualem, habet enim se, vt lumen intellectus patibilis: Hinc Primus Parens Adamus licet habuerit omnes species intelligibiles per accidens infusas immediate à Deo: Habuit nihilominus in omnium opinione intellectum agentẽ, qui huiusmodi species illuminaret.

Difficultas esse potest: An intellectus agens idem sit, quod habitus primorum principiorum.

Respondetur negatiué: Intellectus agens distinguitur realiter, vt res â re ab habitu primorum principiorum: Hanc veritatem probauimus in Logica lib. 2. de demonstratione, & nunc breuiter confirmatur ex dictis: Intellectus agens non est cognoscitiuus, sed abstractiuus, & illuminatiuus, tum etiam non indiget speciebus sed ipsas causat sua illuminatione; sed habitus primorũ principiorum est cognoscitiuus, & indiget speciebus intelligibilibus; ergo intellectus agens realiter

distinguitur ab habitu primorum principiorum.

QVAESTIO II.

De intellectu patibili.

INtellectus patibilis pluribus nominibus gaudet: Aliquando enim appellatur absolute, & sine addito, intellectus; quia percipit res simplici intuitu, & interdum sine vllo discursu, quod contingit in prima operatione intellectus, quæ dicitur simplicium apprehensio; Aliquando dicitur ratio, quia ratiocinando, & discurrendo intelligit, vt cum cognoscit cõclusiones per principia; Aliquãdo dicitur speculativus, quando videlicet in rei cognitione sistit; Vocatur etiam practicus, quando rem cognitam ordinat ad opus. Nuncupatur patiens, seu patibilis, quia patitur ex receptione specierum intelligibilium, ratione quarum dicitur intellectus fieri omnia, vt asserit Arist. cap. 8. huius libri; v. g. intelligendo lapidem fit lapis, non quidem formaliter, ita vt migret in naturam ipsius lapidis intellecti, sed per similitudinem, quã ob causam non dicimus absolute, intellectum intelligendo fieri omnia; sed fieri quoddammodo omnia. Vocatur denique intellectus possibilis; quia nullas habet species, vel formas intelligibiles sibi connaturales, sed est, vt ait Arist. tanquam tabula rasa in qua nihil est depictum, potest tamen beneficio intellectus agentis, quam plures species, & similitudines rerum recipere, & ratione huius possibilitatis dicitur possibilis.

Intellectus possibilis, hac ratione diffinitur: *Potentia incorporea anima rationalis per quam omnia intelligimus*, Quod sit facultas, & potentia animæ; est expressa sententia Arist. 2. de anima cap. 3.

Sed dices: esse intellectiuam, est essentia animæ rationalis; sed ab intellectu patibili habet anima rationalis, quod sit intellectiua: ergo intellectus patibilis est essentia animæ rationalis: ergo non est facultas.

Respondetur distinguendo maiorem. Intellectiuum enim dupliciter considerari potest. Primo, quatenus gradum naturæ designat, & hac ratione est essentia animæ rationalis. Secundo, quatenus designat proximum, & immediatum principium intelligendi, & hac ratione non est essentia ipsius animæ, cum nulla substantia creata sit proximum principium operandi, vt in 2. Physic. ostensum est. Iam verè anima rationalis non habet ab intellectu, quod sit intellectiua primo modo, sed solum secundo.

Dicitur: *incorporea*, quia intellectus licet in corpore existat, est tamen omnino spiritualis, sicut ipsa anima, quæ quidem veritas sic breuiter suadetur: Corrupto corpore incorruptus remanet intellectus: ergo non est potentia corporea. Præterea facultas, & potentia corporea attenuato, & debilitato corpore attenuatur, & minuitur, vt visus, auditus, &c. sed intellectus non debilitatur attenuato corpore, sed maius eius vires augentur: ergo intel-

lectus

lectus non est facultas corporea. Minor est manifesta in sensibus, in quibus, & sentiendi, & vegetãdi languescunt vires, viget tamen intellectus; tũ etiam impinguatio corporis interdum offuscat mentem; vnde prodijt Græcorum Prouerbium, quod refert D. Hieronymus Epist. ad Nepotianum: *Pinguis venter tenuem non gignit mentem*. Eccletia etiam de ieiunio loquẽs affirmat; *quod ieiunium mentem elevat*: ergo attenuato corpore non debilitantur, sed augentur potius vires intellectus. Denique; *per quam omnia intelligimus*; vt distinguatur ab intellectu agente.

Ex dictis collige. Falsam esse illorum sententiam, qui dicunt intellectum patibilem esse vim imaginandi. Primo, nam vis imãginandi indiget organo corporeo; intellectus verò nequaquam. Secundo, quia vis imaginandi etiam reperitur in Brutis, non tamen intellectus. Tertio, quia vis imaginandi solum percipit corporea, & sensibilia, intellectus verò etiam spiritualia, & incorporea. Quarto denique; quia vis imaginandi, vt docet Arist. cap. 4. huius libri lædituɾ, si res sensibilis, quam percipit vehemens fuerit. Intellectus autem non lædituɾ ab obiecto quantumuis difficili, & excelenti, vt probauimus quæstione sequenti; imõ potius difficultate recreatur. Hinc enim prodijt prouerbium: *Difficilima quæque pulchra*.

QVAESTO III.

Vtrum intellectus lædatur à perfectissimo obiecto?

ANimaduertendum est: Esse maxi nam Arist. in hoc libro: *Quod sensibile vehemens, & excedens potentiam sensitiuam lædit, & corrumpit sensum*. Cuius propositionis veritas, experientia comprobatur, cum enim Solem, qui est maximê lucidus, & excedens visibile, per aliquod tempus intuemur offuscatur, & lædituɾ visus: Similiter sonus vehementissimus, Solet interdum sensum auditus lædere, & surditatem causare. Est igitur difficultas. Vtrum excelens intelligibile lædat intellectum? Quemadmodum excelens sensibile lædit sensum.

Obseruandum est secundo, quod sensus proinde lædit â vehementi, & excelenti sensibili; quia est potentia corporea, & est affixus organo corporeo. Excelens autem sensibile alterat organum, quod quidem per alteratiõnem vehementissimam debilitatur, & per alterationem maximam destruitur, sicque lædituɾ, vel destruitur sensus à vehementi sensibili.

Sit conclusio. Intellectus non lædituɾ; sed perficitur potius à perfectissimo intelligibili. Probatur; nam intellectus est potentia spiritualis, & incorporea, nullo organo corporeo affixa, vt dictum est: ergo per intellectionem nobilissimi obiecti, cuiusmodi est Deus, nõ alteratur alteratione corrupti-

ruptiua, sed potius perficitur. Consequentia constat ex secunda obseruatione: ex eo enim læditur sensus, quia est potentia corporea, & organo corporeo affixa.

Secundo probatur conclusio. Intellectus, intelligendo maximum, & perfectissimum ens, facilior redditur ad intelligendum ens minus perfectum; sed hæc maior facilitas est perfectio causata ab intellectione perfectissimi obiecti: ergo intellectus non læditur, sed potius perficitur à perfectissimo obiecto.

Dices: Interdum ex continua intellectione afficitur homo dolore capitis: Imo aliquando ex nimia intellectione contingit hominem insanire: ergo signum est intellectum lædi ex maxima intellectione.

Respondetur negando consequentiam: Ratio enim quare aliquis intelligendo, dolore capitis afficitur, & interdum insanit; non est, quia intellectus ex maxima intellectione lædatur, cum enim sit spiritualis illesus remanet: Dolet autem caput, quia licet intellectus non sit affixus organo corporeo, est tamen tale organum necessarium intellectioni, cum species intelligibiles educantur à phantasmatibus residentibus in phantasia, quæ est sensus internus, phantasia autem ex maxima intellectione, & debilitatione corporis debilitatur.

QVAESTIO IV.

De operationibus intellectus patibilis.

DE operationib⁹ intellectus multa diximus in Compendio Logicæ, & in ipsa Logica, quam ob causam breuiter ab hac quæstione nos expediemus. Tres igitur sunt operationes intellectus patibilis: Prima dicitur, simplex apprehensio: Secunda, compositio, & diuisio: Tertia, discursus. Simplex apprehensio est, quando intellectus attingit suum obiectum simplici intuitu nihil affirmando, vel negando de ipso composito. Et diuisio est, quando intellectus aliquid de alio affirmat, vel negat.

Ex quo constat diuisionem in hoc loco non esse sicut in secundo libro Compendij, vbi diximus, quod diuisio est, *oratio totum in partes, vel commune in minus communia distribuens*: Diuisio autem in præsenti vsurpatur pro separatione alicuius attributi a subiecto; vt cum intellectus separat lapidem ab homine dicendo, hominem non esse lapidem; Compositio autem efficitur, quando attributum coniungitur cum subiecto, quod fit affirmatione, vt cum dicitur: Homo est animal. Hinc est, quod hæc secunda operatio appellatur etiam affirmatio, & negatio.

Denique discursus, seu ratiocinatio contingit, quando ex vna, vel pluribus propositionibus notis, progreditur intellectus ad aliam propositionem

nem cognoscendam, quod fit media argumentatione.

Inter istas operationes hoc reperitur discrimen. In prima operatione per se loquendo non reperitur veritas, vel falsitas; nam quemadmodum se habet potentia sensitiua in apprehensione proprij obiecti; ita se habet intellectus in simplici apprehensione rei; sed potentia sensitiua in apprehensione proprij obiecti non habet veritatem, vel falsitatem: ergo neque intellectus in simplici apprehensione obiecti habet veritatē, vel falsitatem: In secunda verò operatione intellectus, veritas, vel falsitas reperitur; & similiter in tertia, cum hæc ex secunda componatur.

Sciendum est tamen, circa totam hanc disputationem de intellectu, quod in præsenti solum loquimur de intellectu, & potentia animæ rationalis, qualis est intellectus humanus, nō autem agimus in præsenti de intellectu Angelico, hoc enim solum spectat ad Theologos; nam Angelicus intellectus non habet discursum, sed simplici intuitu fertur in suum obiectū, non componendo, vel diuidendo, neque etiam discurrendo.

DISPVTATIO VI.

DE POTENTIA APPETITIVA.

QVAESTIO PRIMA.

De potentia appetitiua sensitiua.

APpetitus in communi diuiditur, in naturalem, sensitiuum, & intellectiuum. Appetitus naturalis, qui etiam innatus dici solet consequitur formam, & essentiam cuiuslibet rei, sine aliqua apprehensione, & nihil aliud est, quam *propensio, seu inclinatio rei in suam perfectionem naturalem*. Hic appetitus reperitur in materia prima in ordine ad formam, & in lapide in ordine ad centrum: Appetitus sensitiuus est qui dicitur appeti-

tus

us animalis, & sequitur animam, quatenus potest apprehendere res per sensum, & non habet actum, nisi prævia apprehensione, & cognitione sensitiva. Denique appetitus rationalis, qui vnico nomine dicitur voluntas, est qui sequitur animam quatenus potest apprehendere, & cognoscere res per intellectum, & hic appetitus solum reperitur in natura intellectuali; v. g. in homine. Appetitus naturalis est quasi transcendens, & vagatur per omnes res: Ac proinde non ponitur, tanquam speciale genus potentiæ: Appetitus autem, qui dicit potentiam procedentem ad suum actum, prævia apprehensione siue sensitiua, siue intellectiua, ponitur speciale genus potentiæ ab Arist. lib. præcedenti, & à D. Tho. 1. p. q 78. art. 1. & hic appetitus adæquate diuiditur in appetitum sensitiuum, & in appetitũ rationalem, cuius diuisionis sufficienter hac ratione probari potest. Omnis potentia appetitiua fertur in bonum cognitum, obiectum enim appetitus est bonum, siue verum, siue apparens, quemadmodum obiectum adæquatum intellectus, est ens verum, bonum autem, vel cognoscitur per intellectum, vel solum modo per sensum. Bonum cognitum per intellectum est obiectum appetitus rationalis, qui est voluntas: Si verò solum sit cognitum per sensum est obiectum appetitus sensitiui: ergo omnis appetitus, vel est rationalis, vel sensitiuus.

Ex dictis colligo. Quod appetitus rationalis, cum sequatur cognitionem intellectiuam, solum reperitur in natura intellectuali; v. g. in hominibus: Appetitus autem sensitiuus etiam reperitur in brutis perfectis. Dixi: Perfectis; nam in brutis imperfectissimis non reperitur appetitus sensitiuus; nam iste appetitus sequitur cognitionem phantasiæ, & æstimatiuæ, quibus Bruta imperfectissima carent.

Sciendum est præterea: Quod potest aliquis secundum appetitum rationalem tendere in aliquod obiectum ipsum desiderando, & secundum appetitum sensitiuum tendere in idem obiectum ipsum odio prosequendo, & hoc absque peccato; v. g. Mater, si iusta, & timorata sit, videns filium suum occisorem suspendi, secundum appetitum rationalem, vult filij suspensionem, quia cum recta iustitia conformatur, & tamen secundum appetitum sensitiuum detestatur filij suspensionem: Hac ratione Christus Dominus mortem timebat, & fugiebat appetitu sensitiuo, & designauit illa verba ab eodem Christo Domino in horto prolata. *Pater si possibile est transeat à me Calix iste*; eandem autem mortem appetebat appetitu rationali, qui quidem conformabatur voluntati Patris: Vnde dicebat: *fiat voluntas tua*: Ac si diceret non fiat Pater, quod appetitus sensitiuus desiderat, qui aliquando potest non conformari cum tua voluntate, sed fiat obtecro, quod appetitus rationalis exoptat, qui tuæ voluntati conformis est, sufficiat ista, vel leuiter tigisse, ne in segetes Thologorum ante tempus falcem immittamus.

Po-

Potentia appetitiua sensitiua, quæ vno nomine, sensualitas appellatur, adæquate diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem. Concupiscibilis est *potentia per quam animal concupiscit ea, quæ secundum sensum apprehendit sibi conuenientia, & fugit disconuenientia.* Irascibilis autem est *potentia per quam animal resistit insurgentibus ad impedimentum consecutionis boni sensibilis*: Istas diffinitiones tradit Angelicus Doctor D. Tho. 1. p. q. 81. art. 1. In appetitu concupiscibili sunt huiusmodi passiones, amor, odium, desiderium, fuga, delectatio, & tristitia. In irascibili autem sunt desperatio, timor, audatia, ira, & alia huiusmodi. Irascibilis, & concupiscibilis distinguntur inter se realiter tanquam res à re; vt latè probat Magister Bañes 1. part. quæst. 81. articulo 2. dubio 1.

QVAESTIO II.

De potentia appetitiua rationali.

DE potentia appetitiua rationali, videlicet de voluntate ex professo disputant Theologi 1. p. & 1. 2. vnde in præsenti (Theologis alia relinquentes) sub breuibus difficultates quasdam iuxta naturam voluntatis explicabimus.

Prima igitur difficultas est de obiecto voluntatis. Consulenda sunt quæ diximus 2. libro Physicorum agentes de causalitate finis, vbi diximus, quod ratio formalis mouendi in fine est bonitas, siue vera, siue apparens, siue vtilis, siue honesta, siue delectabilis. Quibus suppositis.

Respondetur difficultati hac vnica conclusione. Bonum, siue verum, siue apparens est obiectum adæquatum appetitus rationalis, seu voluntatis. Probatur; nam voluntas non fertur, nisi in ea, quæ bona sunt, vel bona apparent; nullum enim agens respiciens ad malum opperatur: ergo bonum, siue verum, siue apparens erit obiectum voluntatis.

Dices: Multoties homines appetunt malum: Ex eo enim aliquis peccat, quia eius voluntas fertur in malum: ergo bonum nō est obiectum adæquatum voluntatis.

Respondetur negando antecedens: Peccator enim fertur in bonum apparens, quamuis entitatiue, & materialiter sit malum.

Sed dices: Quando aliquis ex malitia peccat sciens rem, quam committit peccatum esse, & Dei offensam, & nihilominus ex odio Dei peccatum committit, hic fertur in malum sub ratione mali, non enim ei apparet bonum, sed malum, & ex eo facit, quia malum est: ergo iam potest voluntas ferri in malum, sub ratione mali, quod, nec verè, neque apparenter verum est.

Respondetur negando consequentiam: Hic enim fertur in id, quod scit non esse bonum honestum, sed potius malum: Fertur nihilominus sub ratione boni, vtilis, vel delectabilis; nam apprehendit in odio Dei suam vltionem, quam quidem appre-

hendit tanquam bonum vtile, & delectabile: Fertur igitur in malum, sub ratione tamen boni delectabilis, & honesti.

Secunda difficultas est: Vtrum voluntas possit ferri in rem non cognitam?

Respondetur negatiuè: Voluntas non potest ferri in rem non cognitam. Probatur in primis, ex illo communi axiomate: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Insuper voluntas est cœca: ergo indiget lumine illustrante obiectum: Quemadmodum visus indiget luce illustrante colores; sed lumen illustrans obiectum voluntatis est intellectus intelligens, quam ob causam oculus voluntatis appellatur: ergo voluntas necessario fertur in obiectum cognitum.

Tertia difficultas est: Vtrum voluntas differat ab appetitu sensitiuo?

Respondetur affirmatiuè: Differunt enim voluntas, & appetitus sensitiuus origine, obiecto, subiecto, actionibus, & in modo agendi. Origine quidem; nam voluntas oritur ex intellectu: Vnde appetitus rationalis nuncupatur; at verò appetitus sensitiuus oritur ex vi imaginandi, seu phantasia. Differunt obiecto; nam voluntas, cum sequatur intellectum, versatur in omnibus bonis siue singularia sint, siue generalia, siue corporea, siue incorporea: At verò appetitus sentiens tantum versatur in bonis singularibus, & quæ sunt vtilia corpori. Tum etiam voluntas non solum fertur in bonum vtile, & delectabile, sicut appetitus sensitiuus, sed etiam in bonum honestum. Differunt subiecto; nam subiectum voluntatis est sola anima: Subiectum verò appetitus sensitiui est totum compositum. Differunt actionibus; nam voluntas exercet omnes actiones, quas exercet appetitus sensitiuus; non verò è contra potest exercere appetitus sensitiuus omnes actiones voluntatis. Neque inde inferas frustra poni in homine appetitum sensitiuum. Non enim ponitur frustra, cum pertineat ad perfectionem animæ sentientis, & dependeas voluntas ab appetitu sensitiuo, sicut intellectus à phantasia.

Differunt denique; in modo agendi: Nam voluntas agit libere; appetitus autem sensitiuus non agit libere, & hinc est, quod etiam in Brutis in quibus non datur libertas concedimus appetitum sensitiuum.

Quarta difficultas est: Vtrum voluntas differat ab intellectu?

Respondetur secundum communem omnium sententiam: Differre realiter, vt res âre. Primo, quia modus agendi voluntatis maximè differt à modo agendi intellectus; nam voluntas agit propensione, & inclinatione quadam: Intellectus autem exercet suum munus recipiendo, ad hoc itaque, vt res cognoscatur necesse est, vt ipsa veniat ad intellectum, vel per se ipsum, vel per suam speciem intelligibilem: Vt autem diligatur âvoluntate necesse est, vt voluntas ipsa, quodammodo eat ad rem dilectam. Secundo; quia voluntas interdum resistit intellectui: Contingit enim;

quod

quod intellectus monet vnum &, vnum faciendum, & voluntas sequitur alterum. Tertio, quia intellectus regit, & gubernat voluntatem, voluntas autem mouet in exercitio intellectum, & alias potentias ad sua opera facienda.

Vltima difficultas est. Vtrum voluntas sit præstantior intellectu?

Respondetur cum Arist. in 10. lib. de moribus cap. 7. intellectum præstantiorem esse omnibus potentijs, quæ sunt in nobis. Quam sententiam confirmare possumus. Primo, quia intellectus præest voluntati, illamque dirigit. Secundo, quia intellectus magis pertinet ad esse hominis, quam voluntas; nam homo ex hoc dicitur homo, quia intelligit. Tandem (vt alia prætermittamus, quæ magis Theologica sunt, quam Philosophica) quia certum est felicitatem, & beatitudinem hominis sitam esse, in actione præstantissimæ, & excelentissimæ facultatis; sed Beatitudo consistit in visione Dei, quæ est actio intellectus Diuinam essentiam contemplantis, vt docent Theologi, cum eorum Principe D. Tho. 1. p. q. 12. & 1. 2. q. 3. ergo intellectus inter omnes potentias primatum tenet.

Atque his dictis huic quæstioni, & libro, totiusque Philosophię commentarijs non sine felicissima sorte, iam finem impono, Deo. Op. Max. bonorum omnium largitori, quas valeo gratias referens, qui inter innumera mihi indigno seruulo suo præstita beneficia, hoc vnum voluit superaddere: quidquid autem in toto hac opere Philosophico à me exprofesso, vel obiter dictum est Sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni submitto, neque id solum, sed si quid quam forte per ignorantiam contra Angelici Doctoris D. Tho. Mœcenatis nostri Doctrinam dictaui, omnino reuoco. Absit enim, vt meas tenebras tantæ luci audeam præferre. Deus autem ipse, qui totius nostræ felicitatis est Auctor, & cuius beneficio ad huius operis exitum, finemque lætissimum peruenimus, ita nobis omnia beneuertat, atque fortunet, vt hac mortali vita pie transacta ad lucidissima Beatorum Domicilia Euolantes, felicissima Diuinæ Essentiæ contemplatione per æterna Secula perfruamur Amen.

FINIS.

INDEX QVÆSTIONVM, ET CAPITVVM, QVÆ CONTINENTVR IN OMNIBVS HIS QVINQVE PARTIBVS PHILOSOPHIAE.

Index primæ partis Philosophiæ.

QVæstio prima. Procmialium Philosophiæ. Vtrum Philosophia sit scientia? pag. 1.

Quæst. 2. Vtrum Philosophia sit speculatiua? pag. 2.

Quæst. 3 Vtrum ens mobile sit obiectum Philosophiæ? pag. 5.

Quæst. 4. Vtrum ens naturale, vel corpus mobile sint obiectum Physicæ? pag. 8.

Quæst. 5. Vtrum Physica sit vna secundum speciem infimam? pag. 12.

Quæst. 6. In qua variæ difficultates explicantur, pag. 14.

Quæst. vlt. Vtrum ens mobile sit obiectum octo librorum Physicorum? pag 17.

Libri primi Physicorum Capita, Quæstiones, & Disputationes.

CAp 1. De methodo obseruanda in Philosophia naturali, p. 19.

Obseruationes circa textum, pag. 20.

Quæst. 1. Vtrum ad perfectam cognitionem alicuius rei sint prius cognoscende omnes eius causæ? p. 21.

Quæst. 2. Vtrum eadem sint nobis, & naturæ notiora? pag. 24.

Quæstio 3. Vtrum vniuersaliora sint notiora nobis? pag. 26.

Quæst. 4. Vtrum ens sit primum cognitum nostri intellectus? pag. 30.

Quæst. 5. In qua aliquæ difficultates explicantur, pag. 38.

Cap. 2. de principijs rerum naturalium contra Parmenidem, & Melissum, pag 39.

Quæst. 1 Vtrum totum distinguatur realiter à suis partibus? pag. 41.

Quæst. 2. Vtrum substantia, siue quantitate sit extensa, & diuisibilis in partes? pag. 46.

Quæst. 3 In qua variæ difficultates explicantur, pag. 51.

Cap. 3. In quo soluuntur rationes Parmenidis, & Melissi, pag. 52.

Cap. 4. In quo referuntur sententiæ ali-

allorum Philosophorum, pag. 53.
Quæst. 1. Vtrum res viuentes habeãt certum terminum suæ magnitudini? pag. 54.
Quæst. 2. Vtrum res non viuentes habeant certum terminum suæ magnitudinis? pag. 56.
Quæst. 3. Vtrum corpora naturalia habeant certum terminum paruitatis? pag 60.
Cap. 5. De contrarietate principiorum naturalium, pag. 62.
Cap. 6. De numero principiorum rei naturalis, pag. 63.
Cap. 7. Quod principia sint realiter duo, & secundum rationem tria, pag. 64.
Quæst. 1. Vtrum prima principia optime diffiniantur ab Aristotele? pagina 65.
Quæst. 2. Vtrum prima principia sint contraria? pag. 68.
Quæst. 3. Vtrum prima principia rei naturalis sint tria tantum? pag. 71.
Cap. 8. In quo soluit Aristoteles rationum antiquorum Philosophorum contra generationem naturalem, pag. 74.
Cap. 9. De principijs rerum naturalium in particulari, pag. 75.
Disputatio de materia prima, pag. 77.
Quæst. 1. Vtrum in rebus naturalibus detur materia prima? ibi.
Quæst. 2. Vtrum materia prima sit substantia? pag 79.
Quæst. 3. Vtrum materia prima sit generabilis, & corruptibilis? pag. 81.
Quæst. 4. Vtrum diffinitio materiæ primæ sit optima? pag. 83.
Quæst. 5. Vtrum esse potentiam passiuam sit de essentia materiæ primæ? pag. 84.
Quæst. 6. Vtrum materia prima, ita sit pura potentia vt ex se, & ratione sui nullum actum includat? pag. 88.
Quæst. 7. Vtrum essentia, & existentia in rebus creatis realiter distinguantur? pag. 96.
Quæst. 8. Vtrum per potentiam Dei absolutam possit existere materia prima, sine omni forma? pag. 99.
Quæst. 9. Vtrum materia prima appetat omnes formas? pag. 101.
Quæst. 10. Vtrum materia prima sit vna? pag. 144.
Quæst. 11. In qua aliquæ difficultates breuiter explicantur? pag. 147.
Disputatio de priuatione, pag. 149.
Quæst. 1. Vtrum priuatio sit principium rei naturalis? ibi.
Quæst. 2. In qua aliquæ difficultates de priuatione breuiter dissoluuntur, pag. 153.
Disputatio de forma substantiali, pagina 155.
Quæst. 1. Vtrum formæ substantiales educantur de potentia materiæ primæ, pag. ibi.
Quæst. 2. In qua aliquæ difficultates de forma breuiter explicantur? pag. 160.

Libri secundi Physicorum, Capita, Disputationes, & Quæstiones, pag. 163.

Cap. 1. Quid sit natura? pag. 363.
Quæst. 1. Vtrum optime diffiniatur natura ab Aristotele? pag. 165.
Quæst. 2. Vtrum materia, & forma sint natura? pag. 169.

Quæst.

Quæst.3. Vtrum natura dicatur vniuoce de materia, & forma? pag.172.
Quæst.4. Vtrum assignauerit Aristoteles discrimen inter ens naturale, & artificiale? pag.173.
Cap. 2. quod Physica differat à Mathematicis, pag.175.
Quæst. vnica. Vtrum scientiæ mediæ sint magis Physicæ, quam Mathematicæ? pag.176.
Cap.3. De causis, pag.178.
Cap.4. De casu, & fortuna, pag.171.
Cap.5. Quid sit fortuna? pag.ibi.
Cap.6. Casum, & fortunam distingui, pag.172.
Cap.7. Physicam per omnes causa demonstrare, pag.ibi.
Cap.8. Naturam agere propter finem, pag.173.
Cap.9. Qualis sit necessitas in rebus naturalibus, pag.174.
Disputatio de causis in communi, pagina 176.
Quæst.1. Quid sit causa in communi? pag.176.
Quæst.2. Vtrum genera causarum sint tantum quatuor? pag.178.
Quæst.3. Vtrum plures causæ possint simul eundem effectum causare? pag.181.
Quæst.4. Vtrum idem numero effectu possit indifferenter ab hac, & illa causa produci? pag.184.
Quæst.vlt. In qua aliquæ difficultates breuiter explicantur, pag.186.
Disp.de causis in particulari, pag.188.
Quæst. 1. Vtrum causalitas materiæ primæ sit substentare formã? p.ibi.
Quæst.2. Vtrũ causalitas causæ formalis sit informare materiam? pag.190.
Quæst.3. Vtrum Deus possit supplere vices causæ materialis, & formalis? pag.192.
Quæst.4 Quid sit causa efficiens? 194.
Quæst.5. Vtrum causalitas causæ efficientis sit actio? pag.196.
Quæst.6. Quæ requirantur ad actionẽ causæ efficientis? pag.197.
Quæst. 7. Vtrum accidentia possint esse instrumenta ad producendam substantiam? pag.200.
Quæst.8. Vtrum Deus concurrat cum causis secundis ad omnem actionem? pag.207.
Quæst.9. Vtrum Deus attingat effectum causarũ secundarũ immediate immediatione suppositi? p.209.
Quæst.10. Vtrum finis sit causa? & in quo consistat eius causalitas? p.211.
Quæst.11. Vtrum ratio formalis mouendi in fine sit apprehensio ipsius? pag.212.
Quæst.12. Vtrũ natura in omni actione agat propter finem, pag.215.
Quæst.13. De casu, & fortuna, pa.217.
Quæst.14. Vtrũ detur factũ? pag 218.

Libri tertij Physicorum, Capita, Disputationes, & Quæstiones.

Cap.1. De motu, pag.221.
Cap.2.& 3. Quid sit motus? pag.222.
Disputatio de motu, pag.223.
Quæst.1. Vtrum motus optime diffiniatur ab Aristotele, pag.ibi.
Quæst.2. Vtrum prædicta diffinitio omni motui conueniat? pag.225.
Quæst.3. Vtrum motus, & terminus realiter distinguantur? pag.228.
Quæst.4. Vtrum terminus collocetur

in

In aliqua determinata Cathegoria? pag.231.
Quæst.5. Vtrum motus sit attributum essentiale respectu actionis, & passionis? pag.234.
Quæst.6. Vtrum actio sit in agente, vel in passe? pag.235.
Cap.4. Vsque ad vltimum de infinito, pag.238.
Quæst.1. Vtrum detur, vel possit dari naturaliter infinitū in actu? p.239.
Quæst.2. Vtrum per potentiam Dei absolutam possit dari infinitum in actu? pag.241.

Libri quarti Physicorum, Capita, Disputationes, & Quæstiones.

Cap.1. Vtrum sit locus? pag.244.
Cap.2. Vtrum locus sit materia, vel forma? pag.245.
Cap.3. De modis essēdi in alio, p 246.
Cap.4 Quid sit locus? pag.ibi.
Cap.5. Quomodo Cœlum sit in loco? pag 247.
Disputatio de loco, pag.248.
Quæst.1. Vtrum locus optime diffinia tur ab Aristotele, pag.248.
Quæst.2. Vtrum locus sit immobilis? pag 251.
Quæst.3. Vtrum vnitas numerica loci desumatur ab vnitate numerica superficici, & distantia? pag.253.
Quæst.4. Vtrum omne ens spirituale sit in loco? pag.256.
Quæst.5. Vtrum omne corpus sit in loco? pag 257.
Quæst.6. Vtrum duo corpora possint esse simul in eodem loco? pag.261.
Quæst.7. Vtrum idē numero corpus possit esse simul in duobus locis? pag.263.
Cap.6.7.8.& 9. De vacuo, pag.269.
Disputatio de vacuo, pag.270.
Quæst.1. Vtrum detur, vel possit dari vacuum in rerum natura? pag.270.
Quæst.2. Vtrū motus localis effectus in vacuo esset instantaneus? pa.272.
Cap.10. In quo probat Aristoteles dari tempus, pag.275.
Disputatio de tempore, pag.276.
Quæst.1. Vtrum detur tēpus? pag.ibi.
Quæst.2. Vtrum tempus sit species quantitatis continuæ? pag.278.
Quæst.3. Quid sit tempus? pag.279.
Quæst.4. Vtrum tempus distinguatur realiter â motu? pag.281.
Quæst.5. Vtrum detur tēpus præsens ratione sui? pag.283.
Quæst.6. Vtrum detur vnicum tempus, vel plura? pag.285.
Quæst.7. De partibus integrantibus temporis? pag.287.

Liber V. Physicorum, Capita, & Quæstiones.

Cap.1. Motum â mutatione distingui, pag.289.
Cap.2. Ad quas Cathegorias detur motus; pag.291.
Quæst.1. Vtrum ad quantitatem detur per se motus? pag.ibi.
Quæst.2. Vtrum ad qualitatem detur per se motus? pag.292.
Quæst.3. Vtrum ad vbi detur per se motus? pag.294.
Quæst.4. Vtrum ad substantiam detur per se motus? pag.295.
Quæst.5. Vtrum ad alias Cathegorias detur per se motus? pag.297.

Cap.

Cap. 3. In quo quędam vocabula explicantur, pag. 298.
Cap. 4. De vnitate, & distinctione motus, pag. 299.
Quæst. 1. De vnitate generica, & specifica motus, pag. ibi.
Quæst. 2. De vnitate numerica motus, pag. 302.
Quæst. 3. Vtrum ad vnitatem numericam motus requiratur vnitas numerica mouentis, & loci in quo fit? pag. 304.
Quæs. 4. Vtrum ea quæ sunt diuersæ speciei possint continuari? pag. 305.
Cap. 5. De contrarietate motuū, p. 307
Cap. 6. De cōtrarietate motus, & quietis, pag ibi.
Quæst. 1. Vtrum contrarietas motuū desummatur à contrarietate terminorum? pag. 308.
Quæst. 2. Vtrum quies contrarietur motui? pag. 309.

Libri VI. Physicorum, Quæstiones.

Quæst. 1. Vtrum in continuo dentur actu indiuisibilia? pag. 312.
Quæst. 2. Vtrum continuū possit realiter existere sine indiuisibilibus, & indiuisibilia sine cōtinuo? pag. 314.
Quæst. 3. Vtrum continuum componatur ex indiuisibilibus tanquā ex partibus integrantibus? pag. 316.
Quæst. 4. Vtrum in continuo dentur infinitę partes? pag. 318.
Quæst. 5. Vtrum motus Physicus possit fieri in instanti? pag. 320.
Quæst. 6. Vtrum per potentiam Dei absolutā possit fieri motus propriā dictus in instanti? pag. 322.
Quæst. 7. De inceptione, & desitione rerum, pag 323.
Quæs. 8. Vtrum res succesiuæ incipiāt per vltimum non esse, & desinant per primum non esse? pag 324.
Quæst. vlt. Vtrum res permanentes incipiant per primum sui esse, & desinant per primū sui non esse? p. 326.

Libri VII. Physicorum, Capita, & Quæstiones.

Cap. 1. Quidquid mouetur ab alio moueri dicitur, pag. 330.
Cap. 2. Mouens, & motum debere esse simul, pag. 331.
Cap. 3. Alterationem esse ad qualitates tertiæ speciei, pag. ibi.
Cap. 4 Vtrum omnes motus sint comparabiles inter se? pag. ibi.
Cap. 5. In quo quasdam conclusiones proponit, pag. 332.
Quæst. 1. Vtrum quidquid mouetur ab alio moueatur? pag. ibi.
Quæst. 2. Vtrum mouens, & motuum debeant esse simul? pag. 335.
Quæst. 3. In qua aliquæ difficultates explicantur, pag. 338.

Libri VIII. Physicorum, Capita, & Quæstiones.

Cap. 1. De æternitate motus, pag. 340.
Cap. 2. In quo reprehenduntur sententiæ Antiquorum Philosophorum, pag. ibi.
Quæst. 1. Vtrum mundus sit creatus à Deo? pag. 341.
Quæst. 2. Vtrum mundus sit creatus ab æterno? pag. 342.

Quæst.

Quæst. 3 Vtrum mundus possit esse ab æterno? cap. 344.
Quæst. 4. Vtrum res permanentes potuerint esse ab æterno? pag. 358.
Quæst. 5. Vtrum res successiuæ potuerint esse ab æterno? pag. 350.
Quæst. 6. Vtrum possit euidenter, & ratione naturali probari mundum creatum esse in tempore? pag. ibi.
Cap. 3. Aliqua interdum moueri, & interdum quiescere, pag. 353.
Cap. 4. De motu grauium, & leuium, pag. ibi.
Quæst. 1. Vtrum grauia, & leuia a suo generante moueantur? pag. 354.
Quæst. 2. In qua aliquæ difficultates explicantur, pag. 357.
Cap. 5. Dari vnum primum motorem, pag. 359.
Cap. 6 Primum motorem esse sempiternum, & immobilem, pag. ibi.
Cap. 7. Motum localem esse omnium primum, pag. 360.
Cap. 8. Motum circularem esse æternum, pag. ibi,
Cap 9. Motum circularem esse continuum, & præstantiorem, pag. 361.
Cap. vlt. Primum motorem esse incorporeum, & infinitę virtutis, pag. ibi.
Quæst. vlt. Vtrum detur primus motor, qui sit vnus, æternus, immobilis, incorporeus, & infinite virtutis? pag. 362.

INDEX DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM,

SECVNDÆ PARTIS PHILOSOPHIÆ

DE MVNDO, ET COELO.

Proemium, pag. 366.
Disputatio prima de mundo, 367
Quæst. 1. Vtrum mundus sit perfectus, pag. ibi.
Quæst. 2. Vtrum Deus possit mundū hunc perficere, vel alium perfectiorem producere? pag. 399.
Quæst. 3. Vtrū mūdus sit vnus? p. 370.
Quæst. 4. Vtrum possint esse plures mundi? pag. 371.
Quæst. 5. Quo anni tempore mundus inceperit? pag. 372.
Quæst. 6. Vtrum mundus sit corruptibilis, & finem habiturus? pag. 374.
Disputatio 2. De Cœlo, pag. 376.
Quæst. 1. Vtrum ad Physicum spectet

de Cœlo disputare? pag ibi.
Quæst. 2. Vtrum Cœli componantur ex quatuor elementis? pag 377.
Quæs. 3. Vtrum Cœlum componatur ex materia, & forma? pag 378.
Quæst. 4. Vtrũ materia Cœli sit eiusdem rationis cum materia sublunari? pag. 380.
Quæst. 5. Vtrum Cœli sint dissolubiles, & corruptibiles? pag. 381.
Quæst 6. Vtrum Cœlum sit animatum? pag. 383.
Quæst. 7. Vtrum Cœlum sit animatum? pag. 383.
Quæst. 7. Vtrum Cœlum sit quantum quantitate continua? pag. ibi.
Quæst. 8. Vtrum Cœlum sit nobilius quolibet corpore sublunari? p. 384.
Quæst. 9. Vtrum dentur plures Cœli? pag. 385.
Quæs. 10. Vtrum tantum dentur octo Cœli? pag. 387.
Quæst. 11. Vtrum Cœli moueantur motu naturali? pag. 389.
Quæs. 12. Vtrum Cœli moueantur ab intelligentijs? pag. 390.
Quæst. 13. Vtrum in motu Cœli contingat defatigatio? pag. 391.
Quæst. 14. Vtrum Cœlum simul pluribus motibus moueantur? pag 392.
Quæst. 15. Vtrum figura Cœli sit rotunda, & circularis? pag. 393.
Quæst. 16. Vtrum Cœlum sit visibile, solum, & per lucidum? pag. 395.
Quæst. vlt. In qua aliquæ dinculates explicantur? pag. 396.
Disputatio 3. De Astris, pag. 399.
Quæst. 1. De his, quæ conueniunt Astris in communi, pag. ibi.
Quæst. 2. Vtrum naturæ Astrorũ sint eiusdem rationis cum orbe in quo sunt? pag. 400.
Quæst. 3. Vtrum omnia Astra solum habeant lumen à Sole? pag. 401.
Quæst. 4. Vtrum Astra per se, & non per aliud moueantur? pag 402.
Quæst. 5. Vtrum Astra sint ipericæ figuræ, pag. 403.
Quæs. 6. De quantita continua, & discreta Stellarum fixarum, pag. ibi.
Quæst. 7. De Stilli errantibus, seu de Planetis, pag. 404.
Quæst. vlt. Vtrum corpora cœlestia influant in hæc inferiora? pag. 406.
Disputatio 4. De elementis, pag. 407.
Quæst. 1. Vtrum elementa componantur ex materia, & forma? pag. ibi.
Quæst. 2. In qua aliquę difficultates breuiter explicantur, pag. 408.
Quęst. 3. De ordine, situ, & figura elementorum, pag. 411.
Quęst. 4. De igne in particulari, p. ibi.
Quęst. 5. De aëre, pag. 412.
Quęst. 6. De aqua, pag. 413.
Quęst. vlt. De terra, pag. 414.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM, ET QVÆSTIONVM, TERTIÆ PARTIS PHILOSOPHIÆ DE ORTV, ET INTERITV.

PRoemium, pag. 416.

Lib. 1. De generatione, & corruptione, pag. 417.

Cap. 1. 2. 3. & 4. De generatione, corruptione, & alteratione, pag. ibi.

Quæst. 1. Vtrum detur generatio substantialis rerum? pag. 418.

Quæst. 2. Vtrum generatio substãtialis fit à priuatione formę introducendę substantialis ad formam introducendam substantialem? pag. 419.

Quæst. 3. Vtrum generatio rei viuentis fit processio viuentis à viuente â principio vitę coniuncto secundum similitudinem in natura specifica? pag. 421.

Quæst. 4. Vtrum generatio vnius sit corruptio alterius? pag. 424.

Quæst. 5. Vtrum in corruptione alicuius compositi fiat resolutio vsque ad materiam primam? pag. 426.

Quæst. 6. Vtrum eędem dispositiones, quæ erant in corrupto maneant in genito? pag. 429.

Quæst. 7. Vtrũ forma substantialis sit terminꝰ per se generationis? p. 430.

Quæst. 8. Vtrum in composito Physico sint plures formę substãtiales, p. 431.

Quæst. 9. Vtrum alteratio distinguatur a generatione? pag. 432.

Quæst. 10. Vtrum intensio qualitatis fiat per maiorem radicationem in subiecto, pag. 435.

Cap. 5. De augmentatione, pag. 438.

Quæst. 1. Vtrũ augmentatio sit motus distinctus ab aliis motibus? p. ibi.

Quæst. 2. Vtrum sola viuentia augeantur, pag. 440.

Quæst. 3. Vtrum eius quod augetur quælibet pars augeatur? pag. 442.

Quæst. 4. Vtrum detur decretio, seu diminutio? pag. 444.

Quæst. vlt. De nutritione, pag. 446.

Cap. 6. 7. 8. & vlt. De contactu, actione, passione, & mixtione, pag. ibi.

Quæst. 1. Vtrum omne agens dũ agit repatiatur? pag. 447.

Quæst. vlt. Vtrum simile agat in sibi simile? pag. 448.

Lib. 2. De generatione, & corruptione, pag. 450.

Summa Capitum huius libri, pag. 451

Quæst. 1. Vtrum elementa sint quatuor? pag. 452.

Quæst. 2. Vtrum quatuor primæ qua-

litates sint formæ elementorum? pag. 455.
Quæst. 3. Vtrum Solæ quatuor qualitates assignatæ ab Aristotele sint primæ? pag. 456.
Quæst. 4. Vtrum ambæ qualitates in vnoquoque elemento sine summè inter se? pag. 457.
Quæst. 5. Vtrum ignis sit summè calidus, aer humidus, aqua frigida, & terra sicca? pag. 460.
Quæst. 6. Vtrum quodlibet elementum possit immediate generari ex quolibet? pag. 463.
Quæst. 7. Vtrum elementa simbola facilius transmutentur quam disimbola? pag. 465.
Quæst. 8. Vtrum detur mixtio elementorum? pag. 466.
Quæst. 9. Vtrum elementa maneant formaliter in mixto? pag. 468.
Quæst. vltima. In qua aliquę difficultates breuiter explicantur? p. 471.

INDEX LIBRORVM DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM QVARTÆ PARTIS PHILOSOPHIÆ DE METHEORIS.

Proemium, pag. 474.
Liber primus, pag. 475.
Liber secundus pag. ibi.
Liber tertius pag. 476.
Liber quartus, pag. ibi.
Disputatio 1. de principijs rerum Methorologicarum in communi, pagina 477.
Quæst. 1. Quæ dicantur mixta imperfecta? pag. ibi.
Quæst. 2. de causis Metheorcrum, pag. 478.
Disputatio 2. De Metheoris, quę fiũt in suprema Regione aeris, p. 480.
Quæst. 1. De materia inflamationum, quę apparent in suprema Regione aeris, pag. ibi.
Quæst. 2. De quibusdam Metheoris ignitis in particulari, pag. 481.
Quæst. 3. De hyatibus, fossis, & coloribus

ribus cruentis, pag. ibi.
Quæst. 4. De cometis, pag. 482.
Quæst. 5. De via lactea, pag. 484.
Quæst. 6. De Stella, quæ Christo nato magis apparuit, pag. 485.
Disputatio 3. de Meteoris, quæ fiunt media Regione aeris, pag. 486.
Quæst. 1. De nubibus, pag. ibi.
Quæst. 2. De pluuia, pag. 487.
Quæst. 3. De niue, pag 488.
Quæst. 4. De grandine, pag. ibi.
Quæst. 5. De tonitruo, & corruscatione, pag. 489.
Quæst. 6. De Corona, pag 490.
Quæst. 7. De iride, pag. ibi.
Quæst. 8 De virgis, & parelijs, p. 492.
Disputatio 4. De his, quæ generatur in infima Regione aeris, p. 493.
Quæst. 1. De rore, pag. ibi.
Quæst. 2. De pruina, pag. 494.
Quæst. 3. De caligine, seu nebula, pagina ibi.
Quæst. 4. De ignibus fatuis, pag. ibi.
Disputatio 5. De his, quæ in superficie terræ producuntur, p. 495.
Quæst. 1. De mari, pag. ibi.
Quæst. 2. De glatie, pag. 497.
Disputatio 6. De his, quæ in visceribus terræ generantur, pag. 498.
Quæst. 1. De ventis, pag. ibi.
Quæst. 2. De procella, turbine, præstere, & fulmine, pag. 500.
Quæst. 3. De terremotu, pag. 501.
Quæst. 4. De fontibus, & fluminibus pag. 502.
Quæst. 5. De mineralibus, pag. 503.

INDEX DISPVTATIONVM, QVAESTIONVM, LIBRORVM, ET CAPITVLORVM QVINTÆ PARTIS PHILOSOPHIÆ DE ANIMA.

PRoœmium, pag. 506.
Quæst. 1. Vtrum de anima possit dari scientia? pag. 507.
Quæst. 2. Vtrum ad Physicum spectet agere de anima? pag. 508.
Quæst. 3. Vtrum anima sit obiectum horum librorum? pag. 510.
Lib. 1. De anima pag 511.

Quæst. 1. Vtrum scientia de anima sit nobilior, & certior cæteris? p. 512,
Quæst. 2. Vtrum anima sit substantia? pag. 514.
Quæst. 3. Vtrum anima sit corpus? pagina 515.
Cap. 1. & 2. Quid sit anima? pag. ibi.
Lib. 2. De anima pag. 217.
Quæst. 1. Vtrũ prima diffinitio animę sit bene assignata? pag. ibi.
Quæst. 2. Vtrum diffinitio secũda animę sit optima? pag. 520.
Quæst. 3. Vtrum anima sit indiuisibilis? pag. 521.
Quæst. 4. Vtrum anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte? p. 525.
Quæst. 5. Vtrum anima rationalis sit in unguibus, & Capillis? pag. 526.
Quæst. 6. Vtrum in vno viuente sint plures animæ? pag. 527.
Quæst. 7. Vtrum anima rationalis cõtineat animam vegetatiuam, & sensiuam? pag. 530.
Quæst. vltima in qua aliquæ difficultates explicantur? pag. 532.
Cap. 3. De potentijs animæ, pag. 533.
Quæst. 1. De anima vegetatiua, p. 534.
Quæst. 2. de actibus potentiarum animæ vegetatiuæ, pag 535.
Quæst. 3. De obiecto, & actu potentiæ sensitiuæ, pag. 536.
Quæst. 4. De potentijs sensitiuis externis in particulari, & in primis de potentia visiua, pag. 537.
Quæst. 5. De potentia auditiua, pag. 539.
Quæst. 6. De potentia odoratiua, pag. 540.
Quæst. 7. de sensu gustu, pag. 542.
Quæst. vltima de sensu tactus, pag. 543.
Lib. 2. De anima, pag. 545.
Disputatio 1. de sensibus internis, pag. 546.
Quæst. 1. Vtrum dentur sensus interni? pag. ibi.
Quæst. 2. Vtrum sensus interni sint quatuor? pag. 547.
Quæst. 3. De situ, & ordine sensuum internorum, pag. 548.
Quæst. 4. De sensu communi pag. 549.
Quæst. 5. De phantasia, pag. 550.
Quæst. 6. De æstimatiua, seu cogitatiua, pag. 551.
Quæst. 7. De memoria, seu reminiscentia, pag. 552.
Disputatio secunda de potentia motiua secundum locum, pag. 553.
Quæst. Vnica quid, & quotuplex sit potentia motiua? pag. ibi.
Disputatio 3. De potentijs intellectiuis, pag. 554.
Quæst. 1. De intellectu agente, pag ibi.
Quæst. 2. De intellectu patibili, p. 556.
Quæst. 3. Vtrum intellectus lædatur à perfectissimo obiecto? pag. 557.
Quæst. 4. De operationibus intellectus patibilis, pag. 598.
Disputatio 6. De potentia appetitiua, pag. 559.
Quæst. 1. De potentia appetitiua sensitiua, pag ibi.

FINIS INDEX.

Cui gd aug⁹ mirabilis ager.
Deberi [illegible] ⁊ [illegible]

UNIVERSIDAD Y PROV
BIBLIOTECA
ZARAG

Amigo y Señor mio recá
uo la carta de v.m, me holgad
mucho de saber no tiene v.m

B F D

Don Diego

D

Para el Hltmo S. D. Pedro

Para el Hltmo S D Pedro

Para el



